8.45. D. 18

S. VII. 45.

R. BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE V. E. II ROMA
8 M
45 B
15

8-45-B-15

Ex Libris
F: Alberti M.ª Rodiani
Veliterni

15. 6.

QVADRA-GESIMALIA DVO:

Alterum, In duo poſtrema Cap. I. lib. Eſræ, & hiſtoriam Euangelicam de muliere peccatrice: Alterum, de filio prodigo: Moguntiæ pro concione explicata per IOANNEM FERVM, *Franciſcanum cœnobiarcham, & Metropolitanæ Moguntineñ eccleſiaſten.*

OPERA IOANNIS LATOMI *Bergani, Canonici regularis, recens è Germanico in Latinam linguam tranſlata.*



ANTVERPIÆ,
Apud Ioan. Bellerum, ad inſigne Salmonis.
M. D. LIIII.
Cum priuilegio Cæſ. ad quadrienniū.

8
45
B
15

Cæſarea ſanctione

cautum eſt, ne quis typographus aut bibliopola Sermones F. Ioannis Feri à Ioanne Latomo ex Germanico in Latinum verſos, alius à Ioan. Bellero librario à Cæſ. admiſſo per totam Brabantiæ ditionem ad quadriennium imprimat, alibiue impreſſos vendat: veluti latius patet in literis eidem à Cæſ. M. conceßis die .xix. Februarij. M.D.LIII. Stilo Brabantiæ & ſubſignatis

P. Lens.

Ornatiſs. humaniſſimoq́;
DOMINO, M. CASPARI Merano, S. Theol. Licentiato Canonico Antuerp.
Ioan. Latomus, S. D.

NVllorum hominum ſtudia, amice Merane, damnare magis ſoleo, immò & miſeratione dignari, atq; illorum, qui ex labore ſuo non modò mercedem nullam, verùm inuidiam, vel infamiã (maximè ſi à Deo etiam pœnam) reportarent. In quam cogitationem coniicere me ſolet, huius, & ſuperioris memoriæ ſcriptorum, & ſcribentium diuerſitas: Quorum non modicam partem palàm deteſtãda ſcripſiſſe videmus: alios eiuſcemodi, quorum vtilitas eſſet obſcura, vel nulla: multos vtilia quidem, verùm affectibus ita deprauata: aut ad eum fi

nem,quem ſui ſcripti ſibi præfixerant, ita accommodata,vt non ſolùm vtilitatem illam corrumperent,verùm etiam certorum hominũ odium, iudiciáq; incurrerent. Faciendi plureis libros nullus eſt finis: inquit ille. Nec deſunt,qui ſcribẽdi hanc licentiam moderatã vellent:idq́ue iuſtiſsimè:modò commodè fieri poſſet. Nunquam tamen potui aliter mihi perſuadere,quàm de humano genere optimè illos mereri,qui lucubrationes ſuas ad hoc conferunt,vt in cõmune multis prodeſſent:etiamſi parem vtilitatem non omnia haberent. Quo nomine,quũ araneos illos,& fucos indigniſſimè facere cenſendum eſt:qui in opere tanquam in corpore bene munito,& armis tecto,vulneri modò locum quærũt: tum ſcriptores illi ſuo vitio maximè miſerandi ſunt,qui multorũ annorum vigilias,quibus aliis vtileis,ſibi & Reip. ornamento eſſe poſſent,tam facilè fœditate

tate

tate aliqua deformant: ſi non penitus eludunt. Quàm multi noſtra tempeſtate, qui adhuc in viuis ſunt: quàm multi patrum & auorum memoria, in illuſtrandis ſingulis diſciplinis immortalem laudem conſecuti ſunt: ſed eandem totam propemodum obſcurarunt, vel etiam extinxerunt: quòd illos ſuos labores, tanto in competitores & æmulos, vel quouis nomine hoſteis, liuore, tantáque rixandi cupiditate, omnibus partibus cõmaculauerint? Poſſet quiſque ſuo ingenio felix eſſe: poſſet ſuo in Rempub. ſtudio honeſtus incedere: nunc fœda æmulatione ita ſeſe mutuò conſpurcant, vt ſi ad hauriendam doctrinam ſcripta eorum in manus ſumas, perindè facere te ſentis, atque ſi nudato corpore cogeréris in vepreto gemmã quærere. Quem morbum quòd tam latè ſerpere viderem, vt quædam doctorum ingeniorũ calamitas potius fatalis, quàm

 ac-

accerſita iudicio, corruptio videretur: æquanimius ferebam, eam ſpem, ocij fraudatione ereptam mihi eſſe, vt me aliquando & præſentibus & poſteris vixiſſe declararem. Huc enim præcipitabar. non aliqua ingenij fiducia: aut quòd iuſta præſidia ad rem tantam mihi comparaſſem. Sed incitabat me, & ætatis oportunitas, & cognomen iſtud: quod clariſsimorũ duorum virorum in literis merito, Iacobi Louanienſis, & Bartholomæi Treuiri, illuſtre iam pridem, & forſan iam ominoſum habetur. Cuius fidem certiorem Iacobus Latomus iunior, ſuperioris illius nepos, breui, vt ſpero, eſt facturus. Dolebat itaque, quòd illud (tametſi gentile, non aſcititium eſſet) parum honeſtè in me hærere homines non inſulſi iudicaturi viderentur. Verùm, vt dixi, hanc ſpem voluntatemque abieceram: meque illa fruſtrati nominis ignominia notari ma-

leb

lebam, quàm ſi cum immortalitatis fame, petulantiam, laſciuiam, inuidentiã, acerbitatem, & quæ aliæ ſunt plærunque ſcribentium pediſſequæ: alere deberem. Quòd verò nunc diuerſum ſequi videor, id tale eſt, vt mihi integrum nõ putem, ſi quando oportunitas adeſt, & ſpes eſt inuidiam poſſe effugere (quemadmodũ capite alieni ingenij galea munito, nunc facio) non aliquando me bonum ciuem Eccleſiæ declarare. Quanquàm hac vice Belleri noſtri inſtitutum me potiſsimùm in publicum extruſit. Nam is nuper, vti ſcis, vxore ducta: poſteaquam Ioanni Stelſio viro integerr. affini tuo fidelem operam aliquot annos nauaſset: inſtituit ſuo Marte librariam exercere: locupletius quidem, quàm nõnulli ſolent, qui ſuà dumtaxat in tabernis habent: etenim heri more, aliena ex omnibus Europæ par-

iiij *tibus*

tibus ſtudioſè conquirit: ipſe etiã prœla aliquot alienis operis quotidie fatigans. Quod facturus eſt (immò iam nunc fa cit) nemo miretur, quòd modò facere dico. Proindè vt huic affectum meum certius comprobarem, redderemq́; bonis & doctis omnibus commendatum, (quod, quæ ipſius eſt integritas, qui can dor, quod in prouehendis literis ſtudiũ, quæ in emendatè emittendis diligentia, auſim meo periculo facere: ego, inquam, qui tantopere hominum conuitia & fla gellationes exhorreo: neque addubito, quin tu euentum præſtare mecum audeas) me dignum amicitia noſtra factũ arbitrabar, ſi illum in publicum orbis theatrum prodeuntem ipſe dedu cerem: aut potius vterque, compenſatione officij, ab altero deductus eſſe videretur. Nam in hoc opere vtriuſque ſunt rudimenta. Te verò delegi huma niſs. Merane, qui vtrique es amiciſſimus,

mus, & de me ſingulariter es meritus: cuius gratia & authoritate tuti eſſemus. Quare te rogo, vt & noſtri, & huius libelli patrocinium ſuſcipias: atque me, in eo tibi dicando, nihil aliud ſpectaſſe, quàm voluntatem tibi gratificandi mihi minimè deeſſe, vt intelligas. Nihil refert, de libri argumento, & authore hîc dicere: illud è titulo notum eſt: author porrò, vir doctiſſimus, & vt audio (neq; enim fama ab ipſius operibus diſſentit) piiſſimus, ſuo merito iam maior eſt, quàm vt mea commendatione accedere illi aliquid poſſit. De ſtylo forſan, quem alij terſiorem, alij magis triuialem optabunt, plus attinet dicere. Ego verò in eo formando nulla ſuperſtitione ſum ductus: qui adoleſcenti è bonorũ authorum lectione eſt natus, eo ſum familiari vſus: idq; in ſatis anxia vertendi fide, & eo occupationum tumultu, vt interdum non

va-

vacarit quæ dictaueram relegere: alioqui cultiora eſſe potuiſſent. Non quòd de ſtylo polliceri magni aliquid poſſum, (quem è promiſcua lectione collectum, magis vſu ſuſtineo, quàm arte vlla: ita vt iocans, & tamen verum dicens, eum nocturno cœlo perſimilem eſſe, dicere ſoleo) ſed quòd ſatis bigarum & quadrigarum ad deuehendam ſoccatorum paſtorculorum barbariem eſſe crederem: atque illud libens efficerem, vt elegantioris palati homines his etiam legendis pietatem fouerent. Qua in re ſi non nihil efficio: certum eſt hanc ſpartam, ſi poſſum, ornatiorem reddere. Potuiſſem te, humaniſſ. Merane citius abſoluiſſe: ſed patientia tua, vt cæteris rebus, liberius ſum vſus. Itaque vale, & me, meumque Bellerum cum multis ama. E muſæo noſtro: 9. Cal. Mart. à Chriſto nato. M. D. LIIII.

Ad ſuſcipiendam Qua-
DRAGESIMÆ RELIGIONEM IOANNIS LATOMI PARÆNETICON.

AVdit, ridiculus: & meritò quidem:
Qui ſurdo inſtituit texere fabulam:
Defunctive fores qui quatit ictibus
Crebris, impatiens moræ.
Quod me non latuit. non potui tamen
Extorquere mihi, quò canerem minus
Surdis, & rigidis frigore mentibus:
At non (credite) fabulam.
Et ſurdos (vtinam non quoque mortuos)
Mortaleis patitur candida Veritas:
Quique illam patrio traxit ab æthere
Chriſtus, maximus arbiter.
Hêu, non eſt alius morbus acerbior,
Atq; is, qui medicum non modò reſpuit,
Verùm quò ingenio foueris amplius,
Hòc plùs auctus inulcerat.
Illi quid facias? ergò periculo
Linquendúsne ſuo? at quãdiu morbus eſt
Curari poterit. proindè potiſſimùm
Sit, curare vel improbè.

Sic

Sic Chriſtus ſtatuit: Qui genus vt mali
Nullum nō recipit: dummodò id ambias:
Sic certo minimè ſine coërcuit,
Curam quo reuocet, diem.
Sic Chriſti ſtatuit docta vicaria:
Quæ nullum lapidem non mouet, vt ſuos,
Quos cælo genuit, ſedula filios
Vnum colligat in ſinum.
Non refert mutili ſimus, an integri:
Flaueſcat ſcabie, ſeu niteat cutis:
Nec ſi quem putrido corpore proxima
Mors qua parte præoccupet.
Non hoc ſollicita eſt: quæ valet omnibus
Curandis medicum: dein panacen habet.
Tantùm ſed redeant, corpore quolibet
Sint: nec diſsimulent malum.
Forſan dum memoras ſtigmata conſciæ
Frontis: quantaq́ue conuitia feceris
Matri: quæq́ue, animæ prodigus, hauſeris
Turpi proluuie bona:
Ne non læſa times, optima quamlibet,
Te, læſo grauius conciliet patri:
Atque ille, è latebra ſpe variabili
Productum, feriat graue.

Er-

Ergo ſtulte, putas, perfugio locum,
Ni fulmen pietas reprimat, vſpiam
Pandi? perniciem vel tibi tendere,
Et quæ mater, & optima eſt?
Ah, erras. pàtuli ſed quòd in æquore
Campi: quo malè nunc tectus obambulas:
Tempeſtas tibi iamiã imminet: hoc agit,
Tuto quò lateas loco.
Vt Phœbi maculis lurida liuidis
Terris exitium lumina nuntient:
Iactantemq́ue minas cernit Oriona
Accinctum gladio latus.
Huic doctæ numeros, ſignaq́ue ſyderum,
Quas iras metuant, quasq́ue recolligant:
Aureis atque animum, ſi ſapis, applica:
Hoc ſed tempore maximè.
Quod gazis emeres non Aſiaticis:
Quod ne ſceptra quidem regia ſpondeant:
Contemptum toties quamlibet, ingerit:
Quid, ſi dixero qualibus?
Nunc vt turba, vides, maxima confluat,
Oblatis fruitura vtiliter bonis.
En quæ nunc macie fœda, rubentibus
Formoſum renitet genis.

Ver

Vermem (ſurdus adhuc?) ipſe famelicus,
Paſcentem intima præcordia ſuſtines.
Nec matris lachrymis tãgeris, aut prece,
Nec patris reuerentia.
Heu, quem pollicitum præmia maxima, &
Torquentem tonitru deſpicias, vide.
Quem ſi non meritũ plurimùm amaueris,
Certè non metues minus.
Nuper quum Boreas tecta refigeret,
Paſsim roboreis laxa repagulis:
Eliſoq́ue ſoli pondere plurimo
Syluam ſterneret Herculis:
Quur mens anxia? quur vultus inhorruit?
An certè metuebas, tibi conſcius,
Hanc, hanc eſſe manum vindicis? & tuo
Raptantis capiti trabem?
Quem ſic arboreas flaminibus comas,
Tundentémue nigris littora fluctibus,
Palles: quur ſtudiis non agis omnibus,
Ne pallere neceſſe ſit?
At nuper modicis ora febriculis,
Admoto ſpeculo, pallida contuens,
Quem læſum lachrymis & prece flexeras,
Pacatum modò deſpicis.

Sed tu iam patulis auribus (vt reor)
Adſtas, & meritam das monitis fidem:
Nec ſum ridiculus, qui tibi mortuo
Vitam barbite reddidi.
Ah, ſat luſibus, & nequitiis datum.
Offert mater opem: ſtat pater: exitum
Mors vrget: melior pars iit. vltimum
Præuertas, moneo, diem.

Finis.

LECTORI.

Habes hîc, amice Lector, præter ea quæ argumentum ipſum ſuppeditabat, quæ eôdem ſpectant: puta, de ieiunio, pœnitentia, contritione, confeſſione, & communione, cum aliis nonnullis: eleganter, diffuſe, conciliatis etiam controuerſiis, ad vulgarem captum diſputata.

Quæ in priorem Eſræ partem ab eodem Authore ſcripta ſunt, propediem à nobis, Deo fauente expecta.

SERMONES
QVADRAGESIMALES
in poſteriora tria capita libri .I. Eſræ. Moguntiæ pro concione habiti per F. Ioannem Ferum, cœnobij D. Franciſci Guardianum.

IN .VIII. PRIMI LIB. ESRÆ CAPVT
Præfatio, ſiue Sermo .j. feria .vj. poſt Cinerum.

HOdie, ſi vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda veſtra, Pſal.49. Heb.3.
ſicut in exacerbatione ſecundum diem temptationis in deſerto, vbi temptauerunt me patres veſtri: quibus iu- Num.14
raui in ira mea, ſi introibunt in requiem meã.

QVod nemini obſcurũ eſſe poteſt, Eccleſia Chriſtiana Quadrageſimalis ieiunij obſeruationẽ nudiuſtertius feliciter eſt auſpicata: idq́ue ardore ac ſtudio tam vehementi, vt nemo meritò ad imitationẽ alia exhortatione incitari debeat. Verùm incuria ac negligentia eorum, qui populum in officio continere deberent, eò res, diaboli, omnis boni inimici, aſtu, relapſa eſt: vt vix inueniatur vnus & alter, qui norit quo pacto ad hanc ieiunandi religionem Eccleſia ſe paret, & quid primo ſtatim die cogitandum imitandumq́ue nobis proponat. Quod tamen ſi rectè perpenderimus, toto hoc tempore magno nobis ad pietatem fuerit adiumento. Nam principia ipſa quan-

to magis feruent, tanto ſolent habere ſuc-ceſſum feliciorem.

Eſt quidem Eccleſiæ,in hac obſeruatione arripienda, ſtudium (vt dixi) tam vehemẽs, & ardor tam effuſus,vt nemo ſit tam durus, quem illa nõ permoueat: ſiquidem ad contemplationẽ aures illi atq; oculos accõmodare velit. Atqui hoc ne fiat,diabolus tantò ſollicitius aliò nobis oculos atque aures auertit. Quare perſpicuum eſt, ſi ad primũ Eccleſię feruorem,dum ipſa fundamentum iacit,ſtertimus:nos,ne in progreſſu quidem animi promptitudinẽ facilè declaraturos. Nimirum hoc agit diabolus: vtpote quem nõ latet,ſi Chriſtiani coniunctis ſtudiis impetum, tum in aggrediendo, tum in perficiendo nunquam remitterent, quàm graue ipſe vulnus acciperet. Necdum illi excidit, à quo primum hanc inſtitutionẽ,tanquam
Mat.4. per manus traditam,habemus: puta,à Chriſto: qui dum illam ipſe implet atque obſeruat, hoſtem hunc noſtrum, iterum, & tertiò,graui contumelia in perpetuum affecit. Neque adeò clam illo eſt, quadrageſimale hoc ieiunium,nõ alio conſilio,quàm ad ſui profligationẽ ſuſcipi,ac geri. Quod ſi rectè obſeruatur, videt regni ſui manifeſtam deformationem: ferat neceſſe eſt,ab omnibus ſibi paſſim bellum indici, adeoque vim inferri: non in vno tantũ orbis angulo,verùm

vbi

vbicunque fidei Chriſtianæ vexilla eriguntur: ſuſtinere cogitur, quotidie ſibi inſultari, victoriamq́; eripi: videt ſuis oculis (neq; conſilium ſuppetit) non ſolùm tam multa hominum millia in regnum Chriſti recens cooptari atq; aſſcribi: verùm etiam nõ paucos eorum, quos ipſe iampridem ſub ſignis habebat, Chriſto iam ſacramento aſtringi.

Hinc illi, qui virtutem fert infenſiſſimè, anim⁹ ferox, & vindictæ cupiditas. Et quandoquidem in veritate non ſtetit, ab illo primæ & natiuæ ſuæ cõditionis ſplendore, ob faſtum & ambitionẽ deiectus, Dei erga nos indulgentiam ferre omnino nõ poteſt: ringitur, ſi hominẽ in poſſeſſionem tantorum bonorum, quæ ipſe amiſit, intrudi conſpexerit. Quò fit, vt nullum non lapidem moueat, quò huius quadrageſimalis ieiunij fructum nobis interuertat. Ioan. 8.

Interuertit verò atque corrumpit, quando receptæ quidem cõſuetudini noſmet accõmodamus, verùm interim nihil animi, nihil ardoris adferimus: quemadmodum (proh dolor) vulgò iam fieri videmus, vt nomina ipſa ieiunij & pœnitentiæ præclarè iactentur, ſed rei nihil admodum præſtetur: vt nõ videam, cur diabolus de hoc noſtro ieiunio, & vitæ correctione, quam ſimulamus, multum ſibi debeat timere. At ſi, chariſſimi, promptitudinem noſtram in ipſo ſtatim

initio,non ſegnes,ſed læti,atque alacres declararemus,nihil illo meticuloſius. Et quid facilius? modò id quod Eccleſia primo die, hoc eſt in limine adhuc agit,diligenter cum mente reuolueremus:neque tam ſalutarem cogitationem ab illo nobis intercipi ſineremus. Meritò in eius conſilium deberemus irrepere: nam quemadmodum Eccleſia in hoc tota eſt, vt hoc tam feruenti principio ſtudium noſtrum excitet, & excitatum vrgeat,indieſque magis ac magis promoueat: ita ipſe è diuerſo nihil aliud agit ac ſtudet, quàm vt ab initio nos obtineat, & ab Eccleſiæ mente longiſſimè abducat: quò rem tantam, ſi non omnino negligamus, peragamus interim frigidè,ac oſcitanter.

Sed quotusquiſque eſt, qui hæc perpendát? immo quis harum rerum ſedulam admonitionem patienter accipiat? Per nos liberum eſt Eccleſiæ,gemere,ſingultire,lugere,ac plorare: ad omnẽ humilitatem Deum inclamando ſeſe demittere: cinerum etiam aſperſione crimina profiteri, & à Deo admiſſis gratiam quærere. Quid nos interim? Nihil illa ad nos: quod grauius eſt, diabolum audimus,Eccleſiam cõtemnimus: hoc eſt, hoſti voluptatem, indulgentiſſimæ in nos matri luctum paramus.Obſecro,quando ad hũc modum (vt fit) ieiunamus,quem nobis fructum promittimus? Non tamen

idcir-

idcirco ſermoni parcendum eſt. Si primum Eccleſiæ conſilium plæriſq; ſine attentione & fructu periit, tantò diligentius vt amiſſa, vel ſerò, ſarciant, quotidianis exhortationibus veniunt exſtimulandi.

Hinc eſt, quòd in huius concionis exordio iis verbis ad vos vſus ſum, quibus olim, nõ ſolùm ſuos Iudæos Dauid, verùm etiam nos Chriſtianos D. Paulus ad reſipiſcentiam *Pſal. 94* conuênit. Nam primam hanc concionem *Heb. 3.* (quemadmodum & ſuperioribꝰ annis à me factitatum eſt) ad exhortationem duntaxat vobis eſſe volo: quum plærunque in obtinendis deuinciendiſque animis, vt plus laboris, ita diligentiæ inſumitur. Mundum, & quam trahit comitem, noxiam concupiſcentiam, grauatè deſerimus: ad morũ correctionem odioſa ſemper eſt oratio: nam quantum illa nobis arrident, tantum diſplicet iſta. Quo pertinere arbitror, quod veteres illi ac veri Eccleſiæ paſtores, nullo anni tempore, ſtudioſius adeóq; frequentius ad populum verba fecerunt, quàm ſub huius Quadrageſimæ initium. Cuius voluntatis & ipſe ſuperioribus annis exemplum dedi, daturus & nunc: vt qui non dubitem, poſtquam liquidò nobis conſtat, quo animorũ ac pietatis conſenſu horum dierum obſeruatio à Patribus primùm ſuſcepta, ad nos vſque peruenit, multum vtilitatis nobis al-

laturum. Non celabo vos interim,quur ab hoc Dauidico themate nunc ſum exorſus: quò tandem ad id, quod potiſſimum tractare propoſui,non incõmodè delabamur. Faxit Deus, vt è noſtra diligentia fructum aliquem ac pietatem reportetis.

Serm. 2. de Quadrag. Doctiſſimus ille,atque idem ſanctiſſimus Papa Leo,eius nominis primus, his ferè verbis ſub Quadrageſimæ initium ante annos centũ & mille eſt vſus: Licet nobis,dilectiſſimi, appropinquante feſtiuitate Paſchali, ieiunium Quadrageſimæ ipſe legitimi temporis recurſus indicet, cohortatio tamen noſtri ſermonis etiam adhibenda eſt, quæ auxiliante Domino nec inutilis ſit pigris, nec oneroſa deuotis. Nam quum omnem obſeruantiam noſtram ratio iſtorũ dierum poſcat augeri: nemo eſt (vt confido dè vobis) qui ſe ad opus bonum non gaudeat incitari. Natura enim noſtra,manente adhuc mortalitate, mutabilis, etiam ſi ad ſumma quæque virtutum ſtudia prouehatur: ſemper tamen ſicut poteſt habere quo recidat, ita poteſt habere quo creſcat. Et hæc eſt perfectorũ vera iuſtitia, vt nunquam præſumant ſe eſſe perfectos: ne ab itineris nondum finiti intentione ceſſantes, ibi incidãt deficiendi periculum,vbi proficiendi depoſuerint appetitum. *Ser. 11. de Quadrag.* Quis enim in huius vitæ conſtitutus incerto,aut immunis à tentatio-

tatione, aut liber inueniatur à culpa? Quis eſt, qui nihil virtutis ſibi adiici, aut qui nihil vitij ſibi optet auferri? quum & aduerſa noceant, & ſecunda corrumpant: nec minoris ſit periculi carere deſideratis, quàm abundare conceſſis. Inſidiæ ſunt in diuitiarum amplitudine, inſidię in paupertatis anguſtiis: illæ eleuant ad ſuperbiam, hæ incitant ad querelam. Tentat ſanitas, tentat infirmitas: dum & illa materia eſt negligentiæ, & hæc cauſa triſtitiæ. Quia ergo nemo noſtrûm, dilectiſſimi, tam perfectus eſt & ſanctus, vt pfectior & ſanctior eſſe non poſſit: omnes ſimul ſine differentia graduum, ſine diſcretione meritorum, ab iis in quæ peruenimus, in ea quę nondum appræhendimus, pia auiditate curramus: & ad menſuram conſuetudinis noſtræ, neceſſarij aliquid addamus augmenti. Parum enim religioſus alio tempore demonſtratur, qui in hiis diebus religioſior non inuenitur. Vnde oportunè auribus noſtris lectio Apoſtolicę prædicationis inſonuit, dicens: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. Quamuis enim nulla ſint tempora, quæ diuinis non ſint plena muneribus, & ſemper nobis ad miſericordiam DEI per ipſius gratiam præſtetur acceſſus: nunc tamen omnium mentes maiori ſtudio ad ſpiritales profectus moueri, & ampliori fiducia opor

Serm. iterum. 2.

2. Cor. 6

Serm. 4. de Quadrag.

tet animari:quãdo ad vniuerſa pietatis offi cia,illius nos diei, in quo redempti ſumus, recurſus inuitat: vt excellens ſuper omnia paſſionis dominicę ſacramentum purificatis, & corporibus, & animis celebremus. Debebatur quidem tantis myſteriis ita inceſſabilis deuotio,& continuata reuerentia, vt tales permaneremus in conſpectu Dei, quales nos in ipſo Paſchali feſto dignũ eſt inueniri. Sed quia hæc fortitudo paucorũ eſt, & dum carnis fragilitate auſterior obſeruantia relaxatur, dumque per varias actiones vitæ huius ſolicitudo diſtenditur, neceſſe eſt de mundano puluere etiam religioſa corda ſordeſcere: magna diuinæ inſtitutionis ſalubritate prouiſum eſt ,vt ad reparandam mentium puritatem quadraginta nobis dierum exercitatio mederetur: in quibus aliorum temporum culpas,& pia opera redimerent,& ieiunia caſta decoquerent. Ingreſſuri igitur,dilectiſſimi,dies myſticos, & purificandis animis atque corporibus ſacratius inſtitutos,præceptis Apoſto
2.Cor.7. licis obedire curemus: emundantes nos ab omni inquinamento carnis ac ſpiritus, vt caſtigatis colluctationibus quæ ſunt inter vtranq; ſubſtantiam;animus,quem ſub Dei gubernaculis conſtitutũ,corporis decet eſſe rectoré, dominationis ſuæ obtineat dignitatem, vt nemini dantes vllam offenſioné,

vitu-

vituperationibus obloquentium nō ſimus obnoxij. Digna enim ab infidelibus repræhenſione carpemur, & noſtro vitio linguæ impiæ in iniuriam ſe religionis armabunt, ſi ieiunantium mores à puritate perfectæ continentiæ diſcreparint. Non enim in ſola abſtinētia cibi ſtat noſtri ſumma ieiunij: aut fructuoſè corpori eſca ſubtrahitur, niſi mens ab iniquitate reuocetur, & ab obtrectationibus lingua cohibeatur. &c.

Hucuſque Leonem ipſum audiſtis, de eadem re multo diſertius ac fuſius, aliquot iam ſeculis elapſis, præclarè docentē. Quæ quidem hoc loco referre volui, vt clarè perſpiceretis, iam tunc morem iſtum ieiunandi, eumq́ue principiò ſtudioſe amplexandi, non ſolum vtilem, verùm etiam habitum fuiſſe ſanctiſſimum, adeoq́ue neceſſarium. Quod quū & ipſe vobis cupiam perſuaſiſſimum, vos verbis, primùm Dauidis, deinde D. Pauli, ita (mea in Chriſto viſcera dilectiſſimi) conuenio. Eſt inter vos, qui quòd legere neſciat, quid de veteri hac obſeruantia Orthodoxi olim Patres ſcripſerunt minus nouit? Alius Eccleſiæ ſcopum, in eruendis nudiuſtertianis ceremoniis necdum attigit? Agite chariſſimi, hodie ſaltem hoc facite, & ad mentem redite: & quum nunc Domini voce vobis inclamemus, nolite obdurare corda veſtra, quemadmodum olim

Iſra-

Iſraëlitæ fecerunt: magno nimirum ipſorũ malo. Sanè & veſtra magnopere intereſſe credite: relaturi vel æternam requiem, vel non finiendum cruciatum. Recuſabant illi vocem Domini audire: vnde & non iniu-
Num.24. ſta ira in illos intantum exarſit, vt iurarit nullum eorum terram, ad quam illos ducebat, intraturum: quos deſertum ad vnum omnes abſumpſit. Hinc D. Paulus, tanquam
Heb.3.&4 ſpecioſum & efficax argumentum nactus, hoc ipſum ad Hebræos, duobus continuis capitibus crebrò ac diligenter inculcat: & diſertè oſtendit, hanc Prophetæ admonitionem ad Chriſtianos magis, quàm ad Iudæos pertinere: quum illis reuera, neque Moſes, neque Ioſue requiem præſtiterit, atque adeò ne præſtare quidẽ potuerit: quod
Heb.3. noſter Ieſus ſolus poteſt conferre. Quapro-
„ pter & D. Paulus ſubdit: Adhortamini (in-
„ quit) voſmetipſos per ſingulos dies, donec
„ hodie cognominatur, vt nõ obduretur quis
„ ex vobis fallacia peccati. Et ꝓximo capite:
„ Feſtinemus ergo ingredi in illam requiem,
„ vt ne in idipſum quis incidat incredulita-
„ tis exemplum. Dico igitur: *Hodie ſi vocem*
„ *Domini audieritis, nolite obdurare corda veſtra.*
Ioel.2. Fortè rogas, quam Domini vocem audire te
„ velim? Nimirum quæ eſt apud Ioëlem: Con
„ uertimini ad me in toto corde veſtro, in ie-
„ iunio, & fletu, & in planctu. &c. Et apud
Eſa

Eſaiam: Quærite Dominum dum inueniri „ *Eſa.55.*
poteſt, inuocate eum dum propè eſt. Dere- „
linquat impius viam ſuam, & vir iniquus „
cogitationes ſuas, & reuertatur ad Domi- „
num, & miſerebitur eius: & ad Deum no- „
ſtrum, quoniã multus eſt ad ignoſcendum. „
Sed ipſum potius Chriſtum audite: Venite „ *Mat.11.*
ad me omnes (inquit) qui laboratis, & one „
rati eſtis, & ego reficiam vos, &c. Has & ſi- „
miles voces non ceſſat Eccleſia hoc tempore quotidie nobis inculcare: quas ſi audierimus, inducẽt nos haud dubiè in requiem Domini: ad quam nemo, qui hoc facere detrectat, pertinget. Proinde clarum eſt, quantopere noſtra hîc res agitur. Sed iam huius temporis ſcopũ penè vniuerſum vobis deteximus. Nimirum vt vocem Domini, cuius benignitate viam, qua ad ipſius adeoq; noſtrã requiem peruenitur, ingreſſi ſumus: non oſcitanter audiamus, eamq; ſequamur: neque obdurantes corda noſtra, cancrorum more retrorſum abeamus: ſed induti arma *2.Cor.6.*
iuſtitiæ à dextris & à ſiniſtris, viam nobis „
aperiamus per gloriam, & ignobilitatẽ, per „
infamiam, & bonam famam, donec ad pa- „
triam noſtram perueniamus. Vnde non inconuenienter huc adduxero, quod ſuperiori Dominica in eius diei Euangelio Chri-
ſtus ſuis dicebat: Ecce aſcendimus (inquit) „ *Luc.18.*
Hieroſolymam. Quod tametſi de terreſtri „
illa

illa Hieroſolyma dixerit: vtpote quā tunc, ad abſoluendum id ad quod venerat, petebat: non vetat tamen, quo minus cogitationem noſtrā ad cœleſtem illam, ad quam è turbulento & noxio hoc ſæculo nos Chriſtus (quantum in ipſo eſt) iam tranſtulit: quemadmodum olim & Eſras ſuos è Babylone in patriam reduxit: abducamus. Quæ Eſræ iniecta mentio, huic orationi aptiſſimè ſubſeruit. Nam quid aliud nunc agit Eccleſia, q̃ vt quos ocio ac deſidia torpentes videt, oblata ac commonſtrata adipiſcendæ ſalutis ratione, in viam extrudat: eoſ maximè, qui Babylonico, hoc eſt, mundi, diaboli, ac peccati iugo ita ſunt aſſuefacti, vt à captiuis non ſint diſſimiles: ah, per omnia miſeros illos: qui non ad exemplum ſibi proponunt, tam multos è ſimili tyrannide ſemet per Chriſtum fortiter aſſeruiſſe, & etiamnunc quotidie aſſerere: nõ attendunt etiam, hanc aſſerendæ libertatis conditionem, non à quouis mortali regè, verùm ab ipſo Deo, cœli & terræ dominatore, omnibus promiſcuè eſſe propoſitam, gentilibus perinde ac Iudæis, non habita ratione ætatis, non ſtatus, non ſexus, citra omnem planè delectum perſonarum: modò ſint, qui Babylonem, mundi nimirū imperium, turbarum, diſſentionum, vitiorum, impietatis, ac prauitatis pleniſſimum, deſerere volent,

cœ-

cœleſtis Hieruſalem ciues ſunto,immunita tibus,iuribus,gratiis,ac priuilegiis,quæ am pliſſima à Chriſto eſt conſecuta, fruantor. Hoc quod auditis edictum,Deus noui teſta menti tempeſtate,non in vno aliquo loco, ſed per totum orbem publicari iuſſit.Euntes (inquit Apoſtolis ſuis) in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Et (vt ſuprà memorauimus) Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiã vos. Cui aptè ſuccinit D. Paulus ad Rom. 10. Quicunque inuocauerit nomen Domini,ſaluus erit : non enim eſt diſtinctio, nam idem Dominus omnium,diues in omnes qui inuocant illum.

Mar.16.
Mat.11.

Porrò ſi qui adhuc ſunt,qui neque huius edicti ſponſione,neque tam multorum qui iam inde ab Eccleſiæ rudimentis,pro mundi,peccati, atq; diaboli ſeruitute Chriſtum ſunt amplexi, exemplo intantum non prouocantur,vt Babylonico lenocinio ineſcati ab eo non ſuſtineant auelli, patriæ deſiderio non tangantur, oblatam conſequendæ ſalutis occaſionem negligant, paternæ hæreditatis aditionem poſtergent : horũ nunc rationẽ agit Eccleſia,hos nunc potiſſimum ad Quadrageſimæ obſeruantiam inuitat,his ſanandis tam copioſa eſt in exhortationibus,exemplis,& precationibus. Neceſſariũ plane remedium, pro eorum numero, qui

ad

ad hunc modum deſidia, inertia, laſciuia, luxuq́; obtorpeſcunt: non abſimiles iis, quos
1.Eſr.8. Eſras Babylone freqüentes inuenit, quum tamen multis ante annis bona pars Iudæorum patrium ſolum repetiſſet, ac Hieroſolymam cum templo ad priſtinũ decus præclarè inſtauraſſet. Sed ceſſatoribus iſtis, qui Babylonem ita iam imbiberant, vt patriæ non recordarentur: neque regij edicti promulgatio, neque frequens fratrum diſceſſus, qui ſummo cum gaudio patriam repetebant, vel tantillum ad profectionem momenti iniecit: paratis prius cognationis, & diuini fœderis ius reſcindere, quàm Babylonem cum impedimẽtis relinquere. Digni ſanè illi, qui è populi Domini albo eraderentur, relinquerenturq́; ſuæ ignauiæ: ſed tantò magis Eſras omnem diligentiam adhibuit, nihilq́; omiſit intentatum, vt ſi poſſet, ad vnum omnes ſecum abduceret, patriæq́; referret. Et quid obſecro aliud voluit Eccleſia? Nónne tam multæ eius exhortationes, tam continuæ de Dei in nos pietate demonſtrationes, & indefeſſum eius in medendis nobis ſtudium, eò omnia tendunt, vt quantum in ipſa eſt, omnes quos Chriſto genuit è Babylone reuocet, & à mundi vanitate, nequitia, & impietate conuertat? Abducit quidem illa non rarò iuſtam manum: ſed ſemper inuenias, qui comperen-

dinationem interponunt, vel prorſus redire recuſant. Sed quod grauiſſimum eſt, cùm aliquoties nos magno ſuo labore patriæ reſtituit, recurrente anno iterum priſtinis ſedibus affixos videt: vſqueadeo nos dementauit Babylonis iſtius ſpecies, vſqueadeo mundi cupiditatibus irretiti ſumus, intantum auocamur voluptatibus, ita mundi luxûs atque ambitio aciem nobis præſtrinxit, vt vix vnquam de vita corrigenda, tametſi Eccleſia eò ſemper nos vocat, feriò cogitemus. Inquirat iam vnuſquiſq; apud ſemetipſum, ſeduloq́; inueſtiget, quoties Eccleſiæ ope ac interceſſiōe, è Babylonia, peccati & damnationis metropoli, in libertatē & in Dei gratiam fuerit reſtitutus: vnaq́; diſpiciat, vbi terrarū nunc animi ſedem fixit: malè metuo, ne iterū Babyloniæ ſit inquilinus, peccati ſit mancipium, & longiſſimè ſeſe à Deo eiuſq́; populo ſubduxerit. An non ſingulis annis hunc Eccleſiæ, laboris fructum rependimus? Non tamen intermittit illa ſtudiū, immo potius recipit denuò ac adauget, donec nos iterum in ſpem ſalutis adduxerit: memor nimirum Dominici præcepti, qui nullo numero fraternam noxam, vt ſit irremiſſibilis, aſtrinxit. Vix quiſquam noſtrū eſt, qui non meruit, vt benignitatem ſuam Deus erga nos clauderet, ſineretq́; pro noſtra ingratitudine, nos tandem in Babylo- *Mat. 18.*

ne

ne & peccatis noſtris conſeneſcendo, vitam finire: ſed miſericors ille & fidelis permanet, qui negare ſeipſum non poteſt. Quandoquidem igitur Eccleſia Domini ſui mentem rectè perſpexit ac intelligit, ſtudium ſuum in grege ſuo colligendo nunquam remittit: quantumuis ſint, qui nihil aliud quàm Babylonem crepent. Nempe hoc ſaxum iam nunc voluit, totoq; hoc Quadrageſimali tempore non aliud ſpectat, quàm vt quauis ratione à peccati iugo liberatos Chriſto nos vindicet. Clarè nobis denunciat, nunc iter ad ſalutem omnibus hominibus eſſe patefactum: ingerit quàm periculoſum ſit diu in Babylonis ac peccati ſeruitute ætatem conſumere: patriam nobis, vbi perpetuã requiem & ſolidam voluptatem ſecũri obtinebimus, è propinquo commonſtrat: rogat, peccandi tandem finem faciamus, expeditiq; ad ſupernam Hieruſalem curſum inſtituamus: docet, à quo & vnde, ſi pericula inter eundum oboriuntur, præſidium aduerſus omne mali genus petere debeamus: oſtendit, quotquot nunc de Dei miſericordia ſunt ſecuri, non alia ratione ac via diaboli imperio inſultaſſe, & adhuc hac maxima tempeſtate, inſultare: vt nihil timendum ſit, exploratam eam eſſe, & certiſſimam plane.

2Tim.2.

Repeto igitur, chariſſimi fratres: Ecce aſ-

aſcendimus Hieroſolymam, viam ad ſupernam patriam tendimus, vbi implebuntur omnia quæ ſcripta ſunt de filio hominis: immo quæcũque & ipſe ſe nobis daturum promiſit. Quum verò hunc aſcenſum, toto hoc quadraginta dierum curriculo, Eccleſia nobis adumbrat, immo liquidò commonſtrat: videtis, quàm non abs re Eſræ factum ac hiſtoriam in medium nunc adferamus. Nam vt duobus annis proximè elapſis, Ezechiæ primùm ſacram hiſtoriam, 4.Re.20.
deinde Nabuchodonoſoris, ad huius tem- *Dan.4.*
poris inſtitutionem vobis propoſuimus: ita nunc Eſræ reditum in patriam, accommodatum planè ad horum dierum mentem, qui peculiare ſibi argumentum depoſcere videntur, tractandum ſuſcepimus. Supereſt, vt hodie, ſacro hoc nimirum tempore, Eccleſiæ & Domini vocem ſic audiamus, ne corda noſtra grauius obdurata, tandem omnis admonitionis impatientia reddantur. Quare, obſecro vos chariſſimi, torporem tandem excutiamus: iuſto longius peccatis noſtris indormiuimus, & in Diaboli poteſtatem conceſſimus. Curramus ad ciuitatem confugij, vbi tutò liceat vitam emendare, gratiam nunc factorum à Deo conſequi, & in futuram gloriam certa ſpe irrumpere. Neminem criminum ſuorum magni- *Rom.5.*
tudo deiiciat: nam (teſte Apoſtolo) vbi ſu-

„ perabundauit delictum, ſuperabundauit & „ gratia. Nec eſt, quòd laboris quenquam mo-
Rom.8. „ leſtia abſterreat, Non enim ſunt condignæ „ paſſiones huius temporis ad futuram glo- „ riam quæ reuelabitur in nobis. Emendemus in melius, non ſolùm quę ignoranter, verumetiam quæ prudentes & ſcientes pec-
Eſa.55. „ cauimus. Quæramus Dominum dum pro- „ pè eſt, & inueniri poteſt: ne ſubitò præoccupati die mortis, quæramus ſpacium pœnitentiæ, & minimè inueniamus. Tempore
Eſa.49. „ ſiquidem accepto (ait per Prophetam) ex- „ audiui te, & in die ſalutis adiuui te: cui ſub-
2 Cor.6. „ infert D. Paulus, Ecce nunc tempus acce- „ ptabile, ecce nunc dies ſalutis. Sanè pœnitendi ſpatium ad vitæ noſtræ metam arcta-
Ioan.11. „ uit Deus. Duodecim (inquit) ſunt horę diei. Nam certum nobis ac prædefinitũ tempus
Ioan.9. „ eſt, in quo operari liceat. Quod vbi elabi nobis ſinimus, venit nox, quando nemo po-
Mat.25 teſt operari: neque oleum iam venum exponitur, vt lampades noſtras inſtruere poſſimus. Quocirca, chariſſimi, ne negligamus
Rom.13 tempus nobis ad ſalutem indultum: nam
1.Ioã.2 „ hora eſt iam nos de ſomno ſurgere: immò (vt D. Ioannes ait) nouiſſima hora iam eſt, ne adhuc deliberandi ſpacium capiamus. Gratia Dei ſit ſemper vobiſcum.

AMEN.

Dominica Inuocauit, SERMO SECVNDVS.

FERIA ſexta ſuperiori, quàm potui pauciſſimis perſtrinxi, quid hoc Anno thematis loco, per iſtos Quadrageſimæ dies eſſem in concione deducturus: ne videlicet à veteri meo more diſcederem, quo ſingulis annis tale aliquid me facere ſolere, non ignoratis. Erat animus, præſens tempus in nobili illa peccatrice, quæ eſt apud Lucam Cap. 7. abſumere: verùm noſter Eſras, quē mutilatum reliquimus, reclamare videtur: maximè in tanta eius loci, vbi docendi finem fecimus, cum iſtius temporis ratione, congruentia: vt exiguam mihi facultatem ad illa perſequenda relicturus videatur. Oſtendimus ſuperiori concione, Eccleſiam penè idem nunc agere cum ijs, qui Quadrageſimalem obſeruantiam ad eius mentem agunt: quod olim Eſras in reuocãdis ſuis à Babylone ad Hieruſalem, factitauit. Immo totus ille libellus quemadmodum nihil aliud quàm molem rerum, difficultates, ac moleſtias, priuſquam Iudaicus ille populus à Babylone auelli potuit, templum ac cere moniæ inſtaurari, tractat: ita Quadrageſimam hanc non aliud intellige, quàm perpetuam quandam inſtigationem, quæ nos

à peccato pedem monet ad Deum referre: vt non iniuria quis totum hunc libellum ad hoc tempus accommodarit. Deinde (ſi meminiſtis) eouſq; in eius libri expoſitione
Eſr. 8. progreſſi eramus, vbi Eſras, quum populum iam in vnum coactum à nido abſtraxiſſet, ieiunium ac orationem, quò cœpti itineris moleſtia minus afficerentur, Deiq; auſpiciis tuti peruenirent, in commune prædicauit: vt affligeremur (inquit) coram Domino Deo noſtro, & peteremus ab eo viam rectam nobis, & filiis noſtris. Quod quantopere ad id quod Eccleſia nūc inſtituit pertineat, vel me tacente intelligitis. Quemadmodum nec illud eſt alienum, quod proximo ſtatim capite ſubiungitur: vbi Eſras ſua coram Deo abiectione, lamentis, ac fletu, id à populo obtinuit, vt alienigenas vxores repudiarēt, vnáq; cum illo grauiter lugerent. Iam tribus his partibus nónne totus Quadrageſimæ ſcopus pulcherrimè eſt cōpræhenſus? Quare alieniſſimum videretur, ſi in tanta figurarum ac rerum conuenientia, me ab Eſræ contextu, quem hactenus ſum perſecutus, abduci ſinerem: maximè, quum velim, nolim, nunc de ratione ieiunandi, ac vitam corrigendi (quod Quadrageſima vel inuito extorquebit) fuerit dicendum. Vnde rectius fecero, ſi hęc nunc in loco appoſuero: quàm repetita tempore Paſchali, alieno
vide

videlicet,tanquã Calabri hoſpitis xenia ſim obtruſurus. Non enim lætius aliquid,quod tunc tractemus, nobis ſpero defuturum. Non quòd hiſtoriam illam de peccatrice pœnitente penitus abiecerim: ſed hãc cum Eſra ſimul miſcere, vel poſtea ſubnectere, eſt conſilium. Quod principiò clam vobis eſſe nolui,vt quid à me exſpectare habeatis, iam inde vobis conſtaret.

Verùm enimuero id quod primo loco ex hoc libello,cum Quadrageſimæ ſcopo congruere diximus: nimirum quo pacto Eſras, & ante ipſum alij, populo Dei ad iterè Babylone Hieroſolymam capeſſendum,& Domini ac ſacrorum cultum reſtituendum,authores fuerunt: quandoquidem hactenus ſatis multa ea de re diximus, non eſt nunc animus retractare. Iſtud vnum vos rogo atque obteſtor: ne vos in ſequendo, Eccleſiæ duriores,quàm illi ſe ſuis ducibus præbuerunt. Numerus eorum quos Zorobabel primò reduxit,erat quadraginta duo milia,trecenti,ſexaginta,exceptis ſeruis & ancillis. Eſr.2. Poſtea Eſras ſatis magnum numerũ & ipſe coëgit. Ah,quàm ſolidum gaudium Matri huic noſtræ pareremus,ſi & ipſa tam numeroſam manumChriſto lucrifacere nunc poſſet. Sanè non modico plus noſtra intereſt, quàm ipſorum,hæc loci mutatio,ſiue commodum,ſiue detrimentum ſpectes.Vt non

abſurdè Dauidicum illud vobis iterum in-
Pſal.94 „ clamem: *Hodie ſi vocẽ Domini audieritis, no-*
„ *lite obdurare corda veſtra. &c.* Et illud Ieſu
Nũ.14. „ filij Nun: Nolite rebelles eſſe contra Domi
„ num : terra quam circuiuimus valde bona
„ eſt: aſcendamus, & poſſideamus eam. Cæte
rum vt dixi, nolo huic materiæ diutius im-
morari: ſed ad ſequẽtia me recipere, quæ ab
hoc Eſræ loco exorſum habent.

1.Eſra.8 *ET prædicaui ibi ieiunium, iuxta fluuiũ Ahaua, vt affligeremur coram Domino Deo noſtro, & peteremus ab eo viam rectam nobis, & filiis noſtris, vniuerſæque ſubſtantiæ noſtræ.*

AVditis quid ſecundo loco ex hoc libello ad Eccleſiæ inſtitutum petere debeamus. Nam idem eſt vtriuſque factum, & mens per omnia concors. Quod ille in ſui ieiunij præſcriptione ſectabatur, idipſum intendit Eccleſia: puta, vt eius filij tantò certius, cum felici viæ progreſſu, miſericordiam apud Deũ valeant obtinere. Vbi inprimis illud notandum eſt, errare eos ac falli, qui eccleſiaſtica ieiunia inſectantur: quum Eſræ horum præceptio non ad vitium à ſacra ſcriptura, ſed ad non dubiam laudem referatur. Quod diligenter à vobis animaduerſum, atq; in animo repoſitum iri cupio: vt inde vobis conſtet, ieiunia hæc noſtra,

q uan

quando nulla ſuperſtione ſunt vitiata, ſed ſuis ſibi conditionibus conſtent, pia eſſe, ſalutaria, & vt Chriſtiano perutilia, ita DEO gratiſſima. Ad hæc in Eccleſiæ procerum manu eſſe, vt quũ neceſſitas ita expoſtulat, populo illa imponere: quicquid blaterent è nouatoribus iſtis nonnulli. Porrò præſenti loco hæc confirmari melius vt intelligatis, non grauabor rem latius, ſed non multis verbis explicare: ita tamen, vt vberiorem de ea materiam cogitandi apud vos habeatis.

Primũ, non eget multa diſceptatione, ieiunare è Chriſtiani officio magis ne ſit, an comeſſari: nam quiſquis vel communi ſenſu præditus eſt, id facilè poterit diiudicare. Nam ſi homines nos potius eſſe, quàm bruta rationis expertia: & non cuiuſuis religionis, ſed Chriſtianos: ſi in Chriſti ſchola verſari nos, non Epicuri: ſi peregrinos nos hic agere, à patria extorres, & periculis vndique nudos ac hoſtibus patere, vbi ne ad momentum quidem de vita ac incolumitate ſecuri eſſe poſſumus: hæc omnia ſi exactè perpenderimus, adhuc dubitabimus vtrum ieiunare nos magis conueniat, ac deceat, an ventri ſeruire? Sed hæc miſſa faciamus, & orationem noſtram ad Eſrę dumtaxat verba attemperemus. Ex quibus illud principiò pro comperto habemus, ieiunium

à veteris teſtamenti patribus inter ea etiam habitum ac relatum fuiſſe, quibus, vbi neceſſitas aliqua vrgebat, vel ad auertendam Dei iracundiam, vel ad implorandam miſericordiam, vtebantur. Eſras haud dubiè ſi certius aliquod ac præſentius præſidium ieiunio ac oratione ſciuiſſet, fuiſſet eo vſus. Sed nó ipſe ſolus hanc illi authoritatem ac
2.Par.20 opinioné comparauit. Ioſaphat Rex quum ex improuiſo grauiſſimum ipſi bellum illatum eſſet, neque copias ad reſiſtendum haberet, contulit ſe (vt habet Scriptura) ad rogandum Deum, & prædicauit ieiunium
Iud.4. vniuerſo Iuda. Ad eundem modum inſtituit ſuos Bethulienſes Eliachim Sacerdos, quum ab Holoferne tantùm non extrema
Eſth.4. paterentur. Eſther quoq; Mardochæo, cæteriſque ſuæ gentis hominibus, ne Amani truculentiam experirentur, ieiunium indi-
Ion.3. xit. An non Rex Niniues, quum ad Prophetæ interminationem poſt quadraginta dies vniuerſam vrbem cum incolis perituram intellexiſſet, etiam bobus & iumentis, nedum hominibus, cibo ac potu interdixit? Sed exemplorum non eſſet numerus, ſi omnia hîc recenſere vellem: quò minus eſt mirum, multo minus culpandum, ſi Eccleſia filiis ſuis, quos videlicet Chriſto reconciliare intendit, ieiunandi morem inducit.

Secundò liquet, non hoc ſolum ieiunio de-

delatum fuiſſe,vt vtile iudicarent ac neceſſarium,& ob id tam familiare ſibi feciſſe: verum etiam apud Deum nõ vulgare pondus habuiſſe. Nam apud Eſram quidem ita ſubditur : Ieiunauimus autem , & rogauimus » Deum noſtrum,& euenit nobis proſperè. » Et non multo poſt : Et manus Dei noſtri » fuit ſuper nos,& liberauit nos de manu ini- » mici , & inſidiatoris in via . Quibus verbis » apertè conuincitur,Deum ipſorum ieiunio ac orandi ſtudio fuiſſe delinitum : alioqui non ita ad ſententiã illis omnia eueniſſent, ſed potius contrà . Quod in Iona etiam aliquanto clarius refertur:Vidit Deus(inquit) » opera eorum,& miſertus eſt, &c. Quemad- » modum & in libris Iudith & Eſther, quos ſuprà citaui,eſt manifeſtũ. Proinde ſi Deus Iudaico ieiunio demulceri potuit: immo ſi ne Niniuitas quidem ieiunantes opinione decepit,in vtrorumque bonum ac ſalutem: noſtro nos ieiunio gratiam ac pietatem detrahemus, maximè quum ad vnum omnes finem ſcopumq; ſpectemus? Eſrę ieiunandi cauſa fuit , vt humiliaremus (inquit) Deo animas noſtras: Eccleſia verò ad hanc,com plures alias habet , cur nobis ieiunandum exiſtimet. Quarum vna eſt,quòd hoc pacto pro admiſſis ſceleribus ipſi nobis pœnã irrogamus , & diuini iudicij rigorem noſtra ipſorũ auſteritate inflectimus,auertimusq;: au-

1.Eſr.8

Ion.3

authoritatem ſuam adhibente D.Paulo,qui
1.Cor.11 ait: Si noſmetipſos diiudicaremus,non vti-
„ que iudicaremur. Altera,quòd vbi carnem
noſtram cum vicijs ſuis ac concupiſcentijs
ieiunando domamus ac crucifigimus, facilius nos à peccando cohibemus. Quod ſe fa
1.Cor.9 „ cere D. Paulus apertè pronunciat: Caſtigo
„ (inquit) corpus meum,& in ſeruitutem re-
„ digo, ne quum aliis prædicauerim, ipſe re-
„ probus efficiar. Tertia,quòd animum ac
ſenſus omnes ad precandum tanto expeditiores ac promptiores habemus, quanto ſe-
1.Pet.2. uerius carnalibus deſideriis, quæ, D. Petro
teſte, militant aduerſus animam, alimenta
negamus. Quarta, quòd idipſum quod orando conſequimur, & ſi quæ præterea ad
virtutem adminicula habemus,non tam facilè nobis elabuntur: quando contra carnalium deſideriorum irruptiones excubias agimus. Nam ſi ſenſibus,hoc eſt cuſtodibus,vel
eluſis, vel oppreſſis intra vallum irruerent,
nulli dubium,quin nos armis ac rebus omnibus ſpoliarent. Quinta, quòd quò ipſi
nobis ad victum parcius neceſſaria ſuppeditamus,eò ſunt ad ſuccurrendum pauperib⁹
facultates nobis ampliores. Et hæc eſt vel
præcipua, grauiſſimaque inter cæteras, &
quam illi fidei noſtrę columnę vnicè & pro
Eſa.58. babant & colebāt: nimirum vt iuxta Eſaiæ
„ præſcriptū, frangas eſurienti panem tuum,
&

& egenosvagosq́; inducas in domum tuam. „
&c. Hoc eſt, inquit Dominus, ieiuniũ quod
elegi. Neque aliud ita inculcant, qui è Pa-
tribus ſua monumenta ad nos tranſmiſerũt
(vt de Leone ſuperiori concione euidenter
eſt oſtenſum) quàm quòd hanc nobis ieiu-
nandi rationem commendent, vt quod no-
bis ſubtrahimus, pauperib⁹ erogemus. Pro-
inde perſpicuum eſt, nõ vnam eſſe cauſam,
easq́ue iuſtiſſimas, quibus Eccleſia hunc ri-
tum contra vitilitigatores defendat. Iam
ne quadrageſimalis quidem huius diſcipli-
næ ſimplex eſt ratio. Quarum prima eſt,
quòd, quemadmodum omnium rerum, ita
etiam dierũ anni Deo decimas pendamus.
Proxima, ne à Chriſti atque Patrum exem-
plo, qui horum dierum nũmerum, precibus
ac ſacræ meditationi indulgentes explerũt,
quantum in nobis eſt, diſcederemus. Ter-
tia, vt toto hoc ſpacio, ad diligentius reco-
lenda impenſa nobis ſalutis ac redemptio-
nis myſteria, animum ante aſſuefaceremus
excoleremusq́; : vt ſi cum Chriſto crucifixi
ac mortui fuerimus, cum eodem etiam re-
ſurgamus. Poſtrema, vt per hoc in æternæ
illius ac beatæ vitæ memoriam delabamur,
vbi citra alimẽtorum ſuſtentationem cum
angelis Dei ætaté nunquam finiendam du-
cturi ſumus. Iam vt ad id vnde digreſſi ſu-
mus redeamus: noſter Eſras vnicam dunta-
xat

xat cauſam ſuo ieiunio prætẽdit: ſed quam ſacra ſcriptura ad nõ obſcuram gloriam illi attribuit. Et tam impudenter temerarius erit aliquis, qui Eccleſiæ cõſuetudinem, tot ſanè rationibus & piis iuſtisque cauſis vallatam, improbare audebit? Atqui de ſecunda quidem parte hæc dicta ſufficiant. Porrò tertia, quam dixi, in his Eſræ verbis incumbit: Ego (inquit) prædicaui ieiunium: quaſi dicat, priuata authoritate, ſed neceſſitate extorta, non legale & perpetuum (ad quod aſtricti tenerentur) ſed præſenti periculo congruens, ieiunium indixi. Habebant etiam illi è lege ſtata tempora ieiunãdi, ma
Leui.23 ximè quũ feſtum Expiationis celebrarent, ab ipſo Deo præſcripta: verùm hoc, de quo loquimur, nõ Deum, non Moſen authorem habet, ſed Eſram, hominem ſanè priuatum. Eiuſdem generis fuerunt & illa, quæ ſuprà à Ioſaphat, Eliachim, Eſther, & rege Niniues præcepta memorauimus: voluntaria etiam illa & temporaria, & ad quæ nemo lege, vel Dei præcepto teneretur. Iam & hoc diligenter attendite: Eſras, Eliachim & Mardochæus nullam publicam perſonam gerebant: Ioſaphat, & rex Niniues, tametſi ſummo apud ſuos loco eſſent, prophano tamen: nihil interim obſtitit, quò minus ſuis ieiunium rectè, è ſcripturæ ſententia, præſcripſerint. Et tu, Eccleſiaſticis magiſtratibus
nõ

nō relinques,vt dum publicæ ſalutis curam agunt,ſimile aliquid iniungant? Sed dicis: non illis præcepit Deus, vt nouis ſanctionibus populum grauarent,ſed Euangelium duntaxat annunciarent. Reſpondeo: quis Eſræ, & cæteris, quos ſuprà nominaui, in mandatis dedit, vt vbi vrgeret neceſſitas, ſubditos ſuos hac ieiunandi moleſtia vexarent,& flagellum flagello cumularent? Sed quid ſtultius? Nuſquam in lege de patria, & priuata cuiuſq; in domeſticos poteſtate, mandatum aliquid legimus: nemo tamen patrifamilias detraxerit,vt penes ipſum nō ſit ſuis præcipere, actionum momenta ac vices ordinare, edendi, dormiendi,ludendi poteſtatem facere,& omnia ad ſuum arbitrium reuocare: neq; verò liberis vel ſeruis conceſſerit,vt contra ipſius imperium aliquid attentare præſumant. Neque fuerit admodum neceſſe: nam ipſa patrij nominis impoſitio hanc ſibi authoritatem,vel vltro arrogat,vel tacitè depoſcit. Quanq̃ non errarit,qui hoc dominico præcepto, Honora patrem tuum & matrem, de ea cautum dixerit. Ad eundem modum dixero de magiſtratibus & primatibus eccleſiæ: Eſto,nunquam illis à Chriſto poteſtatem factam,vt nouas leges ac decreta rogarent: ipſa Apoſtolici numeris functio hoc ſanè includit. Nam ſi Eccleſiam Dei, in qua eos Spiritus

Exo.20

ſan-

ſanctus epiſcopos poſuit (vt D. Paulus ait)
Act. 20 regere habent, nemo negabit opinor, curare eos debere, vt politia ac ordo ſeruetur: nam vbi hominum conuenticula aguntur, non parum facilius pane & aqua careas, quàm politica illa moderatione, qua in officio contineantur. Hanc autem adminiſtrare eſt omnino impoſſibile, niſi pro temporum, rerum, & perſonarum varietate: eadem authoritate liceat veteres leges inflectere, & nouas iubere. Præterea quum ſacra ſcriptura ſuas præceptiones ita ferè omnibus iniungit, vt nullũ faciat modi aut temporis diſcrimen: nónne ſuis vicariis ſatis apertè mãdaſſe videtur, vt hæc ipſi per ſe ſimplicioribus denuncient, & modum ſingulorum ac tempus præſcribant? Alioqui niſi hac ratione cum illis egeris, nunquam quod iubetur perficerẽt. Sed quod dico, exemplo fiet lucidius. Præcepit Deus, vt à nobis coleretur: Chriſtus docet & mandat, vt oremus, agamus pœnitentiam, cómunicemus eius corpori & ſanguini, & plæraque alia: at his nullum certũ tempus præfixit. Nónne tibi iam Eccleſia cóſultò agere videtur, quæ ne hæc & ſimilia in contemptum tandem, diſſuetudinem, & obliuionem (apud plæroſque ſaltem) abeant, ſingula ad certum tempus ordinemq́ue aſtrinxit? Quam eius cautionem, earum videlicet rerum quæ per
ſe

ſe piæ ſunt & neceſſariæ, plurimumq́ue habent ad mandatorũ Dei obſeruantiam momenti: nemo facile eludat, aut contemnat. Non enim hic ſuum negocium, ſed Dei, à quo nimirum omnis poteſtas eſt, teſte D. Paulo, tractat. Quò etiam pertinet, quod Rom.13
apud D. Lucam dicit Chriſtus: Qui vos ſper „ Luc.11.
nit, me ſpernit: qui autem me ſpernit, ſper- „
nit eum qui miſit me. Et alibi: Si eccleſiam „ Mat.18
non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publi „
canus. Quod ſubinde etiam inculcat Salomon, quum præcipit ne patris noſtri ac matris præcepta tranſgrediamur. Patrem verò intellige D E V M, matrem Eccleſiam. Neque adeò exempla deſunt, è quibus depræhendere liceat, Deum aliquoties multo grauius in illos animaduertiſſe, qui vicariam ab ipſo poteſtatem exercebãt, iniurij aut alioqui graues fuerunt: quàm ſi in
ipſum ſe delictum admiſiſſent. In Deutero- „ Deu.17
nomio ita cauetur: Qui ſuperbierit nolens „
obedire ſacerdotis imperio, ex decreto iudi- „
cis morietur homo ille. grauiter ſanè, quum „
plæraque etiam Dei præcepta huic noxæ eximantur. Iam in confeſſo eſt, in Dathan Num.16.
& Abiron, qui Moſis imperiũ populo graue exiſtimabant ac intolerabile, multo durius fuiſſe vindicatum, q̃ in Dauidem, qui inſontis viri necem adulterio cõiunxerat, ne facti 2.Reg.12
ſui alium præter Deum vindicem haberet.

Et

Et an non rationi conſentaneum, Deum in temeratores illos aliquanto grauius inſurgere: quum hæc ipſorũ inſolentia, peruicacia, contraq́; magiſtratus prę̨ſumptio, in Deum, quatenus Eccleſiæ vnitatem ac ordinẽ conuellit, publicè palamq́; redundet? Sed iam receptui canamus. Videtis igitur quàm copioſam ſapiendi materiam è paucis illis verbis habeamus, Ego prædicaui ieiuniũ. &c̃. Quæ ſi ad mentem quis ſę̨pius reuocauerit, conſequetur haud dubie, vt ſi quid illi tę̨dij ex hac obſeruatione (vt multis contingit) oboritur, citius depellat, & ad eam ritè obeundam alacriorem ſe magis ac magis inueniat.

Feria quarta poſt Dominicam Invocavit, Sermo tertius.

ETSI ſuperiori Dominica, tam Euangelij, & Eſræ occaſione, quàm Eccleſiæ admonitu ob huius temporis religionem, non pauca de ieiunandi ratione diſſeruerim: tamen, quòd temporis breuitate excluderer, de eadem re nonnihil videtur etiam nũc dicendum: partim, vt quid quiſq; de ea ſentire debeat, in horum præſertim temporum confuſione, cognoſcat: partim vt expeditiores ad id, quod præcipuè

puè dicendum propoſuimus, veniamus.

Principiò, an non valde abſurdum videtur, quum ieiunium nobis in iocum & riſum vertamus, in eo perſuadendo multum velle laborare? Sanè: ſi Eccleſia interim nobis permitteret, vt tantam rem ſilentio premeremus. Nam ſacræ ſcripturæ enarrationem tractanti, velit, nolit, neceſſe eſt eam rem ſæpe in concionem deducere: niſi velit ſingulis ferè paginis cōmiſſuram admittere. Ita vt auſim (meo quidē iudicio) affirmare, Eccleſiā magna ex parte poſſe ſanari, inſtaurariq́; ſi res eò deduceretur, vt ieiunij vſum, germanū illum & gneſium, vt ab Eſra olim, Iudith, Eſther, Ioſaphat ac Niniuitis, immo & ab Apoſtolis, & Eccleſiæ erectoribus, vſurpatum fuit, vno omnes animo denuò admitteremus. Non temerè dixi, germanum: nam ieiunium nulla non tempeſtate, etiam in veteri teſtamento, vitio & defectu apud populum laborauit. Eſaias totum caput in *Eſa. 58.*
Iudaici ieiunij abominatione, nimirum iuſſus à Deo inſtar tubæ vocem exaltare, conſumit. Chriſtus etiā ipſe in Euāgelio grauiter inuehitur in Phariſæos, negans eos gratiam ſui ieiunij apud Deū habituros. Neq; Orthodoxi Patres hac in re ocioſi fuerunt, ieiunij obſeruātiam longè aliter tradentes, immo & agentes, quàm fit hodie. Quò fit, ingruentibus paſſim in eam peruerſis opi- *Mat. 6.*

nionibus,vt difficile ſit de ea tractare. Nam ſi,ad exemplũ Eſaiæ,ieiunij abuſum reijcis, & ꝓfligare tentas:ita accipiunt,quaſi telum in ipſius ieiunij (quod tamen ſanctum,& à Deo rectè inſtitutum fateri coguntur) iugulum contorſeris. Si id ſcripturæ authoritate aſſerere & ſtatuere niteris: iam te omnium earum rerum, quas ieiunium hodie poſt ſe trahit,aſſertorẽ faciunt:intantum,vt ſi quis ieiunium (ita vt eſt) vtile ac pium probare conatur,paraſitus,ergaſpiſtes,meritarius,deniq; Papiſta audiat neceſſe eſt: perinde ac ſi ieiunium nuperum ſit,& Papiſticum inuentum: & veteris teſtamẽti Patres,Prophetæ, Ioannes baptiſta, quin & Chriſtus ipſe, & Apoſtoli non antè ieiunarint,q̃ papiſticum nomẽ fuerit auditum. Quare niſi hæreticus & Eccleſię hoſtis haberi voles,ieiunium (ita vt nunc obſeruatur) frigidum,ineptum,ſtupidum ac infructuoſum, impurũ deniq; & erroneum populo relinquas oportet: quaſi illud ex Eccleſiæ traditione tale habeamus. At verò quum ieiunij in tota ſacra ſcriptura tam frequens & celebris eſt mẽtio,vt mundus rumpatur,non eſt mihi ſilentio prætereundum. Veſtrum eſt attendere,qua circunſpectione id à me præſtetur:nam diſcrimen certum eſt facere. Inprimis quicquid Eccleſię calculo eſt approbatum,& à fidelibus ad hęc vſq; tempora receptũ,id meum non eſt

reij-

reijcere aut iugulare: ſicut neq; è contrario, quod cum ſacræ ſcripturæ & Eccleſiaſtica traditione nõ quadrat, approbare. Iam mihi certo certius eſt, ieiunandi ritũ in vtroq; teſtamento ſanctum ac celebrem habitum fuiſſe: vt nemo neotericorũ inuentum eſſe dicat. Deinde & hoc mihi certum eſt, Quadrageſimæ obſeruãtiam inter Eccleſiaſticas traditiones vnam è vetuſtiſſimis eſſe & haberi: & quæ, omnium tam Græcorũ quàm Latinorum ſcriptorũ conſenſu, ab Apoſtolis ipſis tanquã per manus nobis ſit tradita: hoc eſt, quam ipſi ſectatoribus ſuis & prædicarunt & docuerũt. Vnde (quod è vetuſtorum Patrum, & qui ad ætatem Apoſtolorũ proximè acceſſerunt, ſcriptis eſt manifeſtũ) tanto ſpiritus feruore, & incredibili promptitudine, iam tunc, & per aliquot inde ſæcula eſt celebratũ. Proinde facere non poſſum, quin id quod è ſacra ſcriptura ortum habet, & ab Apoſtolorum vſq; ætate ad nos peruenit, ſanctè ſuſcipiam, & ſuſcipiendum prædicem. Verum tale ieiunium, quale nũc in vſu eſt, haudquaquã ob id probaro. Nam ſi verum fatear, non multum abſimile ab eo
exiſtimo, quod Eſaias, immo Deus ipſe in Iu- *Eſa.58.*
dæis tantopere carpit: ſi non etiã aliquanto deterius. Nam tametſi illi nihilo timidius quod libitum erat faciebãt, proximis litem ac negocium faceſſebant, & omnem planè

humanitatis & pietatis affectum erga fratres exuebant, immo & fœnore & intolerabilibus exactionib⁹ exſugerent: ieiunabant tamen, & ſibiipſis moleſtiam adferebant, intantum vt præ inedia vertigine nonnunquam & glaucomate corriperētur, cinerem & ſaccum ſternerent, in veſperam vſque,
Iudith.12 quod de Iudith legitur, ieiuni perdurarent:
Ion.3. & quod in Eſther & Niniuitis palàm eſt, ni
Eſth.4. hil penitus edulij guſtarent: neque interim vinum aut aliquid quod palato voluptatē
Dan.10. adferre poſſet, vt Daniel, ad corporis firmitatem acciperent. An non hæc inſignem bene ieiunantium ſpeciem præ ſe ferebant? At nos, obſecro: quid præter nominis vmbram tenemus? Ab vno quidem genere cibi abſtinemus, ſed nihiloſecius vino nos ingurgitamus: carnibus non veſcimur, interim Sardanapalicam quandam voluptatem in piſcium apparatu, in nouis & exquiſitis nobilium herbarū confecturis, vt ſunt gelu in patina, Martius panis, & tam varia è ſaccaro tragemata, ſectamur: ſubtrahimus nobis edulia, ſed de peccandi conſuetudine nihil detrahitur: æquè vani, petulantes, laſciui, & intractabiles ceruicem coram Deo nō mollimus, proximis nihil concedimus, & in ſumma ne pilo quidem meliores euadimus. Sed quod prandendi tempus ad vnius aut alterius horæ ſpacium differimus, præclaram

nos voluntatẽ ad implendum Eccleſiæ prę-ceptum attuliſſe putamus,& quũ ſub veſperam menſam diuerſi generis cupediis abũde inſtruimus,illud emẽtito potius collationis nomine, q̃ cœnæ vocabimus : tametſi perinde ac ſi cœnati eſſemus,corpus & genium bene curauim⁹. Et adhuc,vt dixi,de ieiunio noſtro nobis placemus, tanquã ſi officio noſtro bene perfuncti eſſemus, catholicos nos facimus:alios qui non ſequuntur,quacunq; demum neceſſitate impediantur,pro hæreticis & perditis habemus . Et hæc quidem omnia,quaſi authoritati Eccleſiaſticę,à qua nimirum ieiunium hoc mutuati ſumus,inniteremur : quũ (ſi verum dicere velimus) Eccleſiæ potius ac Deo contumeliam irrogamus,& hæreticis inuehendi in Eccleſiam eiuſque inſtitutiones, nimis iuſtam anſam præbemus . At ſi audire libet, quale ieiunium Eccleſia nobis tradit?

Vtamur ergo parcius
Verbis,cibis,& potibus,
Somno,iocis:& arctius
Perſtemus in cuſtodia.
Vitemus autem peſſima,
Quæ ſubruunt mentes vagas:
Nullumque demus callido
Hoſti locum tyrannidis.
Dicamus omnes cernui,
Clamemus atque ſinguli,

Ploremus ante iudicem,
Flectamus iram vindicem.
Noſtris malis offendimus
Tuam Deus clementiam,
Effunde nobis deſuper
Remiſſor indulgentiam.

Hoc eſt ieiunium quod Eccleſia nobis præſcribit: & ad eum modum ab vtriuſq; teſtamenti Patribus olim eſt celebratum. Aduerſus tale ieiuniū non video quod aliquis oblatrare poſſit. Certe Eſras, quem præ manibus habemus, tale ieiunium prædicauit. Et quicquid hactenus in ieiunij commendationem dixi: videlicet, laudabile eſſe ac pium, & Chriſtiano dignum, non obſcuram neq; ambiguam ad pœnitendum viam, denique magno eſſe apud Deum loco (vt non ex Eſra ſolo, ſed è diuerſis ſcripturæ locis euidenter oſtendi:) de tali omnino ieiunio dictum volo. Quæ quum ita ſint, inſigniter errant, qui non ferunt, aut ſaltem lacerant, quod eccleſia ad tale ieiunium per verbi ſui præcones, immo per ſummos pótifices, nos
Exo.34. aſtringat, vocetq;, & ne ſemper fluctuemus,
3.Reg.19 certum ad hoc tempus, puta hanc Quadra-
Mat.4. geſimá, idq; exemplo Moſis, Heliæ, & cumprimis Chriſti ſeruatoris noſtri, præſcripſit. Quod ſi penes Eſram authoritas fuit ſuos ad ieiunandum prouocandi: an perperam agit Eccleſia, quæ nos ita affatur?

Ex more docti myſtico
Seruemus hoc ieiunium,
Trino dierum circulo
Ducto quater notiſſimo.
Lex & prophetæ primitus
Hoc protulerunt: poſtmodum
Chriſtus ſacrauit omnium
Rex atque factor temporum.

Ex quibus omnibus apertè conuincitur, quàm ſtolidè & præter æquum faciant,qui id quod Eccleſia grauiter ſanè & prudenter ad faciliorem obſeruātiam mandatorū Dei inſtituit,nulla omnino ratione,& cum magna eccleſiaſticę tranquillitatis perturbatione,contemnunt. Ad hoc manifeſtū eſt eos inſigniter falli,qui pro Achillæo argumēto ita colligunt:Deo nihil eorum probari,quę ipſe per ſe palàm non promulgauit. quum cōtrarium ex ijs quos ſuprà adduxi,Eſra,Ioſaphat,Mardochæo,Niniuitis, alijsq́ue permultis,quorū ieiunia Deo pergrata fuerunt etiamſi præceptum non accepiſſent,apertè doceatur. Et hæc ferè ſunt,quæ mihi nunc de ieiunio,primū in genere,deinde de huius quadrageſimæ potiſſimum ratione,dicenda occurrerunt. Illud p̄terire nō potui ob Eſræ locū: ad hoc præſentis temporis occaſione, & Euangelij quod proxima dominica eſt lectitatū,opportunitate,non inuitatus ſolùm fui,ſed coactus. Et vtrunq; ſacræ ſcripturæ

authoritate ſatis arbitror vallatū. Supereſt, vt verè ac Chriſtianè ieiunemus: alioqui oleum & opera nobis (vt ait ille) perierit. Faxit Deus, vt hæc & alia ſedulò cum mente pertractemus.
Amen.

In nonum Eſræ caput:

DOMINICA REMINISCERE, SERMO PRIMVS.

ESRÆ partim, partim præſentis temporis occaſione, duabus iam continuis concionibus de ieiunandi ratione abundè diſſerui. Prædicabat ille ieiunium, quod qui cum eo erant religioſe ſuſceperunt, quo affligentes coram Deo animas ſuas, rectam ac minimè periculoſam viam à Babylone in Hieruſalem, patriam nimirum, ab ipſo obtinerent. Eccleſia verò ad hoc exemplum proximè accedens, Quadrageſimæ obſeruantiam nobis proponit: quò iter noſtrum verſus ſupernam illam Hieruſalem, parato nobis à Deo commeatu & præſidio, & inſtituamus facilius, & citius cōficiamus. Certè ad vtrunque hoc non parum confert ieiunium. Nam & exſoluit animū, quò facilius poſſet ipſe ſe tranſcendere, & in Deum erigere: deinde vbi iam criſtas nobis detrahimus

mus,& in anteactorum criminum deteſtationem ieiunando, aliiſque id genus moleſtis exercitamentis,pœnam ipſi nobis irrogamus,fit vt citius in gratiam à Deo recipiamur. Deus ipſe, quum Iudæis feſtum Expiationis iniungeret: affligetis animas ve- Leui.23
ſtras in eo (inquit) vt propitietur vobis Do »
minus Deus veſter. Ex quo nō ſolùm loco »
colligere licet, Deum non temere peccata remittere, niſi vera animi indicia proferimus,grauiter ob eorũ memoriam nos angi. At quis credat ita nos eſſe affectos, quum præ nobis nihil niſi ludum ferimus,græcamur,potamus,ſaltamus,iocamur, & omnis generis laſciuia diffluimus? Non ita,chariſſimi: non ſunt illa cõtriti ac humiliati cordis argumenta,ſed gemere, plangere, mœrere,plorare,orare, neceſſitatem aperire, ab omni denique ſe voluptate & proteruia abſoluere. Hæc illa ſunt ſigna,interiores ærumnas,& non fictum cordolium atteſtantia, quibus olim Deus à Niniuitis delinitus:maximè quum ad prædicationem Ionæ nihil moræ interponerẽt: vindictam ab illis, ſententiamq; reuocauit. Sed ieiunium,video, me denuo abriperet: abſoluam, ſi hoc vnũ addidero. Non ſecus atque Eſras celebrato cum ſuis ieiunio,fuſiſque ad Deum orationibus,incolumes lætiq́ue in patriam peruenerunt: ita & nobis feliciter ſuccedet,ma-
gno

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

gnoq; nos bono cumulabimus,ſi ieiunium ita vt decet,& à Patribus ad nos vſque peruenit,peragere curabimus. Iam ad Eſram: Nonum caput exorditur ſic.

POſtquam autem hæc completa ſunt,acceſſerũt ad me principes,dicentes: Non eſt ſeparatus populus Iſraël,& ſacerdotes,& Leuitæ,à populis terrarum,& de abominationibus eorũ: Chananæi videlicet,& Hethæi, & Phæreſæi,& Iebuſæi, & Ammonitarum, & Moabitarum,& Ægyptiorum,& Amorræorum. Tulerunt enim de filiabus eorũ ſibi, & filiis ſuis vxores,& commiſcuerunt ſemen ſanctum cum populis terrarũ. Manus etiam Principum & Magiſtratuum fuit in tranſgreſſione hac prima.

EX huius capitis exordio facile intelligitis,quàm opportunam huic tempori hiſtoriam nunc adferamus: in qua omnia ea inuenias,quæ ad vitę correctionem,& ad Quadrageſimam ritè obeundam, neceſſaria noſcuntur. Vtinam & nos tantam animi promptitudiné in obediendo, reijciendiſq; à nobis vitiorũ retinaculis,declaremus: referremus procul dubio fructũ omnium opinione & exſpectatione maiorem. Vnde nó abſurdè optarim talem omnibus Epiſcopis &

& paſtoribus mentem, qualem toto hoc capite Eſræ deprehendimus: & eiuſcemodi in populo pectus, quod, illorũ exemplo, haud grauatè duci ac flecti poſſet. Nam duob⁹ his comparatis, nulli dubium eſſe debet, quin Quadrageſimã hanc cum magno noſtro cuiuſq; ꝓfectu, & publicę calamitatis euidenti conualeſcentia, Deo nobis ſuffragante, agemus. Sed vtrunq; ab altero non poteſt eſſe diſiunctum: nam ſi alterũ, vel in paſtoribus vigilantia, vel promptitudo in plæbe, defuerit, nihil egerimus. Quid ſi paſtor verbi munere ritè fungatur, ſi nemo ſit qui ſequatur? Iam vt vulgus ſe morigerũ præbeat, velitq; vitio nuncium remittere, illis interim non niſi ſemetipſos paſcentib., quid magni fuerit? At ibi vtrunq; eſt præſtitum: certabat cum ipſo populus de diligentia, exhortandi ipſe, illi ſemet emẽdandi. vnde neceſſe fuit, vt feliciter res ſuccederet. Interim an non mirũ, quòd Eſras homo priuatus, nõ quemuis populum ſed Iudaicum, qui toties indomitus & durę ceruicis audiuit, tam facilè ad repudium eorum, quæ nobis ſecundum naturam ſunt cõniunctiſſima, omitto ad vulgarem reſipiſcentiam, adduxit? At quanto nos iuſtius in eiuſmodi ſtudium conſpirare debemus, qui non ab vno Eſra prouocamur, ſed à tam multis: Moſe nimirum, Prophetis, Chriſto, Apoſtolis, Eccleſia,

&

& tam multis eius vicariis, qui vnanimi omnes conſenſu & ore nos eò inuitant? Sed iam quid Eſras in populo correctione dignum inuenerit, quoq; modo ad ea tollenda proceſſerit, audiamus: quò tandem & ad noſtrorum defectuum cognitionē & emendationem nos oratio perducat : nempe vt quadrageſimalem ſanctionem, & pœnitentiæ tempus, & arripiamus certius, & felicius peragamus. Laborauerat Eſras principiò non mediocriter, priuſquā reſides illos, qui à priori remigratione in Babylone ſuperfuerant, patriæ deſiderio tingere, & in vnum cogere potuiſſet: Deinde quum iam ad iter accincti eſſent, non parū ſollicitus eſt, vt eos à periculis ſartos tectos in patriam perduceret. Quod vbi perfeciſſet, ſuprà modum exhilaratus eſt, tanquam qui rem tam præclaram feliciter abſoluiſſet, & nihil in poſterum moleſtiarū timendum ſibi duceret. At vix conquierat, quum ingens illi derepente negotium factū eſt ab ijs, qui priori loco migrarant, vt denuo ad planctum & lachrymas confugere cogeretur: immo etiā timere deberet, ne ira Dei iterum in populum deſæuiret, & in hoſtiles terras aliquò ob præuaricationem relegarentur. Quantū, putatis, laboris & ſollicitudinis pius ille vir & verus paſtor prius perpeſſus eſt, quàm populum ab hac tranſgreſſione reuocaret? Sed

nullo

nullo modo ſibi parcendum ratus, tanta diligẽtia in hoc incubuit, vt quemadmodum antea à Babylone omnes ad vnum abduxerat: ita nunc obtinuit, vt ad auertendã Dei iram vno animo, pro ſe quiſq; ſanctis admonitionibus parérent. Hinc ſibi petant Eccleſiarum paſtores exemplum, quod ſequãtur. Qui Dominici ouilis curam ſuſcepit, habet ſemper quod agat, nõ eſt quod ferietur, aut de diligentia remittat: inueniet ſemper petulcas, quę vel ſe cogi non ſinant, vel à caula reſiliant. Ad verum paſtorem valde multa requiruntur: quanq̃ negligitur. Dignitatem omnes ꝑmiſcuè ambiunt: verùm quid exigat, nemo eſt qui cogitet. Simon Ioánis (ait Christus Petro, neq; id ſemel, ſed iterum & tertio) diligis me? paſce oues meas: ac ſi dicat, Non potes mihi rem gratiorem facere, neque quanti me facias certius declarare, q̃ ſi earum quas tanto meo labore aſſerui, curam egeris, ſeduloque ne qua mihi pereat, annisus fueris. Inde eſt, quòd Dominus tam grauiter conqueratur de ocioſis, craſſis, infidis, & ſui tantum ſtudioſis paſtoribus: in quos acerrimè inuehitur. Apud Ezechielẽ, *Væ* (inquit) paſtorib. qui paſcebant ſemetipſos. Nónne greges à paſtoribus paſcũtur? ac comedebatis, & lanis operiebamini: & quod craſſum erat occidebatis: gregem aũt meum non paſcebatis. Quod infirmũ fuit,

Ioan. 21.

Eze. 34

non

„ non conſolidaſtis: & quod ægrotum, non
„ ſanaſtis: quod confractũ eſt, non alligaſtis:
„ & quod abiectũ eſt, non reduxiſtis: & quod
„ perierat, non quæſiſtis: ſed cum auſteritate
„ imperabatis eis, & cum potentia, &c. Intel
ligebat nimirũ Eſras, quid ſe facere deceret:
quare neq; conquieuit, quandiu aliquos Ba
byloni adhuc deditos videret, vel illic eſſe,
qui patrias leges infringerent, comperiſſet.
Nam vtrobiq; periculum erat. Siue enim in
Babylone hæres, puta extra vnitatẽ catho-
licæ Eccleſiæ: quæ ad exemplum Arcæ, eos
Geneſis.7 ſolos ſeruat, quos compræhendit: ſiue intra
Eccleſiæ pomeria receptus, ſecus quàm de-
cet profeſſionẽ tuam, te geſſeris: nam tales
Ephe.5. (teſte D. Paulo) non habent hæreditatẽ in
„ regno Chriſti & Dei: æquè perieris. Iam cer
tum eſt neminem perire, niſi qui deploratę
fuerit malitiæ: in grauem eius paſtoris dam
Eze.33. „ nationem, cuius negligentia id accidit. San-
„ guinem eius (inquit Dominus apud Ezechi
„ elem) de manu ſpeculatoris requirã. Quare
quum Eſram non prętериret, quàm graue &
metu plenũ erat populum ſuo errori relin-
quere, remis veliſque (quod aiunt) obniſus
eſt. Deus faciat, haberemus aliquàm multos
eius animi paſtores, qui Eſram in hoc facto
gnauiter æmularentur: quin potius faciat,
vt ne vnus quidẽ ſit, qui tanto ardore mune
ris ſui partes obeundas nõ accingatur. Sanè
non

non-habet, cur culpam in Eccleſiā deriuent: quid ſiquidem illa, toto hoc potiſſimū tem pore, aliud quàm ad ſimile opus paremq; di ligentiam ſuos vicarios exemplo inuitat? Secundo loco: ſed quod ad omnes ꝑtinet: ex hac hiſtoria docemur, nō eſſe procraſtinan- dum in morū correctione, neq; ita in Chri- ſtianiſmo viuendum, vt ethniciſmū refera- mus. Cæterum de hoc poſtea diffuſius: nam pro rei geſtę fœcunditate, quędā adhuc enu cleatius ſunt penſiculanda. Principio vi- dete mihi, quàm ſyncerè & puro affectu, ij qui cum Eſra poſteriores redierant, ad pa- triæ gloriæ & diuini cultus reſtitutioné an helant. Vixdum ſedes acceperant, & ſtatim Eſræ, quid in iis deſiderant qui priores ve- nerant, ſuggerūt. Quod ſanè exemplum eſt abſolutiſſimæ pietatis: vt ſilentio videlicet nō foueas, neq; diſſimules, ſi quid contra di- uinam voluntatem patrari cōſpexeris. Nam qui Deum amat, vult eius honori omnibus modis conſultum: Qui proximū, non debet eius ſaluti, ſi qua poteſt, deeſſe. Iā quomodo im Deum quàm proximū amare cenſendi int, qui impietatem in proximo ferunt, & cendo cōniuent? Vnicuiq; mādauit Deus ,, Eccl. 17
proximo ſuo: ait ille. Cui & D. Paulus ita ,, Gal. 6
ffragatur: Si præoccupatus fuerit homo ,,
aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, ,,
ruice huiuſmodi in ſpiritu lenitatis, &c. ,,

Por

Porrò fraternam correctionem quo pacto inſtituere debeamus, Chriſtus nos inſtruit:
Mat.18 Si (ait) peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eũ inter te & ipſum ſolum. ſi te audierit: lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit: adhibe tecum adhuc vnum vel duos. Quòd ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ.&c̃. Huius exemplum in Iudæis iſtis animaduertere licet. Videbãt fratres enormi vitio laborare: ſed quod, pro numero eorum per ſe ipſi corrigere non poſſent. Neq; tamẽ integrum ſibi ſilere exiſtimant: vt qui illud cum Dei voluntate pugnare, ipſoſque illos graui alioqui periculo exponi, nó ignorarent: metuere etiam haberent, ne ſi factũ illud impunitum & inemendatũ relinqueretur, priuatã noxam Deus publica aliqua calamitate expiaret: quod factum legimus
Ioſue.7 in Ioſue, quum vnius priuati hominis furtũ victoriam ad hoſtes traduxit. Nam ſi peccato alterius non obſiſtis, dum tibi facultas ad id porrigitur, noxam in proprium etiam
Rom.1. caput adſciſcis. Quoniam non ſolùm qui
„ talia agunt digni ſunt morte, ſed etiam qui
„ conſentiunt facientibus.

Sed quid iam ab illis exſpectas? plena omnia veræ in Deum & proximũ charitatis. Accedunt Eſram, quidnam vitij in eis depræhenderint exponũt. Quare nó eſt, quòd eos quiſquam delatores vel accuſatores fra

trum

trum fuiſſe exiſtimet: quũ palàm ſit ex eo, quòd rem ad vnum Eſram detulerint, à quo nimirum, pro ipſius in Dei rebus cognita diligentia, & pro ea authoritate quam ſibi vulgò collegerat, voluntatem inde, hinc facultatem deeſſe non ſperarent: non aliud ipſos, quàm nudam fratrum correctionẽ ſperaſſe. Vnde manifeſtum eſt, eos ſtudium non in hoc contuliſſe, vt vel fratribus calumniam ſtruerent, vel Eſræ ob delatam authoritatẽ palparent: ſed vt fraternæ duntaxat charitatis rationẽ haberent: quemadmodum & Ioſeph, quæ in fratribus notauerat, patri legitur aperuiſſe. Gen.37 Hanc ſollicitudinẽ æquum erat & nos ita æmulari, vt nemo fuerit nobis tam cõiunctus, quem, ſi perperam agere cõſpexerimus, nõ admoneamus, velimuſq; correctũ. Qui dixit patri ſuo, & matri ſuæ » Deut.33
(ait Moyſes) neſcio vos: & fratrib. ſuis igno »
ro illos: & neſcierunt filios ſuos: Hi cuſto- »
dierunt eloquiũ tuum. Et ipſe, nónne hunc »
affectum euidentiſſime expreſſit? In tantũ propendebat beneuolẽtia in ſuos, vt quum eos Deus internecione deleturum ſe minaretur, Exo.32. ipſe è vitæ albo eradi maluerit: tamẽ ob vituli aurei abominationẽ vſqueadeo in eos iracundia exarſit, vt in pœnam viginti tria millia hominũ gladio mactauerit: laudaueritque Leuitas, quòd in hac animaduerſione nullum coniunctionis aut neceſſitu-

dinis diſcrimẽ habuiſſent. Quis hoc factum inhumanitatis, immo crudelitatis non arguat? quùm reuera fuerit zeli diuini, quo & honorẽ Dei ſaluum volebant, & ſcelus atrociſſimũ expiatum. Tale quid & in Phinees
Num.25. Eleazari filio deprehendas: qui virũ & mulierem palàm turpiſſimo exemplo rei venereæ operam dantes, pugione confodit. Quo de facto, non ſolùm non reprehenſionem à Deo meruit: verùm ſibi & poſteris ſummi ſacerdotij dignitatem in perpetuum reportauit. Vnde liquet non vindictæ ſtudium fuiſſe, ſed zelum. D. Paulus etiam nõ diſſimili
1. Cor.5. vehementia Corinthium eum, qui nouitate facinoris gentiles etiam exemplo vincebat, tradit Sathanæ; idq; in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti: quo nihil intemperiei, aut vindictæ datũ liquidò intelligas. Et ita tradit, vt corporis duntaxat malo edoctus, reſipiſcat: ne putes illum, eum qui ſanari poterat, ſanum noluiſſe. Habetis iam ſummam eorum quæ primo loco ex huius capitis exordio admonitos vos volebam: nempe vt magno animo, ingentiq; feruore in peccati exterminationẽ inſurgatis, tam in emendationem veſtrum ipſius, quàm aliorum, ſiue ad vos pertineant, ſiue fraternitatis tantùm neceſſitate ſint coniuncti. Quod tanti fuerit momenti, vt niſi tale animi ſtudium corripiamus, non video quid vnquam emenda-
tio-

tionis vel à nobis ipſis, vel ab alienis expectare debeamus.

Sed iam quid ad Eſram querimoniæ delatum fuit, audite. Non eſt (inquiunt) ſepa ratus populus Iſrael à populis terrarum, & de abominationib. eorum. Quod perinde ſonat, ac ſi ꝑ cultu Dei idololatriã amplexi eſſent. verũ res paulopoſt aliter explicatur: nominatim, quòd paſſim cum circumhabitantibus vicinis, tam ipſi, quàm liberi eorũ connubia contraxiſſent. Iam id fortè ea de cauſa feciſſe videri poterant, quò inita ſocietate, nihil ab eorum armis timendum ſibi, qui paruo adhuc numero erant, putarent. Verùm Malachias propheta (quem nõnulli Eſram facere conati ſunt) has alienigenas mulieres, proprijs & ſuæ gentis vxoribus, quas abiecerãt, etiam ſuperinductas innuit. Niſi fortè velimus dicere, id eos ſibi licere putaſſe: quũ vxores ſuas, natura, vt ſemper, flaccidas, & à nouitate rei abhorrentes, con fecto longo ac difficili itinere viderẽt labore ac annis graues, neq; ad propagandam ſo bolem idoneas: animum & affectum ab illis auocaſſe, repudiaſſe demũ: deniq; earum loco, iuuenes re & forma lautas, tametſi gen tiles, duxiſſe: & ita nulla ipſorum culpa (vt putabant: quod tamen per ſe grauiſſimum neq; ſimplex peccatum erat) cõtracta cum vicinis neceſſitudine, ſeſe aduerſus ipſorum Mala.2.

 iniu

iniuriam arte muniiſſe. Inprimis Deus per
Deut.7. Moſen diſertè cauerat, Ne vnquam cum ali
enigenis fœdus inirent, neq; ſociarent cum
eis coniugia. Iam quum hoc præceptũ nullam
exceptionẽ pateretur: nihil agũt, quòd
id publicæ firmitatis ac tranquillitatis cauſa,
quò à gentium violentia ſe vindicarent,
feciſſe ſe dicerent. Nam id perinde eſſet, ac
ſi Deo non ſatis fiderent: ſe citra gentium
affinitatẽ, ſolo ipſius præſidio tutos non fore.
Deinde periculũ erat, ne per hanc vnionem,
progreſſu temporis, in Ethniciſmũ &
idololatriam, more patrum ſuorum, qui ob
id è patrijs ſedibus eiecti erant, relaberentur.
Ea enim vel præcipua cauſa erat, cur
vetuerat Deus, ne cum gentibus familiaritate
Ibidem. tate ſe deuincirent. Nam ſuperioris præcepti
„ pti ratio ad hunc modũ ibi redditur: Quia
„ ſeducet filium tuum ne ſequatur me, & vt
„ magis ſeruiat diis alienis. Præterea an non
intercedente hac copula, quicquid ſanctimoniæ,
quicquid gratiæ peculiariter à Deo
conſecuti erant, communione vel obliterabãt,
vel tranſmittebãt? Delegerat eos Deus
in peculiarem ſibi populum, fœdus cum eis
Exo.19. percuſſerat, ſolos ex omnibus gentibus voluntatis
ſuæ ac conſiliorum participes fecerat:
intantum vt peculium ſuum eos vocaret:
Deut.4 „ ret: Moſe etiam ita dicente: Non eſt alia
„ natio tam grandis, quę habeat Deos appropin

pinquãtes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cun- »
ctis obſecrationibus noſtris. At quicquid il »
lud erat vel ſanctitatis vel electionis, non
abſurdè vltro deponere, vel renunciare videbantur, quum ab electa ſtirpe ad alienos degenerarent. Neq; hoc tacuerunt, qui delationis authores erant: nimirum quòd ſemen ſanctum, quod in Abrahamo Deus benedixerat, & è quo Chriſtus erat naſcitur⁹, cõmiſcuiſſent cum populis terrarum. Quin
& Malachias eadẽ de re his verbis illos per- *Mal.2.*
ſtringit: Tranſgreſſus eſt Iuda, & abomina- »
tio facta eſt in Iſrael & in Ieruſalem, quia »
cõtaminauit Iudas ſanctificationẽ Domini »
quam dilexit, & habuit filiam Dei alieni. »
Diſperdat Dominus virum qui fecerit hoc: »
quia Dñs teſtificatus eſt inter te & vxorem »
pubertatis tuæ, quam tu deſpexiſti. Poſſent »
& alia enumerari, quæ hoc factum ipſorum non parum aggrauant: qualia ſunt, quòd nõ multo antè, ſingulari & penè inſperato Dei beneficio, è tam longinquis regionibus patriæ ſunt poſtliminio reſtituti. Deinde quòd in hoc facinus à tam multis eſt cõſpiratum: idque non à plæbeis ſolum, verum etiam à ſacerdotib. & Leuitis. Et quod atrociſſimũ eſt, principes ac magiſtratus (quod textus aperte dicit) in hac trãſgreſſione primos & Coryphæos fuiſſe. Quoniam quum magiſtratus ipſe non dubitat palàm piacu-

lum admittere: conſequitur,vt vulgus minori pudore ſequatur,neque vitio ſibi vertendum putet (modò pro vitio ducat) quod eos qui authoritate & doctrina pollent, deſignare conſpexerit. Quare nemini mirum eſſe debet, ſi hoc facinus ad Eſram ſtatim referendum putarint. Nam quò non impietatis ꝓgreſſum fuiſſet, niſi prius opprimendum quàm inualeſceret, curaſſet? Nihil ſiquidem ita timendum eſt, quàm vbi magiſtratus cum plæbe, clerici æquè ac laici, & in vniuerſum totum Reip. corpus vno animo in malum conſentiunt. Diximus iam, quid Eſras in Hieruſalem curandum offenderit: vnde nobis ampla ad cogitandũ materia: niſi ſi quis hæc ad ſe pertinere nó arbitratur. Sanè D. Páulus nos ita alloquitur:
1. Theſ. 4.
„ Non vocauit nos Deus in immunditiã, ſed
„ in ſanctificationem: hęc eſt enim voluntas
Apoc. 22. Dei, ſanctificatio veſtra. Porrò D. Ioannes,
„ qui ſanctus eſt (inquit) ſanctificetur adhuc.
At quid magnopere nos venditem? vereor
Pſal. 105. ne in nos quadret, quod eſt apud Dauidem:
„ Commixti ſunt inter gentes, & didicerunt
„ opera eorum &c. Quare ſi cordis noſtri aures aperuerimus, audituri ſumus totam terram, quàm lata eſt, dicam hanc contra nos ingenti vociferatione intendere: retinnire cœlum, Deoque hanc vocem reddere, quòd ſanctum noſtrum ſemen, nomen, ac profeſſio-

ſionem Chriſtianam commiſcuerimus cum populis terrarum, & abominationibus eorum: ea potiſſimũ illuuie, quam tantopere hîc in Iudæis inſectamur. An non concubinatus, quem paſſim ſacrati homines ita ſibi permittũt, vt vſu ac numero ſe tueantur (vt de prophanis nihil dicam) fœditas & abominatio eſt pluſquam gentilis? nam illi (vt D. Paulus ait) ambulant in vanitate ſenſus „ ſui, obſcuratũ habentes intellectum &c. vos „ autem (inquit) non ita didiciſtis Chriſtum. „ *Ephe.4*
Neque mihi quis facilè perſuaſerit, hoc vitij vſpiam gẽtium familiarius eſſe, quàm apud nos Chriſtianos: & potiſſimum illos, quos decebat eſſe alieniſſimos: vtpote quib⁹ à D. Paulo dictum eſt, Exemplum eſto fidelium *I.Tim.4*
in verbo, in conuerſatione, in charitate, in „ fide, in caſtitate. Demum à Chriſto: Sic lu- „ *Mat.5.*
ceat lux veſtra coram hominib. vt videant „ opera veſtra bona, & glorificent patrem ve- „ ſtrum qui in cœlis eſt. Sed demus hoc eſſe „ leue: quid tandem adulterio poteſt eſſe execrabilius, horrendum magis, & minus ferendum? quod non Iudæi ſolùm, ſed plæ- *Deut.22*
ræq; gentes de lege morte plectendum cenſuerunt? Et hoc nuſquam admittitur, tum frequẽtius, tum liberius, quàm apud noſtræ gentis homines. Ad hæc, an nõ abominatio eſt longè teterrima, vita hęc noſtra libidine, proteruia, laſciuia, impudentiaque longè

corruptiſſima? Singulorũ ordinum, conditionum, ætatum, vtriuſque denique ſexus mores aduerte: nónne inuenias quos in habitu curioſitatem, in victu pruritum, licentiam in verbis, impudentiã in geſtibus, ſcurrilitatem in ſcriptis, in picturis turpitudinẽ, in cantilenis laſciuiam, in omnibus denique actionibus vanitatem voluptatemque perſequi, ac præ ſe ferre palàm conſtat? vt non abſurdè quis dixerit, totum mundum Floralia nũc agere, ac impunè libidinari. Olim quum Deus cataclyſmo vniuerſum mortalium genus deleret, hanc quaſi rationem ſeueritatis ſuæ reddit: Caro ſunt, & cuncta co-
Gen. 6. gitatio cordis intenta eſt ad malum omni tempore. Sed quid nũc dicturum putamus, immo & facturum, ſi vel iuſtam in nos ſententiam, vel vindictam proferret? Poſſúmne igitur optimo iure hęc verba ad nos referre: Non eſt ſeparatus populus Iſraël, & ſacerdotes, & Leuitæ à populis terrarum. &c.? Iam & illud attendite, quòd quatuor genera hominum hoc vitio laborare dicuntur: primũ vulgus, deinde ſacerdotes, tertiò Leuitæ, quartò principes ac magiſtratus, qui aliorũ cenſuram agere debuerant. Quid, quòd hi ipſi (quod & hodie paſſim vſuvenire videmus) authores ferè populo huius facinoris fuerunt, anteſignani ſaltem? Verùm Paulum tandem aliquando fulminantem audia-

diamus. Hoc (inquit) ſcitote intelligentes, „ Ephe.5.
quòd omnis fornicator, aut immundus. &c. »
non habet hęreditatem in regno Chriſti, & »
Dei. Et ſubiungit: Propter hæc venit ira »
Dei in filios diffidentiæ. Alibi ita: Vindex » 1.Teſ.4
eſt Deus de his omnibus, ſicut prædiximus »
vobis. Vos nunc videte, ſannis ac ioco hæc excipere debeant, qui eiuſcemodi vitio ſunt obnoxij: immo, num & in Deum euidẽter ſint contumelioſi, habeantq́;, cur huius temporis opportunitatem non amittant? Verùm enimuero vnicam dumtaxat hactenus vomicam ſecuimus: quis porrò orationis finis, ſi vniuerſa vlcerùm genera, vt ſunt ſuperbia, auaritia, ira, inuidia, gula, impietas in proximum, perfidia, impoſtura, furtum, homicidia, cum ſexcentis aliis, quibus quoſuis Ethnicos multis paraſangis antecedimus, pro argumenti tam neceſſitate, q̃ amplitudine in ſcænam traheremus? Et tamen hæc omnia his paucis verbis comprẹhẽduntur, Populus non eſt ſeparatus à populis terrarũ & abominationibus eorum. Proinde quantum ex huius capitis initio ad vitæ correctionem rectè inſtituendam adiumenti habeamus, modò in notitiam noſtrũ ipſius deduci nos patiamur, ipſi iudicate. Non admonemur vulgarium peccatorum, ſed quæ titulo gentilium abominationẽ exaggerat: & ob quæ gentes olim illæ, quæ hîc nomi-

nãtur,Chananæi,Phæreſæi.&c̃.à natali ſolo exterminari meruerunt. Nec eſt,quòd nobis ſecundiora polliceamur, niſi ab horum contaminationibus eueſtigiò nos vindicemus: Chriſto nobis inclamante, Si non pœnitentiam habueritis,omnes ſimiliter peribitis. Et hæc quidem nunc aduertite. Cogor iterum dicere, non eſſe iocum hæc, ſed rem maximè ſeriam, adeoq́; terroris ac periculi pleniſſimam: ſi de nobis verè dici poteſt, nos etiamnũ gentilium ſpurcitiis detineri, &ab iis in cunctis abominationibus quàmminimum differre. Donet Deus,vt his meditandis ſedulò occupemur. Amen.

Luc.13.

Feria quarta poſt Reminiſcere,

SERMO SECVNDVS.

QVid,quantumq́; partum fuerit Eſræ negocij,ex admiſſo eorum, qui priores è Babylone Hieroſolymam redierant: ſuperiori concione audiſtis. Non enim ſolùm inita cum vicinis gentibus ſocietate,ſibi & filiis ſuis ex eorum ſtirpe legerant vxores: verùm etiam (quod è Malachia colligitur) ſuæ gentis vxores,quòd fortaſſis ob itineris longitudinem ac difficultatem debilitatæ

labore, ſenioq; fractæ erant, repudio dimiſerant. Quo de facto intantum non dolebant, vt niſi Eſras, velox ille ſcriba in lege Dei, ſuperueniſſet: qui enormitate ſceleris attonitus, doloremque facto exæquans, ad mentem illos reduxiſſet: ne per ſomnium quidem (vt videtur) de offenſa quam admiſerant cogitaſſent: vt futurū augurari liceat, Deum ipſorum malis craſſaque negligentia denuò exaſperatū, grauiter in eos animaduerſurum fuiſſe. Atqui vnus Eſras ne hæc fierent interceſſit. tam multum valet interdum vir vnus ad populū errore ſoluēdum, quem vita integra, & ſpectata modeſtia vulgo reddidit gratioſum. Porrò quòd authores illi ſceleris, id quod patrarant, minimè ſibi vicioſum ducerēt: vel ex eo liquet, quòd ita ſtatim à reditu, à tam promiſcuè multis idque omnium ordinū, negocium ſit attentatum: perinde ac ſi ſtudio quodā ac æmulatione, quis quem præueniret, incitati fuerint: tantùm abeſt, vt rei iilicitæ aliquis ſe oppoſuerit. Mirum quòd tam cito obliuiſci potuerint, triſte illud exilium, miſeramque ſeruitutem, quam paulò antè Dei beneficio effugerant. Immo diaboli potius vafricies, & animus irrequietus, in admirationem & cautelam nobis trahenda: qui, quos ob intermiſſam Babyloniorū conſuetudinē idololatriæ ereptos dolebat, aliis arietibus Hiero

roſolymæ oppugnat. Miſerabilem interim humanam ſortem, quum ſemel victoribus, nouo iterum conflictu ſit conferendum, & æquè ſemp periculoſa ſit alea. Populus iſte antea in Babylone nullis rerum procellis à patria lege & religione potuit ſeduci:& hîc cupiditatibus ſe vincendos præbent. Ibi neq; hoſtium periculo terrentur, hîc à mulierculis ſuperantur.

Nemo neget, hiſce de rebus illa tempeſtate ad hunc modum diſſeri potuiſſe: poteſt & hodie. Quis enim numerus eſt illorũ, qui ſimulatq; Paſchæ dies præterierint, ne cogitabũt quidem ſemel, quòd nunc à Deo in gratiã fuerint recepti, ex iniquiſſima diaboli ac peccati ſeruitute in numerũ filiorũ Dei, tam euidẽti eius cum miſericordia, ſint relati? Et quis tam firmus, quem vel Hieroſolymitanum municipium reddet ſecurũ?
Luc.22. „ Simon, Simon (ait Chriſtus Petro) ecce Sa-
» thanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut tri-
» ticum. Multo iuſtius habemus nos, quod timeamus. Non ſtatim ſecuri ab eo ſumus, quòd Hieroſolymã peruenimus, hoc eſt in Eccleſiæ membrũ ſumus cooptati. Si quandiu mundum hoc eſt Babylonem effugere curamus, illaqueare nos non poteſt: illud aget, vt Eccleſiæ nunc ciues ad defectionem pertrahat. Quare diſertè monet nos D. Pau
1.Cor.10 lus: Qui ſtat (inquit) videat ne cadat. Et D.
Pe-

Petrus: Sobrij eſtote,& vigilate: quia aduer „ I.Pet.5
ſarius veſter Diabolus,tanquam leo rugiẽs, „
circuit, quærens quem deuoret. Id ſanè in „
confeſſo eſt,Diabolum nunc multo plures in naſſam illicere,attrahere,captiuare,ac iugulare ſolo voluptatum ac carnalis concupiſcentiæ phyltro, quàm olim fecerit perſecutionis tempore,exquiſitis illis ad edomandam virtutem tormentis. Hoc eſt illud po- Apoc.17
culum plenũ abominationis,è quo iſte animarum prædo omnibus paſſim,cuiuſcunq; demum conditionis,miſcet,ac ebrietatem, mortemq́; ingenerat. Et nuſquã illi minus obſiſtitur: vt ne dicã, quòd tam multi,alibi alioqui fortes ac ſtrenui, vltro labia admoueant,epotentq́; venenum.Sed iamdudum tempus eſt,vt,quid cõſilij tam difficili morbo attulerit Eſras,explicemus. Sequitur:

QVumque audiſſem ſermonem iſtum, ſcidi pallium meum, & tunicam, & euelli capillos capitis mei & barbæ, & ſedi mœrens.

NIhil amplius ad hodiernum argumentum nobis deſumam.Principiò deprę-henditis in hoc Eſræpectus religioſum planè,& ſyncerè pium.Nam tales qui ſunt,nõ temerè vnquam magis cõmouentur,quàm vbi honori diuino derogari, & miſerorum mortalium ſalutẽ in periculum deduci,conſpexe-

ſpexerint. Qui enim voluptatē ſuam omnē in eo conſtituit, vt diuinum honorē, & proximorum ſalutē pro virili ſua promoueat: quid aliud poteſt, quàm angi ac lugere, vbi ſecus quàm optabat, viderit eueniſſe? Nempe hoc erat, puta amor Dei & proximi, quur Eſras tam efflictim dolore ſe perfunderet. Secundò loco hîc inſtituuntur, quo pacto cōmiſſi gregis curam agere debeant, qui ad hoc ſunt delegati: videlicet, vt nunquam feriandum ſibi ducant, nuſquā conquieſcant, donec in ijs corrigēdum aliquid, emendandumq́ue aduerterint. Qualis paſtor erat D.
2.Cor.11 Paulus, qui omnium eccleſiarum curam ita
» in ſe receperat, vt verè dicere poſſet: Quis
» infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcan
» dalizatur, & ego non vror? Eandem ſedulitatem præſtat & noſter Eſras. Quum audiſſet fratres ſuos, præuaricationi obnoxios in Deum frequentes teneri: vnde ab eo irato nō ſolùm metuendū illis erat, verùm etiam ne ꝓpinquo ac procliui gradu ad grauiora deſcenderent: nō vt rem leuem accepit, ſed grauiter vt debuit ponderauit. Reuocabat
Geneſis.6 ad memoriam, Deum olim nefandæ libidinis cauſa totum mundū aquis diluuij perdi diſſe. Succurrebat, quinq; olim oppida cum
Gen.16. omnib. incolis ſuis, ſolo Loth cum filiabus dempto, ob flagitioſum & execrabilem veneris vſum, cœleſti igne ac ſulphure arſiſſe.

No-

Norat, multa quondam hominum millia à Domino ob id fuiſſe interempta, quòd à Moabiticis mulieribus à carnali conſuetudine ad affinem idololatriam ſe ſuſtinuiſſent ſeduci. Non ignorabat, totam penè tribum Beniamiticam, Veneris etiam cauſa, quam Gabaonitę in cuiuſdam Leuitis vxore fœdè exercuerant, cæteris tribubus vindictam ad ſe reuocãtibus, internecione fuiſſe deletam. Repetebat etiam memoria, in quantas ſe calamitates, adulterij cauſa, Dauid ille antea ad Dei mentẽ factus, agglomerantibus pòſt vndiq; malis coniecerat. Non illum deniq; latebat, Salomonẽ illum à Deo dilectum & ſingulariter prudentẽ, ad extremum, priori gloria penitus obſcurata, per allophylarum mulierum conſuetudinem tantum nõ fuiſſe dementatum. Hæc omnia memoria quum teneret ac reuolueret, non potuit animo grauius conſternari, quàm quòd ſuos muliebri viſco, maximè gentilium, implicitos audiret. Quomodo non potuit peſſimum omen concipere? Timebat ſtatim, ne Salomoni de ſapientia nõ concederent: videbat rem non hic conſtituram, ſed ſerpturam latius. Nam diabolus ſi quem his pedicis ſemel rectè irretierit, trahet quò volet. Quod in tertio Eſræ libro, vbi Zorobabel apud Darium regem cõcludere nititur, nihil muliere in rerum natura inueniri fortius

Nũ. 25. *Iud. 20.* *2. Reg. 12* *Eccl. 47.* *3. Eſræ. 4.*

„ tius,his verbis aptiſſimè conuincitur. Mu-
„ lieris cauſa (inquit) accipit homo gladium
„ ſuum,& vadit in viam facere furta & homi
„ cidia: & quum furtum fecerit,fraudes,& ra
„ pinas,amabili ſuæ affert. Et multi demẽtes
„ facti ſunt propter vxores ſuas,& ſerui facti
„ ſunt propter illas: & multi perierunt,& iu
„ gulati ſunt,& peccauerunt propter mulie-
Prouer.5 res.Hinc eſt quòd & Salomõ,integer adhuc ipſe,tam multis verbis,nec vno loco,monet filium ſuum, vt inuigilet ne muliebri forma capiatur. Poſteaquam enim cupiditatibus tuis ſemel fręnum laxaueris,nulla tui pars eſt quæ venenum nõ bibit: acrimonia ingenij retunditur, animi vigor flacceſcit, memoria confunditur & obſtupeſcit,vt de corporis malis nihil dicam: non potes ipſe tibi rectè conſulere,neq; fers conſilium tibi adhiberi ab alio: inuiſum eſt tibi,quicquid pium eſt & honeſtũ: animus inſtar Eurypi voluitur ac reuoluitur,vt qui nihil aliud agit,quàm vt voto potiatur,hoc eſt, libidine ſe ſaturet: nõ iam exiſtimationis,modeſtię, æquitatis rationem habes: non tangeris pudore,non metu,nõ reuerentia: reddis te deniq;, non ſolum Deo & angelis eius,verùm etiam toti orbi grauẽ: vt brutum te potius dixerim (ſi tamen te ita compręhendero) quàm hominẽ. Vera eſſe quæ dico,nedum quotidiano vſu,ſed ſcripturarum etiam te-
ſtimo

ſtimoniis confirmatur. Apud Oſee ita: For „ *Oſee.4.*
nicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor. „
Vinum & mulieres (ait ſapiens) apoſtatare „ *Eccle.19*
faciunt ſapientes. D. Paulus etiam eos qui „ *Ephe.4.*
ſe tradiderunt impudicitiæ, dicit tenebris „
obſcuratum habere intellectum, alienatos „
à vita Dei per ignorantiam quæ eſt in illis „
propter cæcitatem cordis ipſorum. Quare „
& ſummæ ignominiæ & quaſi opprobratæ
vanitatis loco, gentibus ob negatũ Deum,
in cuius notitiam creaturarum confeſſione
peruenire potuiſſent, hoc vindictę genus irrogatũ affirmat: tradidit (inquit) illos Deus
in deſideria cordis eorum in immunditiã, „ *Rom.1.*
vt contumeliis afficiant corpora ſua. &c̃. „
Illud iam mihi perpendite, chariſſimi, Si D. „
Paulus (verè, vt arbitror) libidinem & impudicitiam, ipſis gentibus in opprobrationem & vindicationem erroris à Deo inflictam dicit: quo tandem colore hęc in nobis hærere dicemus, ſi necdum ipſi gentilium abominationib. renunciauerimus, & ſancti ſeminis generoſitatem, fidem nimirum noſtrã, nomen ac profeſſionem, & quicquid à Chriſto inſignium habemus, eorum ſpurcitiis vitiauerimus? Tanto altius, quod de Hieroſolymitanis deſignatorib. hîc refertur, nobis imprimere debem⁹. Eſras (vt diximus) rem neglectui non habuit. Cæterũ in argumentum veri & intolerandi doloris, quo ex eius

facti nuncio totus abſorptus eſt, tria de eo referuntur: quòd veſtes diſcerpſerit, capitis comam ac barbam euulſerit, totum deniq; ſe ad mœſtitiam collegerit. Non deſunt for taſſis, qui parum virile putant, quòd dolori tam impotenter indulſerit. Alius ita: Quid diſcerptio veſtimentorũ, capillorum laniatio, ad rem contulerunt? Non temerè augu ror eſſe qui hæc nobis tacitè obiiciãt, quum vulgò ridiculi & parũ ſani habeantur, ſi qui externis ſignis ſenſum doloris, vrgente pec catorum pœnitudine, exprimere voluerint. Sola (inquiunt) fides ſufficit. Ergo qui eiulatu, & lachrymis, corpore, habitu, & geſtibus ad humilitatẽ compoſitis, ieiunio etiã, vigiliis, & id genus corporalibus tormentis, ſe non fictè admiſſorũ pœnitentia torqueri dolore ſtimulante docuerit: pro inepto & ſuperſtitioſo habendus eſt, qui his ſignis arroget relaxandi poteſtatem: aut pro impio, qui Chriſti ſanguini aut meritis diffidat? Quin illi euidenter declarant, ſeq; produnt, admodum ſibi tenuiter peccatorum diuino rumq́ue iudiciorum pondus eſſe perſpectũ: ſacrasq́ue literas non niſi primoribus labiis deguſtatas. Alioqui non ſic vilipenderent iſta, neque exſibilarent: immo & ſeipſos le uitatis plecterent, qui in tanta criminũ exundantia ad imminentem calamitatem nõ mouerentur: aliis paſſim malum malo redi

mentibus. Quò non humilitatis ſeſe abiecit
illa Euangelij peccatrix? Præter quòd ama- *Luc.7.*
riſſimè plorat, quibus nõ indiciis & officiis,
neglecto Phariſæorum ſupercilio, animi ſi-
gnificationem declarat? Immo quid potuit
præſtare amplius? An non ſimilem pietatẽ
in rege Niniues liceat animaduertere? Sta- *Ionæ.3.*
tim ad nunciũ Prophetæ, corripit ſe è thro-
no, abiicit diadema ac purpuram, ſaccũ in-
duit, macerat ſe ieiuniis, iacet proſtratus in
cinere, edicto etiam ſubditis imperat vt ſe
ſequantur: hauddubie pluribus indiciis do
lorem ac metum teſtaturus, ſi potuiſſet. Ma
naſſes itidem Rex, compedibus quominus *2.Par.33.*
tale aliquid facere potuerit impeditꝰ, quàm
ſuppliciter, laxato animi impetu, clamat ad
Dominũ? Publicanus in Euangelio tundit *Luc.18.*
pectus, non audet oculos in cœlum attolle-
re. &c̃. Nõ igitur caret exemplo quod Eſras
fecit, neque qui illum hodie ſequuntur: illo
præſertim ſenſum publicæ calamitatis, quã
cum paucis ſoli capiebant, huiuſmodi exter
nis ſignis aliorum animis efficaciter impri-
mente: vt periculi videlicet magnitudinem
ſuo dolore metirentur.

Supereſt, chariſſimi, vt nos ad Eſræ ex-
emplum penitus componamus: petamusq́;
à Deo, vt in veram cognitionem admiſſo-
rum veniamus. Nam tum demum rectè pœ
nitebimus, ſi criminum turpitudinem, &

quid inde nobis conflauerimus mali, animo compræhenderimus. Quo facto, auſim dicere, ne Eſræ quidem exemplis nos fore cõtentos: paratos non ſolùm veſtimenta, ſed & cor ipſum, fontem nimirum peccati, diſcerpere, ſi liceat. Sed de his poſtea.

Feria. vi. poſt Reminiſcere.

SERMO TERTIVS.

SVperiori cõcione multa de Eſrę dolore ac planctu, ob inſperatam ciuium ſuorũ tranſgreſſionem, diſputauimus. Nam quod nihil tale metueret, ſed reliquis populi iam patriæ reſtitutis nõ niſi læta ſibi promitteret: non potuit non grauiter inopinato nuncio conſternari: intantum vt veſtes lacerarit, capillitium ac barbam euulſerit, mœrore deniq; penè obriguerit. Qua de re tametſi copioſe dixerimus: quod tamen, ob temporis anguſtiam, multa dicenda in hodiernum diem diſtulimus, non eſt animus ab eodem argumẽto diſcedere. Continet illud, quid Eſras, tali nuncio accepto, primum aggreſſus eſt facere: quo populum ab impietate ad iuſtitiam, quod & fecit, conuerteret. Proinde dignum, quur pronis à nobis auribus atque animis accipiatur. Inprimis ſatis conſtat Eſram hîc nihil fingere, ſimularéue dolorẽ: ſed planè id expreſſiſſe,

quod in pectore ſentiebat. Ab immodico gaudio in ſummũ dolorem abreptus, angitur animo, pectus illi congelaſcit, turbatur ſenſibus, deficit viribus, vigorem amittit: vt in tanta mentis perturbatione ne fingere quidem potuiſſe ſit veriſimile. Nõ negarim tamen, hæc à ſuis authoribus ſimulatè geri poſſe, & præter ſenſum mentis: nam Iudæi ipſi non diſſimilis hypocriſeos à Prophetis ſubinde taxantur: vt apud Eſaiam, vbi Dominus ait: Hic populus labiis me honorat, „ cor autem eorum longe eſt à me. Et Iohel, „ Scindite (inquit) corda veſtra, & non veſti- „ menta veſtra. Ex quibus verbis, ſicut & ex „ nõnullis aliis, maximè ex Eſaiæ cap. 58. manifeſtum eſt, veſtium lacerationem ſuperuacaneã ac inutilem reddi, ſi pectus ipſum per pœnitentiam intus non frangatur. Facilè eſt cuiuis, neq; magni negocij, veſtes ſibi diſcerpere: ſed vt animum quis criminũ recordatione ac pœnitudine fractũ reddat atq; contritum, id nõ perinde eſt facile aut leue. Mihi verò nõ perſuaſerim, Eſram, qua erat ille vir pietate ac ſollicitudine erga ſuos, his ſignis animi ſui vim omnem ac doloris magnitudinem plenè compræhendiſſe. Ipſe à principio in hoc totum ſe contulerat, vt ciues ſuos tueretur, ac in priſtinam dignitatem eueheret. Quod quum minimè ſucceſſurum certò ſciret, niſi diuinum cultum,

Eſa. 29.

Iohel. 2

ob quem neglectum eò miſeriarum redacti fuerāt, fuiſſent ante omnia complexi: quomodo potuit nō grauiſſimè cruciari, quum videret & hunc obliterari, & illud haberi ꝓ deſperato. Profectò nō eſt intempeſtiuum eiulare & plangere, quando ſimul, & facultatum, & animæ iacturam ipſi vrgemus. Non eſt magiſtratus, aut qui aliqua dignitatis aut naturæ obligatione aliis ꝓſpicere habet, qui ſi viderit ſuos iugum iactare contra Deum, & inſoleſcere, modò vel micam Chriſtianæ charitatis in pectore habeat, nō ſtatim ſe ad Eſrę exemplum cōponat, detq; operā, vt non rem ſolùm & corpus, verùm animam cumprimis incolumem illis reſtituat, vel ſeruet. Nam quiſqs ab hoc affectu alienus eſt, ille, vt ſecundum carnem ſuos amet, minimè verò ſecundum ſpiritum. Neque eſt aliud argumentum certius, quo veros patres ac paſtores à nothis dignoſcas. Habes abſolutum huius exemplar in Eſra, abſolutius in Paulo, ſed in Chriſto abſolutiſſimū. At hodie quàm pauci ſunt, qui in horum claſſem referri queant? Quis veſtrū, qui non videt quotidie multa à liberis ſuis vel quouis nomine domeſticis turpiter, flagitioſe, indecorè, proteruiter, ac impiè deſignari? Sed quoto cuiq; id eſt cordi, vt quo ocio, quoq; negocio obuiandum ſibi exiſtimet? Quis eius rei gratia vel veſtes ſibi diſcer-

cerpit,vel capillos laniat? Si filiolo vel caput leuiter dolet,non parcimus labori neq; impenſis:immo quò illi meliusſit,morbum & ipſi ſimulamus.At ſi quid cõmittit,vnde euidens ſit Dei indignationẽ ac damnationem eum incurrere, puerile ingenium ſcilicet,riſu proſequimur,ſi non prouocamus etiam.Eſt hoc patrẽ agere? aut in aliis paſto rem? Sed in receptum iam vſum fruſtra,vereor,inuehimur.Receptũ eſſe fateamur neceſſe eſt,ſed peſſimũ, ſed intolerandum,ſed omnino corruptiſſimũ. Quin potius Eſram iſtum imitandum nobis ꝓponimus? Immo qũum collatione facta,ab eius exemplo longiſſimè recedimus, ita vt non ſolùm ꝓprijs erratis grauemur,verũetiam eorum omniũ admiſſis inuoluimur, qui quoquo nomine ad nos pertinent:quur nõ ad pœnitendum ꝓperamus? Et hoc occaſione doloris Eſræ, ac veſtium diruptione primo loco ſit dictũ. Secundò de doloris teſtificatione,modo ac menſura & pœnitẽtię ratione video nos admoneri. Nemo putet neceſſe eſſe,vt in formando, augendoque dolore,ſibi præſcribat certam normam: nimirum vt veſtem laceret,comam vellat,lachrymas prouocet,&c. Verè atq; ex animo doleat: proferet ſe aliquanto etiam ſignificantius, quàm fecerit Eſras: lachrymationes, gemitus, ſuſpiria, planctus,cõfuſiones,lamentationes,impre-

cationes,accuſationes,cum multis aliis animi teſtibus vltro erumpent. Ad hæc,inquã, non eſt opus vt aliquis è præſcripto ſeſe accommodet: nam (vt ex exemplis ſuperiori concione adductis, nominatim ex euangelica peccatrice,Manaſſe,filio prodigo,Publicano ac Niniuitis eſt manifeſtum) ipſe dolor in ſolatium hæc ſibi creat,ſecumque adducit. Petrus non aliunde quàm è dolore eiurati magiſtri lachrymas quæſiuit.Itidem è facti ſui turpitudine propheta Dauid,quũ diceret: Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum &c. Vſqueadeò vt qui hac in re irritamento ingenióue opus habet,ſe necdum peccatum penitus odiſſe,aut corde eſſe verè contrito,certiſſimè credat. Ex his quæ dicta ſunt luce clarius patet,quàm parũ officio ſuo reſpondeant,& opinione fallantur, qui vitæ correctionẽ, hoc eſt pœnitentiam ita tradunt,ac profitentur,vt non modò nihil externæ ſignificationis in iis deprændas,verumetiã ſi quas in aliis viderint,rideant,ſubſannent, & proh facinus,exclament. Habent tamen eam ſemper in ore: ſed ita,vt à prioribus veſtigiis nuſquam recedant,æquè libidinẽtur, ac ſubent, iocentur, delicientur perinde vt prius. Quòd ſi de more diuinis myſteriis cõmunicandum eſt,publicam profeſſionem ſi frigidè immurmurauerint, nihil amplius exi-

Mat.26. *Pſal.6.*

exigas: inde reditur ad priſtina. Hanc pœnitendi normã aliquot iam annos tam auſpicato nobis tradiderunt nouatores iſti, vt ſi veram pœnitentiam quæras, nuſquam reperias. Obſecro per Deum immortalem, an Chriſti ſcholam redolet, quũ totum annum carnis curã egeris, non aliquo eius tempore animam contrariis remediis curare? Nónne ipſe Seruator noſter prædicationem ſuam à pœnitentiæ denunciatione exorſus eſt, & clauſit apud Lucam, vbi in nomine ſuo iubet prædicari primùm pœnitẽtiam, deinde remiſſionẽ peccatorum? Euolue vniuerſam ſacram ſcripturã: mendacium mihi impinge, ſi non vbicunque pœnitentiæ vel obiter ſit mentio, longè aliter ac ſeuerius de ea tractetur, quàm faciunt iſti hodie, qui nihil operę in ea collocatum volunt, immo ne pręſe ferre quidem videri. Interim (ſi illis credas) pœnitere ſe dixerint. Ego potius dixerim, contumelioſos illos eſſe in Deum, ludificare Eccleſiam, ac ſemetipſis grauiorem damnationem accerſere. Suffecerit proinde fratres chariſſimi, nos tantiſper ſoluto ac remiſſo eſſe animo dum peccando ſalutẽ amittimus: certè in reparãda ſtudio opus eſt ac feruore. Alterum hoc eſt, quod ex hoc loco adhuc dicendum putaui. Ne putes igitur Eſram externa illa doloris conteſtatione aliud ſpectaſſe, quàm vt indoctam ac ignarã plæ- Mat. 4. Luc. 24

plæbem hac ratione ad peccati ſui deteſtationem,& ad ſimilia facienda, exemplo attraheret. Nempe huc pertinebant veſtium diſcerptio,& laniatio comæ. Prior ipſe pœnitentiam amplexus eſt, vt illi vel pudore, vel neceſſitate victi ſequerentur. At quomodo amplexus? Primùm veſtimenta dilacerauit: quo nimirum facto populo inſinuare voluit, inſtitutum ipſorum cum Dei præcepto ac honeſtate palá pugnare: quod ſanè veſtiũ genus niſi omnino diſcerperent, ac cultioribus ſe induerent, fruſtra Deo ſe reconciliari poſſe ſperarent. Veſtimentorũ ſiquidem nomine, non abſurdè exterior noſtra cõſuetudo ac viuendi ritus deſignatur: nam perinde vt illa, munda ac nitida quum fuerint, authoritatẽ nobis arrogant & ſplendorem: contrà, ſi ſordida & inculta: quam
Mat.22. ob cauſam temerator ille in Euangelio foras extrudi meruit, quòd herilis filij nuptias cultiori habitu non cohoneſtaſſet: ita & de moribus cuiuſq; dixeris. Vel hoc arguat nõ ocioſam fuiſſe in Eſra veſtium lacerationẽ. Secundò comam ſibi euellit: vt intelligerẽt cum morum actionumque inhoneſtate, lubricas & peruerſas cogitationes eſſe etiam reſecandas. Quemadmodũ enim capilli ex humiditate cerebri ita in capite proueniũt, vt excreſcentes quidem videas, illud vero è quo pullulant intra cutem minimè: ad eun
dem

dem planè modum quum ex arcano cordis cogitationes oriantur, ſimilitudini anſam præbuêre. Interim non ſemper noxium eſt capillitium. Samuel, ille à Deo electus, & iudex incorruptiſſimus, nouaculam aut for ficulam nunquam admiſit. Chriſtus ipſe ne gat ſuis vel vnum capillum de capite periturum. Nimirum ſanctarum cogitationũ, non ſecus atq; actionum, remuneratioñe futuram ſignificat. Sed ſi iniquæ fuerint, totũ caput decaluandũ moneo: nam quum ſint fomes & fons actionum, metuendum ne ex iis ad rem tranſeatur. Hinc in lege per Moſen cautum erat, ne prius qui à lepra curatus erat, templũ ingrederetur, vel hoſtiam offerret, quàm omnes corporis pilos raſiſſet: quod innuit, neminẽ perfectè munditiam à Deo conſequi, qui cor adhuc habet turpi cogitationum aſpergine maculatũ. Ad hæc barbam ſibi lacerat. Barbam verò, quandoquidem virilis ætatis ac maſculini roboris eſt index, non ineptè virtutem denotare dicimus. Quaſi eius vulſione Eſras ſignificare voluerit, ne pietatis quidem opinione, aut operum fiducia ipſis eſſe nitendum: ſed animum hac perſuaſione etiam eſſe ſpoliandũ: quum quicquid benè egerint, tam inſignis errati admixtione vitiaſſent. Quartò ſedet mœrens: vt inde ſcire poſſint, certiſſimam hanc eſſe ad reſipiſcentiam viam, qua pecca

1. Reg. 1.

Mat. 10.

Leuit. 14

torum ſordes flendo ac mœrendo eluimus. Vltimo loco hæc omnia palàm agit, ac inſpectante populo: quo non ſuis ſolùm, ſed etiam fratrum delictis affectum & ſtudium impendant. Quare iam nemo inficiabitur opinor, altioris fuiſſe ingenij quod hic Eſrã feciſſe diximus: & non ſolùm ab animi ſenſu hæc ſigna doloris fuiſſe emiſſa, ſed pœnitentiæ rationem iis voluiſſe & aliis præſcribere. Et ad hunc omnino modum vocauit ille & inſtituit ſuos ad pœnitendum. Antè operib⁹ & exemplo prædicat, quàm verbis. Audierat tantùm quod alij retulerant: qua de re quid ipſe ſtatuendum iudicaret, nullum adhuc verbum fecerat: ſed loquitur geſtibus ac vultu quid intus ſentiret. Chriſtus de quo Lucas refert quòd primùm cœpit facere, poſtea docere: item D. Ioannes Baptiſta, qui priuſquã populum Iudaicũ ad pœnitentiam agendam vocaret, ſeipſum in ſolitudine duriſſimè afflixit: eundem docendi ordinem nobis reliquerunt. Quem ſi huius temporis Eccleſiaſtæ imitari vellent, videremus meliori loco ac numero pœnitẽtiam eſſe, quàm ſit in præſentia. Nihil orationem æquè commendat, atq; dicentis integritas: ſicut è contrario verborum vim nihil ita elidit ac fruſtratur, q̃ ſi quis ipſe ſe, vel vanitatis, vel maliciæ, moribus coarguat. Cæterũ hoc ex Eſræ verbis q̃ ſequuntur, clarius.

Act.1. Luc.& Mat.3.

Con-

Conuenerunt autem ad me ommes qui timebant verbum Dei Iſrael, pro transgreſſione eorum qui de captiuitate venerant.

VIdete quid poſſit Paſtoris vel Principis exemplum in plæbe. Eſras (vt dixi) necdum vocis officium vel in doloris teſtimonium,vel in populi inſtructionem laxauerat: atqui quod ſceleris expiationem primus ad ſe reciperet,mœreret,ac plangeret, veſtes diſcinderet &c. occupauit id animos inſpicientiū multo efficacius,quàm ſi alius multis,ſed nudis verbis,in deſignatores grauiter declamaſſet. Conuenerunt ad me (inquit) omnes qui timebant verbum Dei Iſrael. Non temerè hoc dictum: nam quicquid in pœnitentiæ commendationem ſeu viderint,ſeu audierint,nihil mouentur,qui nullo vel exiguo Dei timore tanguntur. Salomon à multis retro ſæculis ita ſcriptum reliquit: Melius eſt ire ad domum luctus, Eccle.7.
quàm ad domum conuiuij. Rationem cur «
ita ſentit, ſubnectit. In illa enim (inquit) «
finis cunctorum admonetur hominum, & «
viuens cogitat quid futurum ſit: Melior eſt «
ira riſu, quia per triſtitiā vultus corrigitur animus delinquentis. Sed iſta mundi geniū non ſpirant. Grauiter proinde ac ſignanter eos ad ſe frequentes veniſſe dicit,qui timebant

Eſa.66. bant verbum Dei. Ad quem reſpiciam (ait
» Dominus per Eſaiam) niſi ad pauperculũ
» & contritum ſpiritu,& trementem ſermones meos? Sed quid hoc ſubitæ præſertim in Iudaico populo mutationis? Ante non ita multos annos,aliquot adducti ſpecioſis, vt videbatur,rationibus,(quarum fortaſſis permaxima erat, quòd magiſtratus ſe ducem præberet,nedum à facto eos auerteret) ferme omnes in commune flagitium conſpirarant: nunc vnius & priuati ſacerdotis, ſed cui vitæ integritas pro dignitate erat, perſpecta beneuolentia: dum ipſorum peccata tanquam propria incredibili tam pietate quàm dolore proſequeretur: à propoſito ac ſcelere eos abducit, & ad agendam ex eius præſcripto pœnitentiam (vt poſtea dicemus) compellit. Tantum poteſt (quod iterare cogor) ſpectata in præſide virtus. Proinde Chriſtiana inſtitutio feliciter ibi procedat oportet,vbi Eccleſiaſtæ ipſi ac doctores, non ſermone tantùm, ſed viuis exemplis, hoc eſt, vitæ & morum probitatẽ ſubditos ad virtutem accendunt. Quum contrà res ſit profligatiſſima, quando è talibus ita viuitur,vt ſuis non modò normam peccandi,ſed impunitatẽ etiam tradere videantur. Vę mũdo à ſcandalis:intonat Chri
Mat.18 ſtus.Qui autẽ ſcandalizauerit vnum de pu-
» ſillis iſtis qui in me credunt, expedit ei vt
ſuſ-

ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & "
demergatur in profundũ maris. Porrò quid "
de iis dicemus, qui vita flagitioſa non vnum aliquem auertũt à Chriſto, ſed tam multos, immo innumerabiles? Proinde tametſi quę hîc dicuntur talia ſunt, vt omnibus generatim metum incutere poſſint, optimatib. tamen præcipuè. Omne animi vitium tanto *Iuuenalis*
conſpectius in ſe Crimen habet, quanto maior qui peccat habetur: ait quidam. Et Chriſtus in Euãgelio: Nõ poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita. Eſras verò etſi publicam perſonã non ſuſtineret, tamen quia illum ſacerdotij ordo, & legis peritia conſpicuum faceret, ſtatim ad populum permanauit, quo animo & mœrore eius facti deformitatẽ accepiſſet. Conuenerunt (inquit) oẽs ad me, qui timebant verbum Dei Iſrael. finem facerẽ, ſi iteraro, vt hæc nobis ſcripta eſſe meminerimus. Nam in nos quadrat hęc querimonia, quòd non ſumus ſeparati à populis terrarum & abominationib. eorum. Si tergiuerſamur, noſtra ipſorũ conſcientia reclamabit: quin & mundus ipſe, quo teſte nimium abutimur, cõtra nos cauſam obtinebit. Et vt oẽs fallamus, Deum non latemus. An nõ allophylis mulieribus in captiuitatẽ nos dedidimus, qui nefarię libidini, ambitioni, luxui, ſectis ac factionibus, & quicquid voluptatę & conſuetudine animos noſtros deti-

Mat. 5.

detinuit, vxorum loco turpiter aſſueuimus?
Hier.3. Quid interim Deus? per Hieremiam ita cla-
„ mat: Conuertimini filij reuertentes, & ego
„ ſanabo auerſiones veſtras. Nónne & Eccle-
ſia iam totas tres ſeptimanas, ad Eſræ exem
plum, pro peccatis noſtris in omnẽ ſeſe hu-
militatem proſternit, Deóque aduoluitur?
Æquiſſimũ igitur eſt, ne Iudæis illis durio-
res, & in propriam ſalutem negligentiores
ſimus: ſed ſtudium illi noſtrum, preces, re-
ligionemq́; in vnum collatis copiis adiun-
gamus. Quapropter vos hortor immo ob-
teſtòr, fratres in Domino chariſſimi, vt quũ
Pſal.94 voce Domini vos nunc conueniamus, no-
lite vel hodie obdurare corda veſtra: ne ab
exaſperato ſpem nobis gratiæ præciſam au-
diamus.

Dominica Oculi,

SERMO QVARTVS.

QVibus artibus Eſras in animos ſuorum irrepſerit, vt pœnitentiæ remedium ſuſciperent, priuſquam adhuc verbum illis vllum feciſſet, nudiuſtertius à nobis eſt declaratum. Sanè etiamſi verborum fulmine grauiter eos perſtrinxiſſet, poterat ſe tueri tam negocij magnitudine, q̃ exem-
Deut.24 plorum copia: maximè quum lex etiam diris eos deuoueat, nihilq́ue non mali imprecetur

cetur,qui eam non ad amuſſim obſeruauerint. Et iſtud quidē familiare ac proprium Eccleſiaſticis cenſoribus,vt quos correctos cupiant maximam metus ac horroris caliginem,tam exaggeratione criminū, quàm diuinæ vltionis amplificatione,offundant. Ita Nathan prophetam egiſſe legimus cum Dauide,Ionam cum Niniuitis,Ioannem Baptiſtam cum vulgo Iudæorū. Tu es ille vir 2.Reg.12
(inquit Nathan) qui feciſti hāc rem: Quam
" obrem nō recedet gladius de domo tua vſq;
" in ſempiternum. Quid Ionas? Adhuc qua- Ion.3
" draginta dies, & Niniue ſubuertetur. Neq;
multo mitior eſt Ioannes baptiſta: Pœni-
" tētiam agite: iam enim ſecuris ad radicem Mat.3.
" arborū poſita eſt.Omnis ergo arbor quę nō
" facit fructum bonū,excidetur,& in ignem
mittetur. Adhortationē ſuam iſti quidem ita exorſi ſunt, vt ante omnia trepidationē auditoribus incuterent: neque ceſſit infeliciter: nam illi,quos dixi,metu conſternati ad pœnitentiam confugerunt.Idem tentati ſunt Helias, Iehu, Zacharias,Eſaias,& Hieremias,cum regibus Achab,Baaſa,Ioas,Manaſſe,& Sedechia: ſed quòd perditiſſimi iſti erant, & venditi (vt ſcripturæ verbis vtar) vt facerēt malum,nihil vel interminatione ſupplicij, vel criminis opprobratione profecerunt. Nam apud eos, quibus Deus pro numero tantùm eſt,adeò nihil correptione

vel minis profeceris, vt reddantur deteriores. Quod in illis regibus euidenter patuit; qui Propheticis denunciationibus non niſi in furorem aduerſus eoſdem, eorundemque ſtudiorum ſectatores, ſunt redacti. Achab & Ieſabel non Heliam ſolum proſcribunt: Sacharias iuſſu Ioas lapidibus obruitur: Baaſa Iehu in carcere ſtrangulari fecit: Amaſias clauum clauo pellit, & prophetis mortem
2.Reg.21 minatur, ni taceant: Manaſſes in omnes pro
Hier.36. miſcuè prophetas ſæuit, ita vt impleretur Ieruſalem ſanguine vſq; ad os. Hieremiam non ſolùm compedib. vincit Iechonias, ſed & libros eius flammis exurit. Quæ omnia ex hiſtoria Regum & libris Paralipomenôn ſunt manifeſta. Videtis igitur profligatiſſimum hoc genus hominũ correptione reddi prorſus inſanabile. At noſter Eſras alia ratione cuniculos egit. Non ſtatim verbi Dei ariete illos adoritur, non ſtomachũ extemplò in illos exonerat, nõ authoritate in eos fertur, aut manũ ex eis cogit qui culpa vacabant, vt violentia reliquos ad diuortium alienigenarum adigat. Nihil horum: neq; adeò conſultum fuiſſet. Principiò malum hoc altius radices egerat, ne de difficultate dicam quam ſecum trahebat: deinde non vulgus ſolùm infectum erat, ſed plærique etiam è ſacerdotibus & optimatibus. Aduerſum quos ſi vi ac imperio niti voluiſſet, quid

quid aliud, quàm negocium ſibi creaſſet, & non deſperatum malum reddidiſſet incurabile? Taceo quòd conſilij tui rectitudinem, dum vis adhibetur, apud plæroſq; corruperis. Et vt maximè cópellere eos potuiſſet, vbi pœnitentia locum haberet, quũ neceſſitas illa vi extorta cenſeretur? Vnuſquiſq; (ait D. Paulus) prout deſtinauit in corde 2.Cor.9.
ſuo, non ex triſtitia, aut ex neceſſitate: Hi- "
larem enim datorẽ diligit Deus. Iam quod "
inuitis extorſeris, tãtiſper obtines, dum metum circumfers: quo abſterſo, reditur ad ingenium. Sed Eſram nihil horũ præteribat: eliciebat è ſuis ſpontaneam pœnitentiam, non exprimebat coactam, & duraturam volebat, nó momentaneam. Nouo itaq; more non à verbis monitionem inſtituit, ſed prouocat & loquitur exemplis: veſtes lacerat, in capillos ac barbã manus violenter infert, ſedet tacitus ac mœrens in templo, vt inſpectanti interim populo ad huius ſchematis inueſtigationem tempus relinquat. An nõ aptiſſimo ſtratagemate ad inuadendos illorum animos vobis vſus videtur? certe & cõmodiſſimo, & efficaciſſimo. Nó enim illum fructu conſilij ſui diu lactauit. Nam dum his ipſe eſt intentus, quotquot erãt tota vrbe quib⁹ religio ac pietas cordi erat, ad eum vndique confluunt: nimirũ eius viri exemplo commoti: nam cognita eius in Deum,

& gentem ſuam fide,non poterant non gra uiſſimum iudicare,atque adeò legibus infe-ſtum,quod Eſram tantopere affligeret. At-que ita facto eius diſſipato, plures concur-runt, donec res ad omnes peruenit. Videte obſecro, quantũ Eſras illo dolentis habitu promouit. Nam & hinc non modicam ſibi gratiam,quum cunctis euidens eſſet, non a-liud eum ſpectare quàm legis, patriæ & ani marum incolumitatem, ad ea quæ adhuc fa cienda dicendáve reſtabant, parauit. Hinc intelligamus, qui ad hanc normam corre-ptionem inſtituit, quocunque demum no-mine cenſeatur, eum euentu minimè frau-datum iri. Et ipſa rei æquitas ita poſtulat, vt quod ſalutare ac honeſtum aliis inſcul-pimus, in noſtris actionibus ita eſſe conſpi ciatur. Rurſus ne affines iis vitiis ſimus, ob quæ alios caſtigamus. Quare ſi parens ali-quis ad non dubiam virtutẽ filios ſuos edu care vult, curet vt ſtudium ac amorem vir-tutis ab ipſo diſcant: nec vnquam in ſe con ſpiciant, vel dum animus ioco remiſſior eſt, quod oderit in illis. Idem dixero de magi-ſtratib⁹ tam eccleſiaſticis, quàm laicis. Per-ditiſſimi ij liberi ſint oportet, qui non pro-hiberẽtur pudore à peccando, quum paren-tum vitæ tenor perpetua ſibi innocẽtia con ſtaret. Petulciſſimum illud ouium genus, quod paſtoris exemplo, à recto itinere nun-quam

quam deflectentis,petulantiam ſuam haud quaquam caſtigaret. Bipedum non iniuria nequiſſimos dixeris,qui legum moderationem non ferant, quum videant magiſtratum iiſdem obtemperare,vt qui maximè. Sed de his hactenus. Nunc ad ea quæ in hiſtoriæ contextu ſequuntur.

ET ego ſedebam triſtis vſque ad ſacrificium veſpertinum: & in ſacrificio veſpertino ſurrexi de afflictione mea, & ſciſſo pallio & tunica, curuaui genua mea, expandi manus meas ad Dominum Deum meum, & dixi: Deus meus cõfundor & erubeſco leuare faciem meam ad te, quoniam iniquitates noſtræ multiplicatæ ſunt ſuper caput noſtrum, & delicta noſtra creuerunt vſque ad cœlum, à diebus patrum noſtrorum.

PErgit Eſras conſilij ſui rationem nobis explicare: ſed iterum prius factis docet, quàm dictis. Antea prius quàm de pœnitentię forma aliquid diceret,ipſe eam exemplo tradit: ita & nũc populum ad Deum errati cõfeſſione & prece placandum hortaturus, prior ipſe Deo aduoluitur: vt qui hanc optimam vtriuſque tradendi formam putaret, quam è facto ipſius tum peterent,tum mutuarent. Huic conforme eſt,quod in Eccle-

ſia quotidie geri videmus.Nam & nobis nõ deeſt noſter Eſras,qui communis veniȩ cauſam apud Deum agat. Vt Eccleſiaſtæ gregẽ non curent, vt paſtores ſint corruptiſſimi, Eccleſia certè ſemper ſui ſimilis eſt, neque deſinit nobis Eſræ ſedulitatem ac vigilantiam,in monendo,&præeundo referre.Luxerit ille populi ſui tranſgreſſionem:ad eccleſiæ ceremonias ſi reſpicis,nihil q̃ ſcȩnam doloris vides. Orarit ille Dominũ abiectiſſimè,publica perſona in ſe tranſlata,vt ſuis criminum gratiam auferret: neq; de ſtudio, neq; de affectione in ſuos hȩc illi cõceſſerit. Hoc vnum ad omnimodam ſimilitudinem deeſt, quòd nos in morem gerendo cum Iudæis paria facere recuſamus. Fieri verò poteſt,vt magna pars culpæ in iis hæreat, qui Eccleſiæ mentem tam frigidè populo reprȩſentent, vt vel eam obliterent penitus, vel ita corrumpant,vt nõ facilè aliquis ſenſum in eo inueſtiget,quod ab ipſis actoribus ſine ſenſu exhiberi videt.Erit,quando & vbi illi cauſam dicere debebunt : interim noſtræ partes ſunt, vt non quis, ſed quid dicatur,
Mat.23. attendamus. Seruator noſter in Euangelio
» dicit : Quæcunque dixerint vobis, ſeruatȩ
» & facite: ſecundum verò opera eorum, no-
» lite facere. Iudæi in cor vſque Eſræ aciem adigere nequibant: tamẽ omni ſtudio,quod ab eo geri videbant,imitandum ſibi proponunt,

nunt. Ita & nos æquum erat facere. Si, qui Eccleſiæ ſtipendiis merent, perfidè, ac proditoriè ſacramentum negligunt: non deerit illis quæſtio acerbiſſima, & cognitor acerrimus. Sed neutros eximet noxę culpa aliena. Quod ſanctum ac pium per ſe eſſe cognoſcimus, vtcunque illud adulterationi eſt obnoxium, nobis in exemplum vertamus: corruptores verò ſuo iudici relinquamus. Quod eò dixerim, ne Eccleſiæ ſanctiones, inſtitutionem ac ceremonias miniſtrorum vitiis aſpergamus. Sed iam ad Eſræ precationem orationem vertamus. Inprimis quam non humilitatis ſpeciem exhibet, priuſquam ad verba veniat? Flectit genua, manus protendit in cœlum, apparet lacero habitu, ac turbato capillitio. Non ignorabat ſcriptũ eſſe, *Eccl. 35.* Oratio humiliantis ſe penetrabit cœlum. " iterum: Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. Interim lubens vos hoc rogarim: An non inſigniter deridendum ſe propinaret hodie Eſras, ſi hoc ſchemate ad orationem ſe componeret? Sanè pro ea nouitate doctrinæ, quam paucis ab hinc annis inuexêre nonnulli (qui ne tam fortes ac cõſtantes quidem fuerunt, vt vno tenore vitã hîc exigerent) non modò vitio nobis verteremus ipſi, ſed & in alios, ſi tale quid facerent, genuinum frangeremus. Statim audi-

Pſal. 50

tur, hypocrita,hypocrita: ſi quis obiter vel in genua procumbat,vel orationē manibus quaſi in cœlum vehat. Sed quid hac impro bitate aliud conſequuntur,quàm vt ſe nunquam efficaciter orare arguāt? Nónne Heli qui ſummū ſacerdotem gereret,quum An-
1.Reg.1. nam Samuelis matrem orationi ita incumbentem videret,vt labra tantùm moueret, ſed interim affectum mentis vehementem non poſſet quin foris oſtenderet,temulentá iudicauit? Digere (inquit) pauliſper vinum quo mades. Turpe profectò erat illi, penes quem ſumma ſacrorū erat, quòd adhuc ignorare videretur,quid orantis affectio poſſet. Vnde non inconcinnè illa reſpondit: Nequaquam (inquit) domine mi.Nam mu
» lier infelix nimis ego ſum: vinuínque & o-
» mne quod inebriare poteſt non bibi:ſed ef-
» fudi animam meam in conſpectu Domini. Grauiter ſanè illa, & cordatè. Quanquam poterat ſalſius hoc modo: Túne ſacrorum præfectus tam precipitis ac temerarij es iudicij,vt ad leuiſſimum argumentum ebrietatem mihi opprobres? Tuum potius erat ad orationem nos vocare,non oranti inſultare. Sed nihil mota eſt mulier cordatiſſima,ob eius contumeliæ aſperſionem. Neque addubito, quin eodem geſtu & poſtea ſæpius rogarit: quum ex euentu rei Deo id non ingratum fuiſſe depræhenderet. Quare

neq; vos cõmouere debet, chariſſimi, quòd veſtræ pietati mundus illudat: vt ob pudorem animum cohibendum putetis. Quòd ſi vſus, vel ætas rem aliquam commendat, eſt hoc in ſcripturis quum vſitatiſſimum, tum vetuſtiſſimum. Exempla paſſim occurrũt. Salomon, Rex ille tam ſplendidus & magnificus, non impeditur pudore, quò minus in corona tot millium in genua ſeſe cõiiceret. Daniel tribus vicibus per diem genua flexiſſe legitur. Moſes dum oraret etiam contra terram pronus iecit. Neque Eſras hunc geſtum ſibi pudendum eſt arbitratus. At quid his commemorandis tempus inſumo? Omitto Iudæos: quos Turcas, aut Tartaros mihi dabis, qui dum vota faciunt, non curuant genua, & aliquo cœli loco faciem condunt? Interim apud ſolos Chriſtianos (ſi Deo placet) id paucis ab hinc annis pudori ac vitio eſſe cœpit. Obſecro, quid neruorũ habet illa oratio, quæ vehementiam ſuam extra anguſtos pectoris parietes non expellit? immo vbi pudor eius ardorẽ extinguit? In Apocalypſi videt Ioannes non vigintiquatuor ſeniores ſolùm, ſed & totam Angelorum turbam pronos iacere in conſpectu throni. Columnæ cœli contremiſcunt, & pauent ad nutum eius: ait Iob. Si ad nutũ » eius quicquid creaturarũ nomine cẽſetur, pauet, mouetur, cadit, ſurgit: qualia paſſim in

3. Reg. 8. *Dan. 6.* *Num. 16* *Apo. 7.* *Iob. 26.*

in ſcripturis offendes: ſoli mortales dum à Deo offenſæ veniam rogant,erecta ceruice, ac conſtanti vultu verba facient? Porrò hãc in orando ciuilitatẽ renato Euangelio debemus ſcilicet.Quaſi turpe ſit ac inurbanũ, quum principibus,ſæpè malis,nonnunquã hoſtibus,omni honoris ac reuerẽtiæ ſpecie, non citra adulationem,ad ſingula penè verba prouoluimur: coram tremenda illa Dei maieſtate vtroque genu procumbere. Non bon⁹ fructus: ſed arbor peſſima.At quę illa? Quæ:niſi quòd perſuaſum ſibi volunt,Deũ, modò credamùs,nullum noſtrum factum, quantumuis vicioſum, ad peccatum nobis imputare, vt ſaltem pœnam mereatur: ſed noſtra fide ita ad omnia quæ promiſit prę-ſtanda arctari, vt citius Deus eſſe deſinat q̃ fallat? Hinc illud pectoris frigus,& ſecuritas tanta: quaſi nos illum beneficio implicemus, ſi quod honoris cani morituro (vt ille ait)ſæpè deferimus,ipſi etiam obiter & carptim præſtemus: & noſtra ille munificẽtia ægrius carere poſſit,quàm ipſius nos. Scitis vnde hãc proteruiam habemus: nam è ſacris literis minimè gentium. Illic non facilè depręhendes aliquẽ feruenter ac efficaciter oraſſe,qui ad ſpiritum verborũ non aliquam modeſtiæ ac doloris ſignificationẽ adiecerit. Sanè Eſras(vt audiſtis) humi procumbit manibus protenſis in cœlum. Sed quid

quid tandem orauit? Deus meus (inquit) confundor & erubeſco leuare faciem meā ad te, quoniā iniquitates noſtrę. &c. Nónne videmini vobis audire filium illum prodigum patri proſtratum, ita inclamantē: Pater peccaui in cœlum & coram te, iam non ſum dignus vocari filius tuus? Neque multum ab his diſcrepat Publicanus ille, q eminus, ac præ pudore oculis in terrā defixis ſtetit, ac tundēs ſubinde pectus, Deus (inquit) propitius eſto mihi peccatori. Propius adhuc ad Eſræ ſimilitudinem accedit Euangelica illa peccatrix, quæ indignā ſe arbitrata vt Domino ſe ſiſteret, à tergo accubātis adrepſit, & pedes amplexa omne in eos officij genus, lachrymando, abluendo, vngendo ac oſculando impendit: neq; prius auſa eſt faciem attollere, quàm audiſſet, Remittuntur tibi peccata. Ex hoc ſpiritu qui non hauſit, non video quam pœnitētiam ille nobis venditet: aut quibus machinis Deum ad præſtandam promiſſis fidem ſit compulſurus. Nam Eſras (quod ad caſtigationē tantæ noſtræ temeritatis dixerim) verbis illis ꝓ indubitato eſſe voluit, indignos eſſe eos, q per peccatum hoſtem ſibi Deum cōſtituunt, vt cœlum aſpiciāt, nedum Deo ſe ſiſtant. Porrò quis tam prolixā in hominis pietatem nō miretur? Alienis peccatis Deū ſurrepturus, ſe cumprimis inter eos numerat, & cōmuni per-

Lu. 15
Luc. 18.
Luc. 7.

perſona in ſe ſuſcepta, non minore affectu ſe profert, quàm ſi priuatum dumtaxat negotium ſuſtineret. Inſigne profectò argumẽtum egregiæ in ſuos voluntatis, ac planè maternæ teneritudinis: quæ filio dolenti ita indolet, vt condoleat. Eundem in ſuos
Exo.32. „ affectum expreſſit & Moſes, quum Domino
„ diceret: Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi
„ non vis, dele me de libro tuo quẽ ſcripſiſti.
Rom.9. Paulus itidẽ optabat anathema eſſe à Chriſto pro fratribus. Sed archetypũ habemus in Chriſto, vbi de ſuis ita Patri teſtatur: Pro
Ioan.17. „ eis ego ſanctifico me ipſum, vt ſint & ipſi
„ ſanctificati in veritate. Sanctimoniam ſuis conferre non potuit Eſras: præſtat tamen quod in ſe eſt: communionem certè noxæ non detrectat: quam quum primus in ſe caſtigatione perſequitur, alios vt ſe æmulentur inuitat. Quis enim tam ignauus, qui pro ſe ipſe non oret, quum alios ſanctitate conſpicuos pro ſe laborantes videt? Aut quis grauem pœnitentiã cauſetur, quum ab illis etiam ſuſcipitur, q longiſſimè abſunt à culpa? Quomodo etiam de venia deſperet, qui tot habet cauſæ ſuæ patronos & interceſſores, quot Eccleſia ſubditos? Niſi fortè ſint, qui Paulum audiendũ non putent, ita prę-
Gal.6. „ cipientem: Alter alterius onera portate.
Porrò Chriſtus in ea precatione tradenda, quam omnibus promiſcuè communem fami-
mi-

miliaremque eſſe voluit,fratrum rationem
habendam cenſuit:quum nō,vt diceremus,
Dimitte mihi,ſed nobis debita noſtra: prę- *Mat.6.*
ſcripſit. In quo Eccleſiæ diligentiam neu-
tiquam deſideraueris: nulli imponit graue
pœnitendi onus, quod pro longè maxima
parte ipſa non exigit. Omnibus orat: o-
mnibus gemit: omnibus proſternitur: o-
mnibus obtinet: denique omnibus omnia.
Canit nunc quotidie: Domine non ſecun- *Pſal.78.*
dum peccata noſtra facias nobis, &c. Do- »
mine ne memineris iniquitatum noſtra- »
rum antiquarū: Cito anticipent nos miſe- »
ricordiæ tuæ,quia pauperes facti ſumus ni- »
mis. Adiuua nos Deus ſalutaris noſter, & »
propter gloriam nominis tui Domine libe- »
ra nos,&c.Quis hinc non plenus ſpei ac ſo-
latij abſcedat? Et adhuc grauabitur aliquis
pœnitentiæ operam nauare, quum Eccleſia
illi ſuam in flectendo Deo ſedulitatē nunc
tantopere accommodet? Quare chariſſimi
fratres, pœnitentiam magno animo conci-
pite,quum tantum nunc exemplorū,cōmo
ditatis,ac pręſidij hinc inde habeatis.Quam
ſi quis in ſenium reiecerit, haud ſanè intelli
git quanto ſe periculo exponat.Iudicij tem
pore,nimis verum experientur illud Salo-
monis procraſtinatores iſti: Væ ſoli, quia
non habet ſubleuantem.Proinde nunc tem » *Eccle.4.*
pus acceptabile, quum exemplorū ac præ-

ſi-

ſidiorum tanta copia. Felices nos, ſi his rebus liberet intendere ac vacare. Sit gratia Dei nobiſcum. Amen.

Feria quarta poſt Dominicam Oculi, Sermo Quintus.

QVID in concilianda ſibi populi voluntate Eſras geſſerit, vt in facti ſui pœnitentiam, quam primus ipſe, non verbis ſolùm, ſed & ipſa plangentis ſpecie inuulgauit, eos adduceret: ſuperiori concione vtcunq; declarauimus. Porrò verba ipſa, quibus precationem (ſi non confeſſionē rectius dixero) exorditur, & de quibus tunc diſputauimus, ſunt hæc:

» Deus meus confundor
» & erubeſco leuare faciem meam ad te, quo-
» niam iniquitates noſtræ multiplicatæ ſunt
» ſuper caput noſtrum, & delicta noſtra cre-
» uerunt vſque ad cœlum.

Horum occaſione, ad Eccleſiæ mentē tunc (ſi meminiſtis) ita deuenimus, vt iiſdem ſtudiis occupatam diceremus: plorat, lamentatur, ſe diſcruciat, non diſſimulat morbum, agit cauſam filiorum: ad eum nimirū finem, vt, Eſraico exemplo, qui eam tam miſeris modis aliena cauſa ſecum colluctantem viderent, ad propriæ ſalutis cogitationē curamq; accenderen-

rentur. Hoc agebat ille, agit & hæc. Verùm enimuero quemadmodũ ad placandũ Deũ nõ ſatis fuiſſet, ſi ſolus Eſras populi crimen in ſe caſtigaſſet, illis interim vel diſſimulantibus, vel negligentibus: ita nequicq̃ Eccleſia precibus, & admonitionibus ſe fatigat, niſi & nos manum aratro admouerimus. Vtrobiq; id agitur, vt habeant imprudentes exempla quæ ſequantur, ignaui quibus incitentur. Iudæi non facilè, niſi Eſra duce & authore, ad criminis ſui quum notitiam, tum deteſtationem perueniſſent: Nos ægrè pœnitentiã admitteremus, ſi non quotidiè Eccleſiæ penè improbis hortatibus & ſtudiis quaſi obtunderemur. Rurſus quemadmodum Eſras ſuis conatibus Iudæis omnẽ tergiuerſãdi anſam præcidit, vt vel ad flagitij ſui ignorantiã, vel agendæ pœnitentiæ obſcuritatem confugere non poſſint: ita ſanè non eſt, qđ in tanto Eccleſiæ pro nobis ſtudio, leuitati noſtræ errorem, tarditati matúritatem, periculo facilitatẽ, facilitati neglectum, nos vnquam prætendere poſſe ſperemus. Videtis igitur fratres in Domino chariſſimi, cùm habeamus qui pœnitentiæ normam nobis tam efficaciter factis ipſis tradant, nihil nobis ad diſſimulandum vel differendum excuſationis relictum. Si ignoras peccati naturam, quam malorũ lernam ſecum trahat, quantum periculi gignat inoletum

tum:Eccleſiam adi,ſtatim audies. Si neque illud conſtat,quomodo in eluendo purgan doq; peccato gerere te debes: iterum ad Eccleſiam te remitto,non vno id ſenſu percipies. In quibus ſi difficilem vel ignauum te prębeas,ita vt indies altius ac altius cœno te immergas: non eſt quòd culpā,ſicubi hærere poſſit,circumferas : in te,te inquam,hæc faba cudetur. Neque alienum erit, vt illud
Pſal.35. „ Prophetæ ad te referamus : Noluit intelli-
Pſal.57. „ gere vt benè ageret.Item & illud:Furor illis
„ ſecundum ſimilitudinē ſerpentis,ſicut aſpi
„ dis ſurdæ & obturantis aures ſuas,quæ non
„ exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis ſapienter. Et quod Chriſtus in
Mat.13. Euangelio à Propheta mutuauit,immo au-
Eſa.6. „ thori ſuo reſtituit: Auribus grauiter audie-
„ runt, & oculos ſuos clauſerunt, nequando
„ videant oculis,& auribus audiant,& conuer
„ tar,& ſanem eos. Proinde excutiamus torporem omnem, quum duos tam ſpectatæ induſtriæ anteſignanos,hinc Eccleſiam,inde Eſram habeamus.Quorum ſigna ſi ſequamur,fieri non poteſt quin re feliciter geſta, triumphum ſimus relaturi. Nam vtriuſque diſciplina ac præſidiis fultis, nihil omnino timendum eſt.Quòd ſi in media etiam acie ducem requiris (nam illi cornua tuebūtur) diſcinge Eſram,videbis eum tertium quendam, eumq; certiſſimum, puta Chriſtum, pal-

pallio tegere. Nam quid in his omnibus Eſras egit, quod in Chriſtum non competat? Is eſt, qui ſummo exemplo pœnitentiæ armis, & precum aſſiduitate hoſtem noſtrum ita proſtrauit, vt amplius nobis formidoloſus eſſe non poſſit. Is eſt, qui veſtem ſuam, vtpote quam noſtra cauſa induerat, etiam noſtra cauſa lacerandam præbuit. Hic ille eſt, qui manus, nimirum in crucem actus, cœlo intulit, vt è propinquo ſuo patri cauſam pro nobis oraret. Neque vel in eo Eſræ conceſſit, vt alienum potius negocium ſuſtinere videretur, quàm proprium. Ille non eximit ſe ciuium delicto: iſte quid? alienā culpam luit, an ꝓpriam? Deus, Deus meus, „ *Pſal.21*
longè à ſalute mea verba delictorum meo- „
rum. Audis, meorum. Et alibi: Tu ſcis inſi- „ *Pſal.68*
pientiam meā, & delicta mea à te non ſunt „
abſcondita. Nemo negat hęc à propheta in „
perſona Chriſti vſurpata fuiſſe. Non quòd aliqua peccati labes in ipſo hærere potuerit, multo minus inſipientiæ, qui (teſte D. *1.Cor.1.*
Paulo) Dei virtus eſt & ſapientia: ſed quòd cauſam noſtram ita in ſe tranſtulit, vt omni vſurpationis genere tanquā propriam vindicarit. Agite ergo chariſſimi, procul torpedo, & metus, conſultor malus: inſtruite panopliam, immo inſtructam vobis aptate: imperatore Chriſto, ac talibus legatis nihil formidandum: certa ac explorata omnia.

Eccl.4. „ Funiculum hunc triplicẽ nemo facile rumpet. Sed iam ad Eſræ confeſſionem redeamus: & videamus quos miſſus nunc nobis inſtruxerit. A pudore, vt audiſtis, exorditur: vt qui faciem in cœlum non audeat attollere. Quid hinc delibabimus, niſi vt Deum ꝓ ſua amplitudine reuereri diſcamus? Quid Deo auguſtius? Contrà quid ærumnoſius ac imbecillius homine: multo magis peccatore? An non igitur res eſt, omnium creaturarum cõſpiratione ac vi vindicanda, quòd homo, adeoq; in authorem ſuum perfidus, tantæ maieſtati audeat oppedere, ac inſultare, (quid aliud facimus tam ſecurè peccantes?) & adhuc frontem irreuerberatam ſiſtere? Nemo filius ſi patrem prudens læſit, patris conſpectũ non reueretur? Quæ mu-
Hier.3. „ lier (ait Propheta) recedens à marito ſuo, „ duxerit virum alterum, nunquid reuertetur „ ad eum vltra? Quanto iuſtius pudor nos implicare deberet, ne ſub eius Domini conſpectum, quẽ toties offendimus, & qui fulmen habet, parum reuerenter ac modeſtè irrua-
Pſal.6. mus? Dauid metu correptus ita orat: Do„ mine ne in furore tuo arguas me, neq; in ira
Pſal.142 „ tua corripias me. Et iterum: Ne intres in iu„ dicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabi„ tur in conſpectu tuo omnis viuens. Confundor (ait Eſras) & erubeſco: nimirum cui ſpi-
Rom.6. „ ritus illud Pauli obijciebat: Quem fructum

ha

habuiſtis tunc in illis in quibus nunc erube „
ſcitis? Sanè peccati fructus quum maturu-
erit, pudor eſt, & anxietas. An non dolendũ
eſt, quòd nos illi Domino pudendos ac pœ-
nitendos reddimus, qui nobis tantopere de
cori & gloriæ eſſe poteſt? Quòd pœnas ab
illo metuimus, qui noſtris malis profitetur
curationem? Quid nobis glorioſius, quàm
quòd Deum patris compellatione inuadi-
mus? Et quæ maior felicitas, quàm quòd,
quacunque demum ratione nobis male eſt,
gratuitum ab eo præſidium ac fidenter pe-
tere poſſimus? Dolendam proinde vocem:
Cõfundor & erubeſco leuare faciem meam
ad te. An non inſigniter dolendam: quum
Dei vocabulum ſtatim vt audimus, rubore
perfundimur: nec per iudicij ac ſupplicij
metum, liberũ ad eum aditum habeamus?
Sed huius pudoris ac trepidationis cauſam
inueſtigemus. Ergo Deus, more Tyranno-
rum, tam difficiles habet aditus, tam iræ te-
nax eſt, ac miſeris tam infeſtus? Ah nihil mi
nus. Sapiens ille pro eo reſpondebit. Diligis „ *Sap.11*
Domine omnia quæ ſunt, & nihil eorũ odi- „
ſti quæ feciſti: Parcis autem omnibus, quo- „
niam tua ſunt Domine, qui amas animas. „
Qui fit igitur, vt Eſras tantam ſibi trepida-
tionem formet? At tu, audi quod ſequitur:
quoniam iniquitates noſtræ multiplicatæ „
ſunt ſuper caput noſtrum, & delicta noſtra „

creuerunt vſq; ad cœlum. Hoc pudoris fons
1. Ioan. 1. eſt, & metus ſeminarium. Deus (inquit Io-
„ annes) lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vl-
„ læ. Audeat iam aliquis, peccati caligine of-
fuſus, in tam puram lucem temere irrum-
pere? Nõne ſtultè fecerit, qui ſibi de ſcelere
Gen. 2. cõſcius, oculato iudici ſeſe obiecerit? Adam
quoad nihil deliquerat, quamuis adhuc re-
cens coagulum, non metuit aut vitat con-
greſſum Dei: ne pudeſcit etiam, tametſi nu-
dus: quin & accipere audet & reddere vo-
ces. Verum enimuero ſimulatque ab officij
ſui præſcripto deflexiſſet, iam latet, fugit à
facie Domini, immo & vocatus nõ niſi emi-
nus, ac inter fruteta abditus reſpondet: Vo-
Gen. 3. „ cem (inquit) tuam audiui, & timui eò quòd
„ nudus eſſem, & abſcondi me. Tale quid ac-
cidit & Eſræ. Quamdiu de populi præuari-
catione nihil cognouit, orat quidem Deum,
& alios eôdem inuitat: vt è ſuperiori capi-
tulo oſtendimus: at nihil eiuſcemodi ver-
borum. At poſteaquam immanitatem eam
facinoris ab alijs audiuit, ſubitò totus elan-
guit, non quidem ſua, ſed ciuium cauſa: ma-
ximè donec incertus eſſet, quid animi illi
ad remedium præberent. Hinc illi tanta a-
nimi conſternatio, atque anxietas. Interim
illud obiter hîc conſiderandum venit: cur
non contentus dixiſſe, iniquitates, addit &,
peccata. Non deſunt interpretes, qui tale
diſcri

diſcrimen factum putent : vt quoniam illi ſuæ gentis vxores præter ius faſque abieciſſent, dixerit, iniquitates noſtræ multiplicatæ ſunt &c. quum quod poſtea dicit, delicta noſtra creuerunt vſque ad cœlum, ad eam iniuriam referendam putent, quam diuini mandati tranſgreſſione in Deum commiſerunt. Iam hæc Eſræ confeſſio & illud germanæ proprietatis habet, vt non modò quæ in Deum, verùm etiam quæ in proximum deſignauit, prodat. Nam (vt Ioannes ait) hoc mandatum habemus à „ I.Ioã.4
Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fra- „
trem ſuum. Neque ſanè decalogi ſanctio- „
nibus minori cura de paranda proximi gratia, cauendaque offenſa, DEVS præcepit quàm de ipſius propria. In quo ſi negligentiores fuerimus, non eſt quòd mitiorem nobis pœnam polliceamur : quum quæ in proximum tendit iniuria, in Deum redundet : in tantum, vt ne ſacrificio noſtro, niſi reconciliato prius fratre, ſit ani- Mat.5.
mum appulſurus. Videte quàm lautè & opiparè menſam noſtram è tam parco verbo rum (in ſpeciem) apparatu inſtruximus. Qui non inſulſi eſt palati, facile ex his verum pœnitentiæ guſtum capere poterit. Tempus eſt, vt ad ea quæ fuſius in hac confeſſione ab Eſra dicuntur, tranſeamus.

Sequitur :

A Diebus patrum noſtrorum & nos ipſi peccauimus grauiter vſque ad diem hanc, & in iniquitatibus noſtris traditi ſumus ipſi, & Reges noſtri, & ſacerdotes noſtri in manum Regum terrarum, & in gladium, & in captiuitatem, & in rapinam, & in confuſionem vultus, ſicut & die hac: & nunc quaſi parum & ad momentum facta eſt deprecatio noſtra apud Dominum Deum noſtrum, vt dimitterentur nobis reliquiæ, & daretur paxillus nobis in loco ſancto eius: & illuminaret oculos noſtros Deus noſter, & daret nobis vitam modicam in ſeruitute noſtra, quia ſerui ſumus, & in ſeruitute noſtra non dereliquit nos Deus noſter: & inclinauit ſuper nos miſericordiam coram Rege Perſarũ: vt daret nobis vitam & ſublimaret domum Dei noſtri, & exſtrueret ſolitudines eius, & daret nobis ſpem in Iuda & Hieruſalem. Et nunc quid dicemus Domine Deus noſter poſt hæc? Quia dereliquimus mandata tua, quæ
Deut. 7. *præcepiſti in manu ſeruorũ tuorum Prophetarum, dicens: Terra ad quam vos ingredimini vt poſſideatis eam, terra immunda eſt iuxta immunditiam populorum cæterarumq́;*

ter-

terrarum, abominationibus eorum, qui repleuerunt eam ab ore vſque ad os in coinquinatione ſua. Nunc ergo filias veſtras ne detis filiis eorum, & filias eorum ne accipiatis filiis veſtris: & nõ quæratis pacem eorum, & proſperitatem eorum vſq; in æternum, vt confortemini, & comedatis quæ bona ſunt terræ, & hæredes habeatis filios veſtros vſque in ſeculum. Et poſt omnia quæ venerunt ſuper nos in operibus noſtris peſſimis, & in delicto noſtro magno, quia tu Deus noſter liberaſti nos de iniquitate noſtra, & dediſti nobis ſalutem ſicut eſt hodie, vt non conuerteremur, & irrita faceremus mandata tua, neq; matrimonia iungeremus cum populis abominationum iſtarum. Nunquid iratus es nobis vſq; ad conſummationem, ne dimitteres nobis reliquias ad ſalutem? Domine Deus Iſrael iuſtus es tu: quoniã derelicti ſumus, qui ſaluaremur ſicut die hac. Ecce corã te ſumus in delicto noſtro. Non enim ſtari poteſt coram te ſuper hoc.

HAbetis hîc, totius Eſraicæ confeſſionis ſummam: in qua obiter quatuor rationes colligit, ob quas Deum ſuis grauius, iuſtiusque infenſum veriſimiliter credit. Pri

mam ita infert: Quum dubium nobis eſſe nó poteſt,quin ob maiorum noſtrorũ perfidiam & iniqua in Deum ſtudia,omnẽ reipub.ac religionis formam amiſimus,vicinis terrarum regibus prædam paſſim de nobis & cædem agentibus,ita vt nihil calamitatis excogitari poſſet, quod perpeſſi nó ſumus: ſanè par erat vt malis ipſorũ edocti,ac metu coërciti, diuinam offenſionem non tam leuem iudicaremus,vt maiores etiã noſtros huius ſceleris atrocitate victos à nobis eſſe videri poſſit. Secundam ad hunc modum: Iam non modò paternæ trãſgreſſionis,ac diuinę animaduerſionis memoriã abiecimus: verùm etiam ne recentis huius tuæ in nos voluntatis recordatione commoti ſumus, qua reliquias iſtas afflictæ gentis colligendas tandem ac fouendas decreuiſti,intantũ vt precibus noſtris ſuſceptis, nunc demum lucem oculis hauſiſſe videamur, conciliata nobis exterorũ regum voluntate,tam præclara: vt nó ſolùm vitam ac fortunas ſaluas nobis eſſe voluerint, ſed quod plus eſt, patriæ repetendæ ac inſtaurandi templi poteſtatem fecerint. Quorũ tuorum in nos meritorũ magnitudini quum nulla animi officiorumq́ue teſtificatione reſpondere poſſemus, nihilo tamẽ verecundius ad te exaſperandum progreſſi ſumus. Certè reddit culpam multis partibus atrociorem,ſi ne per-

cepta Dei benignitate impediri poteſt, ac ſiſti. Apud Hieremiam Dominus ita conqueritur: Populo huic factum eſt cor incredulum & exaſperans: Receſſerũt,& abierunt: & non dixerunt in corde ſuo: Metuamus Dominum Deum noſtrum,qui dat nobis pluuiam temporaneam & ſerotinam in tempore ſuo, plenitudinem annuæ meſſis cuſtodientem nobis. Tertiam per hoc innuit,quòd neq; ſeruitutis,quam necdum excuſſerãt, recordatione reprimi potuerũt: quò minus,in eo præſertim rerũ ſtatu,laſciuiendum ſibi blandiendumq́ue carni putarint. Quo ſanè nomine peccatum non parum exaggeratur. Si liberis, ac ſuo iudicio viuentibus tale quid accidiſſet, condonandum fortaſſis erat affluentiæ,& rerum proſperitati. Nam ferè fit,vt inſolentia ſit comes felicitatis. At (inquit) quamdiu præſentem adhuc miſeriam & ſeruitutem ſentimus,dolori iuſtius erat q̃ voluptati indulgere: ita vt planè intoleranda ſit hæc noſtra proteruitas. An non ſtultum eſt Dei etiam iram in nos aduocare,quum quotquot ferè ſunt homines noſtræ libertati patiamur infeſtos? Et nunc (inquit vltimo loco) quid dicemus Domine Deus noſter poſt hæc? Vt parum ſit,quòd non metuimus quo animo factum noſtrum tu acciperes: vt nobis condones, quòd neque tuorum erga nos meri-

Hier.5

to-

torum,neque huius quam patimur fortunæ rationem habuimus: quam tandem excuſationem admittet, quòd inter hæc omnia tuum ipſius,tuum inquam mandatum,quo
Deut.7. tam diſertè caueras,ne vllum affinitatis,aut neceſſitudinis vinculum cum his gentibus nobis intercederet: omni pudore abiecto tranſgreſſi ſumus? Si ſemel ita nobis præcepiſſes, forſan ignorationi locus eſſet. Nunc palàm, nobis non inſcientibus, per Moſen
Mala.2. primùm,deinde recens per Malachiam,voluntaaem tuam ita eſſe clarè oſtendiſti. Et ſanè nimis efficax argumentũ. Nam ſi verè
Iac.4. „ D.Iacobus ait: Scienti bonum facere,& nõ „ facienti, peccatũ eſt illi: grauius ſit illi neceſſe eſt,qui non modò quod bonum nouit non facit, ſed potius contrarium admittit.
Luc.12 Ad eundem modum ratiocinatur Chriſtus: „ Seruus qui cognouit voluntatem Domini „ ſui, & non fecit ſecundum voluntatẽ eius, „ vapulabit multis: qui autem nõ cognouit, „ & fecit digna plagis,vapulabit paucis. Iam videte mihi formam huius confeſſionis, an nõ ſit longè alia,quàm hodie nobis tradunt nonnulli? Ridiculum iudicàt,ac friuolum, immo & inutile prorſus,adeoque impoſſibile, vt circunſtantias ac momenta peccatorum quis enumeret. Qua in ſententia ſi Eſras fuiſſet,tribus his verbis totius confeſſionis ſuæ ſummam,ac etiam peccati com-

præ-

præhendere poterat: Domine grauiter te offendimus, quòd ex allophylis vxores duximus. Et quidẽ in hoc cardo peccati. Sed qualia ſunt quæ adiungit? Non reuocauit nos metus tui ac reuerẽtia: ingratiſſimi fuimus aduerſus optimũ ac munificentiſſimũ Dominum, vel ob recens accepta beneficia: & quidem eo rerũ ſtatu, quo te potius amplius conciliare nobis, quàm offendere deberemus: offendere inquã, negligendo pręceptum tuum, quod non obſcurè, neq; vno loco ſeruandum præcepiſti. Quæ omnia talia ſunt, vt quoniam nõ mediocre momentum cur non peccaretur adferrent, neglectus eorum ſit obnoxiis in crimine. Quod Eſras ſuo metu ſatis euidenter inſinuat, quũ ſubdit: Nunquid iratus es nobis vſque ad conſummationem, ne dimitteres nobis reliquias ad ſalutem? Deinde hoc epiphonemate cõcludit: Domine Deus Iſraël iuſtus es tu: ecce corã te ſumus in delicto noſtro. Non enim ſtari poteſt coram te ſuper hoc. Breue quidẽ illud, & quod aures leniter ferit, aculeatũ tamẽ ac neruoſum. Sed de quo aliàs latius. Suffecerit nunc, quòd intelligitis, ni fallor, quid ex hac confeſſione petere debeamus, & quantum habeat ad pœnitentiam rectè inſtituendam momẽti. Ad cuius latiorem explicationẽ me tantùm nõ protrudi, vos iuxta mecum videtis. Sint igitur

quæ

quæ diximus fundamenti loco, proximis concionibus curabimus, Deo fauente, negocium ad faſtigium perducere. Interea Eſrâ, & quę hactenus de eo audiſtis, ab animo ne deponite. Sit gratia Dei cum omnib. nobis AMEN.

Feria ſexta poſt Oculi.

SERMO SEXTVS.

Vperiori cōcione ibi dicendi finem fecimus, vbi Eſrâ, poſtquam ciuium ſuorum gratia grauiter ſe afflixiſſet, & ad pœnitendum eos ſuo facto vocaſſet: confeſſionem ſuam, in peccati exaggerationē dumtaxat longam, hoc aculeato fine clauſiſſe diximus: Domine Deus Iſraël iuſtus es tu: ecce coram te ſumus in delicto noſtro. &c̄. Mirum ſanè in exorando tam parcum fuiſſe verborum, qui paulò antea in luctu & lachrymis tam fuerat profuſus. Nam ratio ipſa precandi id videtur exigere, vt veniæ deprecatio non in poſtremis habeatur. Alioqui quid profuerit culpam profiteri, niſi vno eodemque momento roges
Mat. 27. remitti? Iudas ille proditionis culpā agnoſcit: ſed quia veniam non optat, quoniam nec ſperat, mortem ac deſperationem ſibi conſciuit. Moſes, Danid, Daniel, tum alij com-

complures,culpæ confeſſionem præmittũt
quidem: ſed mox ad veniæ exorationẽ ani-
mum orationemq́ue traducunt. Obſecro „ Exo.32.
Domine (inquit Moſes) peccauit populus „
iſte peccatum maximum. Audis profitentẽ. „
Aut dimitte eis hanc noxam: aut ſi nõ vis, „
dele me de libro tuo quem ſcripſiſti. Audis „
exorantem. Dauid vtrunque intermiſcet Pſal.50.
in Pſalmo, cui initium eſt, Miſerere mei „
Deus,ſecundum magnam.&c. Daniel con „ Dan.9.
feſſionem ita exorditur: Peccauimus, ini- „
quitatẽ fecimus,impiè egimus.&c. Sequi- „
tur deprecatio: Anertatur obſecro ira tua, „
& furor tuus.&c. Peccaui ſuper numerum „
arenæ maris, ait Manaſſes. Mox ſubiungit: 2.Par.33.
Et nunc flecto genua cordis mei, precãs ad „
te bonitatẽ Domine. Deprecatoris iſta vox „
eſt. Quid latro in cruce? Nónne quum di-
cit: Nos quidem iuſtè,nam digna factis reci „ Luc.23.
pimus: culpam agnoſcit: ſed quam remitti
ſibi orat,quum ad Chriſtum cõuerſus,ſub-
iungit: Domine memento mei, quum ve- „
neris in regnum tuum? Illi quidem ſic: at „
Eſras poſt grauem delicti exaggerationẽ,de
exorando nõ laborat. Fortaſſis pius ille vir
tam fuit lachrymis impeditus, vt loquendi
facultatem amiſerit. Ego equidem,quò ſuis
pœnitendi deſideriũ ꝓfundius inſculperet,
altioris ingenij artificium ſubeſſe exiſtimo.
Non enim cadit in eum virum,in lege tam
feli-

feliciter verſatum, vt eum pœnitentiæ partes neſciſſe dicamus. Iam ſi conuenire non neſciebat, vt culpæ confeſſionẽ veniæ deprecatio ſequeretur: putas, de Deo tam malignè ſentiebat, vt quod rogaretur, præſtare nollet? Quî fit igitur, rogas: vt quum in agnoſcendo delicto tam multus fuit, nõ modò non petit ſuis ignoſci, ſed ne meminit quidem? Hauddubie ſciebat maioris negocij opus eſſe quod moliretur: & vnde ſe ſuoſque non facilè explicaret, niſi religionis metu eos acriter perculiſſet. Quis libẽs vxorem, iudicio delectam, iuuenem, dotatam, & è qua prolem iam ſuſtulit, ad priuati hominis imperium dimittat? Quare ſagacitate ac dexteritate hîc opus erat. Porrò qua ratione potuit illos in certiorẽ trepidationem coniicere, q̃ quòd poſt tot argumenta certiſſimi doloris, quũ iam Deum oratione videretur placaturus, ſceleris atrocitatem obiter ita exaggerauit, vt quaſi veniæ deſperatione abſorptus, his verbis negocium in-
„ uolueret: Domine Deus Iſraël (inquit) iu-
„ ſtus es tu: ecce coram te ſumus in delicto
„ noſtro: non enim ſtari poteſt coram te ſu-
„ per hoc. Ac ſi dicat: Videte fratres, quo in loco res noſtrę ſint. Intelligitis quòd iuſtus ſit Dominus Deus noſter, qui peccato tam infenſus eſt, vt nullum relinquat impunitũ, vt ipſi malis noſtris abundè ſatis edocti ſum⁹.

Hic

Hic ipſe actionum noſtrarum iuſtus iudex non eſt procul à nobis, immo incumbit, immo nouit ac ſcit omnia. Iam hic in conſpectu eius aſtamus, non illi titulo aliquo pietatis & religionis (vt ſolemus) cōmendati, ſed deſertores legum & ſtudio hoſtes. Et quid vultis, dicam? Tale eſt delictum noſtrum, quod nullo colore palliari, nulla diſſimulatione tegi, nulla tergiuerſatione negari, nulla denique excuſatione defendi poteſt. Quid igitur conſilij capiendum ſit, vos in commune mecum deliberate. Quòd verò ſermonem ita abrumpit, non id ſpectat, vt in deſperationem eos abducat: ſed vt inopes conſilij, tum facinoris ac metus magnitudine perculſi, ad ſe potius rei gerendæ ordinem ac poteſtatem deferrent. Nihil enim aliud his verbis ab illis videbatur elicere, quàm vt dicerent: Quin tu potius nobis præſcribis, quod factu optimum iudicas? Tu, ſi quid conſilij habes profer, in nobis nulla ad parendum mora erit aut difficultas. Hîc ipſe: Conſilij nihil, niſi vt ex animo declaremus, peccatum nō tam velle lugere, quàm corrigere. Nimirum quò tendebat, peruênit. Nam vt proximo ſtatim capite refertur, omnes promiſcue in fletum ac lamenta proruperunt, & cum ſumma deteſtatione ſui facinoris promptos ſe ad imperata facienda obtulerunt, neque vllam con-

di-

ditionē quantumuis duram ſunt aſpernati: tantū vt ipſe animo ac authoritate præiret, conſilioq́; iuuaret. Proinde quum hîc Eſræ iam inde ab initio ſcopus fuerit, an nō prudenter, ac penè callidè confeſſionem ſuam ita comparauit, quod duro illi ac peruicaci populo nihil aliud quàm metum, nulla ſpe veniæ iniecta, congeminarit? Quod niſi feciſſet, quem fructū caperet non video. Nam ferè ita natura comparatum eſt, vt quoties nō obſcuram gratiæ ſpem concipimus, nos in omne tempus occaſione cōmoda vſuros credamus: tanquam quod nunc in parato eſt, in promptu ſemper ſit futurum: vt noſtris hominibus hodie paſſim vſuuenire videmus. Neq; ſanè Eſræ res aliter cecidiſſet: niſi diuinæ iuſtitiæ, tum publici & grauiſſimi facinoris amplificatione, ita eos perterruiſſet, vt eueſtigio de conſilio ac remedio cogitarent. Ex his quæ dicta ſunt, non ſolùm in Eſra diligentiam, verumetiam prudentiam dexteritatemq́; ſuſpicimus: nam quò populi voluntatem ſibi conciliaret, ad ſummam curam non minorem induſtriam aggregauit. Alioqui ſollicitudo non multum prodeſt, ſi conſilium cautioq́; defuerit. Sanè æquum eſt, vt quum diabolus nullam non perſonā induat, fingat, ac refingat, quò nos in peccati naſſam illiceat: eos qui horū curam ſuſtinent, nihil etiam non tentare,

nunc

nunc ab arte,nunc ab experientia cõſilium petere,quò ſuos Domino incolumes vel ſeruent,vel reſtituant. Ars artium eſt regimen animarum : ait Gregorius in ſuo Paſtorali. Vbi pluribus verbis fuſius tractat, quanta tum in docendo,tum in admonendo ſit habenda,perſonarum,ætatum,ſexuum,regionum,ac ingeniorum ratio. Quod Eſras abſolutiſſimè prǽſtat. Erat illi negocium cum populo pœnè inflexibili : quo nomine neceſſe erat vt ad eas artes ſeſe cõpararet, quibus ingenium illis ſe extorquere poſſe confideret. Faxit Deus,vt & hac tempeſtate nõ paucos habeamus,qui tanta ſolicitudine ac moderatione populum ad pœnitentiã incitarent: nihil metuendum de ſucceſſu. Non puto ſiquidem tam ſupinã eſſe mortalium incuriã,quin metu excitari,atq; ad vitæ correctionẽ impelli queant,modò nõ deeſſent, qui quantũ adeatur peccando periculi, & q̃ ſeuerè Deus ſit iudicaturus,quotidie inculcent.Iam quum multis in locis pœnitentiæ diſciplina penitus ſit abrogata : alij ita tradant,vt eneruent citius,quàm confirment: mirum eſſe nõ debet,ſi nuſquam vera inueniatur & germana:cunctis paſſim ita vitam tranſigentibus, vt videatur ocioſum pœnitere, & iam in propatulo liceat cuiq; quod libitum eſt facere. Quum interim ſi quis de profeſſione nos interroget,Chriſtianam mi

litiam non diſſimulabimus. Et quò culpam conferas, niſi in eos, qui quum facilem à peccatis reditum conſtituunt, & humanis auribus nihil niſi miſericordiam inferunt, pœnitentiam verò vel penitus omittũt, vel corrumpunt, illud iam conſecuti ſunt, vt peccandi licentiam quadam quaſi vi defendamus, & (vti fit dum proponitur impunitas) nullum tempus ſerum ad pœnitendum putemus? Quid aliud quàm animicidas iſtos dixeris, qui dicunt impio pax, & nõ eſt pax? Si ſatis foret aures miſericordiæ dumtaxat palpo demulſiſſe (vt hodie faciunt, qui vt peccata remittantur pręter fidem nihil exigunt) inſulſus fuerit Eſras oportet, qui in pœnitentiæ perſuaſione tam multũ operæ collocauit. Poterat & ipſe dixiſſe: Si creditis Deum miſericordem eſſe, peccata remiſſa ſunto. At, chariſſimi fratres, longè aliam pœnitentiæ methodum nobis tradiderunt, qui illam vtriuſq; teſtamenti tempore cùm ſcripto tum exemplo commendarunt. Conſulite ſacros annales, ex quibus Eccleſia mutuata eſt ſuas traditiones. Nam eundẽ planè modum ad quẽ Eſras cum ſui ſimilibus pœnitentiæ formam non tam præſcripſit q̃ exhibuit, Catholica eccleſia iam inde ab initio retinuit, retinet adhuc, & retinebit donec erunt qui Eccleſiam perinde vt oppugnabunt, defendent. Et ſi de ſucceſſu glo-

Ezech. 13

rian-

riandum eſt,modus iſte longè eſt optimus. Quare quum iam ſuperioribus aliquot con cionibus multa de Eſrę inſtituto in tradenda pœnitentiæ ratione,diximus: ſub finem proximi ſermonis fidem meã me vobis obſtringere memini, vt ad huius exemplum, quę Eccleſia de eadem latius pręſcripſit,explicarem: ſperans me effecturũ,vt quàm ſtabili ac ſolido fundamẽto innitatur, quodq́; nihil alienum ab his quæ in vtroque teſtamento de ea reperiuntur,vllo tempore docuerit,omnes cognoſcatis. Interim de fide nunc liberanda cogitanti,nõ videtur quod dicendum mihi propoſui,vno ſermone totum poſſe comprehendi: quare breuibus & per capita collationem dumtaxat Eccleſiaſticæ traditionis cum Eſraico inſtituto facturi ſumus: vt me non temere tantopere illud vrgere, animiſq́ue veſtris inſculptum cupere credatis. De aliis poſtea fuſius.

Vt igitur quæ de Eſra dicta ſunt in compendium redigamus: Audiſtis primo,illum ſimulatque de ciuium facto cognouiſſet,omnibus poſthabitis, animum extemplo ad agendam pœnitentiam conuertiſſe. Secundò,pro pœnitentia illud ſibi impoſuiſſe, vt vniuerſis animi ſenſibus ad capiendum dolorem laxatis, turpem illam tranſgreſſionẽ qua poſſet cordis amaritudine exæquaret: quũ non ignoraret diuino honori per hoc

maximopere derogatum,& ſuorum incolu mitatem,rem, ac ſalutem in extremũ periculum adductam. Tertio loco oſtendimus tantam fuiſſe doloris magnitudinẽ,vt eum quibus potuit ſignis, gemendo videlicet, plangendo, lachrymando, adde & veſtium diſcerptione ac capillorum laniatione,foris oſtenderit. Quartò nec his contentũ,flexis tandem genibus,ac manibus in cœlum protenſis commiſſum facinus ita fuiſſe confeſſum,vt nullum deiecti animi ſpecimen nõ exhiberet, Deum iuſtum ac meritò iratum prędicans,in ſe verò ac ſuos hoſtili propè acerbitate inuectus. Quintò ad id quod reſtabat accingitur: nam (vt proximo capite narratur) curam ſuam omnẽ ad hoc intendit,perducitque,ne qua eius ſceleris macula amplius in populo hæreret. Et quod vltimo loco notandũ venit: his omnibus agendis nullum tempus interponit,neq;,vt rem difficilem,in alium diem reijcit: ſed ſtatim re cognita,ad occurrendum ſe colligit: neq; ceſſat vſpiam,donec,quaſi tranſgreſſione facta,ad optatum tandem finem peruenit.
Hæc Eſraici inſtituti ſumma. Enimuero Ecclesia adeò nihil horũ in ſua traditione prętermittit,vt ne ordinem quidem inuerſum velit. Primùm pœnitentiam ad hoc nobis tradidit,vt qui poſt baptiſmi lotionem peccatis denuo obſorduerunt,hác quaſi ſequeſtram

ſtram ſarciendæ cum Deo gratiæ haberent. Secundò vult, vt qui pœnitere cupit, ante omnia quanto poteſt doloris & humilitatis ſenſu animum conterat, diſcerpatq;. Tertiò eam ipſam contritionem ita demum ratam habet, ſi à propriæ malitiæ, & diuinorũ iudiciorum cõſideratione ſit profecta, aucta deinde recordatione tam exploratæ erga nos voluntatis Dei, denique arcano ſpiritus ſancti afflatu ac ſtudio excitata fuerit & cõfirmata. Quartò ad veram pœnitẽtiam exigit, aut deſiderat potius, vt quod dolor intus agit, etiam foris declaret. Quintò oris etiam officium ad proprij facti iugulationem requirit. Sextò vt poſt hæc omnia in correctione vitij laboremus, & culpā pietatis fructu cumulemus. Poſtremò ne procraſtinando tantam rem differamus: ſed omni mora amputata, deſtinata prius ad rem conferamus, quàm deſides mors ad æternũ malum intercipiat. Has pœnitentię partes nõ nunc primùm, ſed à multis inde ſæculis Eccleſia præſcripſit: cõfirmatas, nõ ſolùm hoc Eſræ loco, quem nunc præ manibus habemus, verumetiam per totam ſacram ſcripturā aliis pœnè ſexcentis. Et eas quidem omnes tam neceſſarias, vt ſi vel vnā ſubtraxeris, totum corpus luxaueris. Quare quum per pœnitentiam reditũ ad Dei gratiam habeamus, illud videat vnuſquiſque quid cui credat:

quomodo enim mentem Dei per hanc ob-
tinebimus, ſi in ea obeunda ab eius mente
diſcrepemus? Atq; hæc de pœnitentia nunc
ſummatim perſtrinxiſſe ſufficiat. Suffice-
ret fortaſſis, præſertim nõ inſulſis ingeniis,
etiam ſi his contenti ad alia tranſiremus:
quum euidens ſit non eſſe nouam hanc tra
ditionem, ſed pulcherrimè cum his omni-
bus quæ Eſras tum dixit tum fecit conſen-
tire. Verùm in imperitorum gratiam non
grauabimur proxima oratione (Deo fauen-
te) de ſingulis latius, habita tamen breui-
tatis ratione, diſputare.

Dominica Lætare.

SERMO SEPTIMVS.

QVàm omnib. partibus Eccleſiæ
conueniat cum noſtro Eſra in
pœnitẽtiæ traditione, proxima
concione (ſi meminiſtis) ſatis
eſt declaratum. Quanquam ne
hoc quidem tacuimus, nihil vſquã in vtro-
uis teſtamento de ea reperiri, ad quod colla
tione facta, idem vtrunq; eſſe neges, vel vnũ
ab altero mutuatum. Præterea & fuſius de
iis quæ Eſræ occaſione ad comparandum
commiſi, me dicturum recepi. Quæ omnia
eò tendunt, vt quiuis Chriſtianus ſecũ diſpi
cere ac diiudicare poſſit, in tanta videlicet

doctrinæ diſſenſione,vtri ad ſcripturæ men tem propius accedant:nouatorésne iſti,qui nouam quandam pœnitentiæ rationem in-uehere conantur: an Eccleſia,quæ vnanimi conſenſu tam Græcorum quàm Latinorũ, eam quã nunc habet formam à maioribus, immo ab ipſis vſque eius crepundiis ad nos perduxit. Habet ſanè pars illa,qui ſeriò ia-ctent ſe demum pœnitentiæ lucẽ intuliſſe, atque ita poſtliminio reſtituiſſe,vt quę an-tea tot difficultatib. ac moleſtiis intricata erat,quod vel procul accedentes metu auer teret,nunc omnibus ſit expoſita & minimè triſtis ac difficilis. Quibus ita reſpondero. Vt minimè laudandus eſt, qui rem aliquã ita exaggerat,& moleſtiis impeditã reddit, vt fructum ex ea petentibus terrorem in-cutiat: ita repræhenſione non vacat,q tam facilem ac protritam fingit,vt contempti-bilem ac infrugiferã reddat. Non negarim fuiſſe,quorum alij veri ignorantia,alij zelo ducti, ſed non ſecundum ſcientiam, pœni-tentiam ſatis anguſtè circumſcripſerint, vt Phariſaicam citius diceres quàm Chriſtia-nam: aliis rurſus tot pedicas admiſcuerint, vt errorem potius quàm præſidium adfer-ret: alij tam abſtruſam, vt homines citius ad deſperationem,q̃ ad ſalutam adigerent. Verùm enimuero vt iſtis calculum meum non adiungo: ita nec cum illis ſentio, qui

pœnitentiam tam ieiunam ac crudam relin
quunt: magis ſæpenumero vt ab hominib.
plauſum referant, quàm quòd de ſcripturæ
mente laborent. Quod quum variis artibus
faciant, non poſtremum eſt illud, quod tan
tùm duas partes illi attribuant, contritionē
nimirum & fidem. At qualem contritionē?
Nō de qua ex Eccleſiæ traditione diximus,
quæ acerbiſſimo ſenſu doloris ſuum peccatum ventilet, flagellet, damnetque, purget
denique: ſed quam ipſi alio nomine, Terrores incuſſi, vocant: videlicet, vt poſtquam
homo contra Dei voluntatem ſe feciſſe cognoſcit, peccati horrore tantiſper concutiatur, paueat, trepidet, vt qui exitum non
videt, donec vel propria cogitatione, vel alterius ſermone ad mentem ipſi adducatur,
Chriſtum eſſe qui mortem pro nobis depen
dit, & abundè pro omnibus omnium pecca
tis luit. Cui opinioni ſi firmam fidem adhibueris, ſatis eſt, nihil amplius. Et hanc (ſi
Deo placet) pœnitentiæ formam hodie cōminiſcimur: certè in vulgo ipſorum non aliam eſt animaduertere. Apagete cum illa
cordis laniena, cum illa oris, id eſt, ſui proditione: non ferimus illam ſatiſfactionem,
videlicet operum confidentiam: alienū eſt
à charitate, fratrem excommunicatione ferire. Nónne qui talia vulgi auribus inſtillant (certè ab auribus in mores iam tranſie
runt)

runt) pœnitentiæ ingentem ſarcinam detraxiſſe videntur? Sat commodè, ſi ſat verè. Nam plauſibilius hæc dici quàm verius, fateatur neceſſe eſt, qui per tranſennam ſaltē inſpicit, quid de pœnitentiæ ratione ſacræ literæ tractant, & quibus exemplis eam nobis confirmatam tradiderunt. Proinde vide quibus te doctoribus permittas. Ego equidem non aliam Eccleſiaſticæ diſciplinæ formam vobis tradam, quàm quæ iam inde ab Apoſtolorum temporibus, per omnes orbis angulos, vbi Chriſti nomen vnquam auditum eſt, obtinuit.

Principiò igitur, quemadmodum Eſras nullam viam commodiorem certioremque excogitare potuit, quò à ſuis Dei offenſionem auerteret, quàm quòd illos quibus poteſt modis, nunc agendo, nunc dicendo, ad pœnitentiam inflammaret: quam ne ipſe quidem ante omnes in ſe recipere recuſat: Ita & Eccleſia, iis qui violato baptiſmi fœdere Dei indignationē incurrunt, non aliud habet, neque habuit vnquam ad parandam reconciliationem conſilium: immo, vt ita dicam, poſteaquā nos tempeſtas è naui corripuit, & in ſalo fluctuantes mergendi periculum ſufferimus, nō alias habet quas ſubminiſtret ad enatandum tabulas, quàm hoc ipſum pœnitentiæ remedium. Quas quidē tabulas ſi ſtatim corripimus, iiſque innixi nihil

nihil ad diligentiam & conatus reliqui faci mus,quantumuis in altum peccatorum abducti ſumus,certũ eſt nos poſſe impendentem mortem effugere. Hoc habet eccleſiaſtica traditio: neque ab hac vel tantillum diſcrepat,quicquid vſpiam de recõciliando Deo ſacræ literæ præcipiunt. Quod rationibus ac argumentis tam eſt promptũ conuincere,vt penè ſit ſtultum velle conari. In Prophetarum ſcriptis nihil tam frequẽs eſt quàm ſimulatque Deum populi ſceleribus offenſum intelligũt,& iam ad pœnas ſe exerentem,ad pœnitentiã conclament. Quod apud eos,q non planè deſperati erant,adeò non fuit ocioſum,vt ſtatim qua parte laborabatur correctione ſuccurrerent,& ſupplicio,vt fiebat, materiam ſubtraherent. Niſi temporis rationẽ habendam putarem, tota plauſtra exemplorum,maximè è libris Moſis,Ioſue,Iudicum & Regum,vndique conuectarem. Quod ad nouum teſtamentum
2.Cor.12 attinet: an non metuit D.Paulus,ne Corinthum rediens luctus cauſam ex eorum improbitate,qui peccata ſua pœnitentiæ remedio curare negligebãt,ſit habiturus: vſqueadeo vt amplius ſe iis parciturum neget?
Apo.2 In Apocalypſi nõ vni alicui, ſed multis, ſed „ toti Eccleſiæ dicitur: Memor eſto vnde ex„ cideris,& age pœnitentiam,& prima opera „ fac. Sin autem,veniam tibi citò,& mouebo
can-

candelabrum tuum de loco ſuo, niſi pœni- „
tentiam egeris. Immo perinde vt quis te- *Apo.3.*
pida ſumpta ſtomachum ſibi ciet, mouetq́;
nauſeam: intantũ faſtidio & áuerſione affi-
citur Dominus erga eos, qui pœnitentiam
pollicentur, nec pręſtant. Quid luculentius
eo, quod idem Ioannes in epiſtola ſcribit? *1. Ioan. 1*
Si, inquit, confiteamur peccata noſtra: Deus „
fidelis eſt, & iuſtus, vt remittat nobis pec- „
cata noſtra, & emundet nos ab omni iniqui „
tate. Sed Deum potius in Ezechiele loquen *Eze. 18.*
tem audite: Si impius egerit pœnitentiã ab „
omnibus peccatis ſuis, omniũ iniquitatum „
eius nõ recordabor. Et apud Hieremiã: Etiã „ *Hier. 18*
ſi, inquit, maximè deſtinaro gentem aliquã „
aut regnũ, peccatis ita merentibus, ſtirpitus „
excindere, Si pœnitentiam egerit gens illa à „
malo ſuo, quod locutus ſum aduerſus eam, „
agam & ego pœnitentiã ſup malo quod co „
gitaui vt facerem ei. Proinde nulli ſano du „
bium, hanc Eccleſiæ traditionẽ Spiritũ ſan-
ctum habere authorem, qua præcipit, quic-
quid ſordium genitali ſtolæ, quã in baptiſ-
matis fonte mundam accepim⁹, poſtea aſp-
ſeris, in pœnitẽtię demum riuo eluendum.
Id de eius mente fiet hoc modo: vt cõcepto
implacabili odio aduerſus anteactę vitę tur
pia admiſſa, quatenus eorum deſignatione
paternum illud Dei pectus exulcerauimus,
extemplo nos quibus viribus quaq́; diligen
tia

tia ad tollendã eam eluuiem, ſarciendamq́; cum Deo concordiam comparemus, idq́ue mediis ad hoc ab eo præmonſtratis: nõ oſci tanter, nõ frigidè, nõ tanquam ex æquo loco, ſed animo fracto, ac certo, ingenti tamẽ ſpe, ac fiducia de Dei bonitate ac miſericordia vndique confirmato. Hæc qui præſtat, is demum in Eccleſia pœnitere dicitur. Primũ (vt qđ diximus per partes fiat lucidius) vt aduerſus prioris vitæ commiſſa odio ipſe ac affectu laboret. Deinde vt gratiam non alibi q̃ à Deo, idq́ue tota voluntate, quærat. Tertiò vt nõ ipſe ſibi viam ad reſipiſcentiã cõminiſcatur, verùm eam quam iampridẽ apertam habemus, ſequatur. Quartò vt rei perſonam quã foris exhibemus, animo etiã ſenſibusq́; complectamur. Poſtremò vt de Dei erga nos voluntate, nihil hæſitantes certa fide, & quadam cõfidentia graſſemur. Huiuſmodi pœnitentiam panaceam quandam non iniuria dixeris aduerſus omne animæ morborũ genus: nihil ſiquidem tam debile eſt, tam fractum, tam putridum, tam deniq; præmortuum, quod nõ queat præſenti ope ad ſanitatem vitamq́; reducere. Huius præſidio erratica ouis ſuo paſtori reſtituitur: filius ille paternæ ſubſtantiæ abliguritor in gratiam redit: quod erat in nobis diuinæ imaginis, licet deformatum, reponitur: peccator dignitatem amiſſam recuperat, immo

qui

qui iam diaboli rictum ac mortis fauces intrauerat, mox inter angelos aſſumitur. Nitrum etiam vel ſmigma dixeris, quo ſe Eccleſia quotidie purgat, ſordeſque emaculat, quoad ſe ſponſo ſuo glorioſam exhibeat abſq; macula & ruga, vt ait D. Paulus. *Ephe. 5.* Quocirca hoc antidoto ad ſanitatẽ recuperandam vtatur (rectè tamen, atque in loco) quiſquis ab anima minus benè habere ſe ſentit. Contrà inuenias ardeliones, quos ita miſero ac nimis credulo popello clamare non pudet: Si quis ſcelerum ſibi conſcius eſt, nihil trepidet, menſam Domini accedat, mundus erit. Impudentiſſimè ſanè illi, quũ ne è tota quidem ſacra ſcriptura vnum iota adducere queant, quo ſe tueantur. Ad ſcelerum gratiam conſequendam, à pœnitentia inchoa, dein tibi Sacramentum profuerit. Quod humanũ nõ eſt, ſed inſtitutum diuinum: niſi Domino per Ezechielem nõ credimus, vbi ait: Conuertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatib. veſtris, & nõ erit vobis in ruinã iniquitas. Non enim volo mortem impij, ſed vt conuertatur impius à via ſua, & viuat. Hoc primo loco de pœnitentia dixiſſe ſufficiat. *Eze. 18. 33.*

Iam per hoc quod Eſras, vulgi perſona in ſe recepta, inteſtino dolore diſcerpitur, & ante omnia cor mœſtitudine affligit: ad ſecundũ Eccleſiaſticæ inſtitutionis caput veni-

nimus,quo præcipit,vt, ſi modò verè,vtiliter,& de Dei ſentẽtia pœnitere voluerimus, toti in hoc ſimus: ne vitæ correctionẽ,quã foris mentimur,ore magis & habitu,quàm animo ſuſtineamus. Fruſtra,quin & ſtultè, Deo perſonam obijcimus: ſiue enim rectè agimus,ſiue non,ipſe ante omnia de mentis voluntate ac ſcopo iudicat, deinde opus i-
Gen.4. » pſum expẽdit. Reſpexit (inquit) Dominus
» ad Abel,& ad munera eius. Vides eum prius de voluntate cognouiſſe, quàm de victima laboraret. Sanè voluntas, fons eſt & regula actionum: & ad eius mentem (habet enim & ipſa) vel ignominia à Deo notabimur,vel honore cumulabimur. Imple omnes numeros virtutis & prudẽtiæ,Herculem aliquem laboribus vince,ſi quod foris agis ab animo non proficiſcitur,nihil apud Deum egeris. Vnde & illud liquet, minus malum eſſe, & mitius plectendum,quod pręter voluntatẽ, aut etiam nõ deſtinatum cõmittitur. Quare quod eſt pœnitẽtiæ arcem inuadere,cura vt animum cumprimis volentem feruidumq; ad pœnitẽdum adducas. Alioqui Deo nihil cum laruis, nihil cum ceremoniarũ pupis,
Eſa.1.&58 ſi abeſt cor,vel agit aliud. Quo vitio quum laborarent olim ante Chriſtum Iudæi pro-
Mat.6.& pemodum omnes,poſtea Euãgelij tempore
23 Phariſæi vel ſoli,vel præcipui,grauiter tum in Propheticis tum Apoſtolicis ſcriptis de hoc

hoc notantur. Hæc ſecundo loco ſint dicta. Nunc ad contritionē quā Eſras euidenter expreſſit, quum nihil ſibi ad dolorē reliqui fecit, diem etiā totū in ſumma animi iactatione conſumens: in tertio nimirum gradu veniamus. Hanc comprimis neceſſariū eſt adhibere: qualem videlicet ſuprà delineauimus, quæ cor grauiſſimo doloris ſenſu exerceat: non qualem noſtri in Theologia Epicuræi confingunt, qui ad eam ſatis putant eſſe, terroribus quibuſdam è peccatorum, & iudicij diuini conſideratione cōceptis percelli: non expendentes, iiſdem terroribus etiā obſtinatos, & iam ad pœnā damnatos eſſe obnoxios: ſed nullo fructu. Sanè Cayn iis exagitabatur, quū nullum ſibi locum ad conſiſtendum tutum putaret. Exagitabatur & Iudas in tantū, vt gulam laqueo ſibi frangeret. Sed tam illi ſuis illis terroribus infelices, q̄ iſti ſuo errore timendi. Porrò Eccleſia contritionem ad hunc ferè modum definit: vt ſit internus qdam ac voluntarius animi cruciatus, inde ortum habens, quòd homo ob ludificatam per peccatū Dei bonitatē, & indignationē in ſe prouocatam, incipit ſibi ſeriò ac multum diſplicere: & quoniam vehementer dolet quę facta ſunt, infecta fieri nō poſſe, in peccatum iam odio inuehitur, ſeq; ipſe reum agit: ne tamen ſe non ſubleuet, qd' admiſſum eſt ita ſarcire contendit,

Gen. 4.

Mat. 27.

vt

vt,quò Deum reconciliatum ac benignum habeat,nunc precibus illum oppugnat,nũc diuinæ iuſtitiæ, quò temporalib. hîc pœnis ac ſuppliciis (ſi ita videtur,modò ne in furore) erudiatur,caſtigeturq́;,paratũ ſe offert ac voluntariũ. Hoc nos in Eccleſia contritionem vocamus: mancam alioqui ac imperfectam,hæc tria ni adſint: horror & dolor de peccatis: firmum certumq́; ꝓpoſitũ peccata non iterandi: animus ad ferendum quicqd Deus immiſerit ſanè q̃ promptus, adeóq; vltroneus.Quorum ſi vel vnum defuerit,vt tu contritionem voces, nihil eſt q̃ hypocriſis,palliata,ideoque breuis oſtentatio, ac irritus labor. *Si* verò nullum deeſt, neceſſe eſt efficiatur aliqd,& fructus ſequatur.Et quómodo non iuſtè ab hac pœnitentiam exordimur? Certũ eſt peccata omnia è corde tanq̃ ſcaturigine quadã ita pullulare, vt mox in membra defluãt,deinde ad opus conferantur: æquum eſt igitur,vt quod primum peccato locum fecit,primũ etiam de malo pellendo conſilium capiat,ſeq́; leuitatis contrario contritionis remedio caſtiget. Proinde contritionem ad pœnitentiã fundamenti vice eſſe dixeris. Nam q ſe per peccatum à Deo abalienat, tantiſper ſalutis & partorũ per Chriſtum prẽmiorũ exſors eſt, donec reſipiſcat,redeatque in gratiam.Iam id nemo efficere ac conſequi poteſt,niſi de

commiſſis criminibus ex animo doleat, nihilq; in ſe reſidere patiatur quod ad Dei voluntatē conciliandam impedimentū ſit allaturum. Hæc ferè ſunt quæ de contritione ſecundum Eccleſiæ normam, pro præſenti loco dicenda videbantur. Neque aliena ab his ſunt, quæ D. Paulus Corinthiis ſcribit 2.Cor.7.
de vtilitate multiplici,quam ex eo cōſecuti erant, quòd ſecundum Deum fuerant contriſtati. Quæ ſecundum Deum triſtitia eſt, „ inquit,(ſic enim contritionē ipſe appellat) „ pœnitētiam in ſalutem ſtabilem operatur: & paucis verbis interiectis, operatur (inqt) ſollicitudinem,vt ad vos redeatis: defenſionem,vt cum carnalibus deſideriis pugnetis: indignationem,quòd victi tam facilè ceſſiſtis: timorem, ne Deum amplius irritandū putetis: deſiderium,vt pacem cum eo habeatis: æmulationem, vt magno animo iam ad nouam vitam accingamini: deniq; vindictam,vt à vobis ipſi ſtultitiæ pœnam exigatis. Ad hunc modum ibi Paulus de triſtitia ſecundum Deum, cuius quum vires illas ac partes tam diligenter enumerat,maximè quum de eo ibi agit,qui obiurgatus pœnitentiam præſtiterat: nulli dubium eſſe debet,quin hanc ipſam contritionem ſua illa periphraſi ibi deſignet.Porrò (vt hoc adhuc dicam) contritionis non vna eſt in omnib⁹ ratio.Nonnulli hanc concipiunt,ſolo & ar-

cano quodam Dei motu, cœleſtíque inſtin-
Luc.7 ctu. Quod veriſimile videtur de Euange-
lica illa peccatrice, quã ad tam ſtupendam
doloris, officij, ac voluntatis conteſtationẽ,
interno quodam Chriſti impulſu credimus
incitatam. Sunt qui erroris ſui admoniti,
ſtatim ad animum ſe recipiunt, & corre-
Luc.15. ctionem moliuntur: quod videre eſt in Za-
chæo, & non paucis aliis. Alij ſignis ac pro-
digiis, dum mentem amittere metuunt, re-
Luc.23. cuperant: vt latro in cruce. Reperias etiam,
qui dum malè à fortuna multantur, & vo-
2.Pa.33. tis excidunt, quod de Manaſſe legimus, ma-
lis edocti animum ad pœnitentiam adpel-
lunt. Sunt & alij, qui tùm demum gemere,
plorare, ac pectus tundere incipiunt, poſt-
eaquam ratio illis aliqua, Dei in nos pieta-
tem, ac beneficiorum, meritorumq́; tantam
multitudinem, quibus ab eo mirabiliter
primùm ſunt conditi, deinde mirabilius e-
tiam reparati (vt omittam quotidiana eius
tam multa in nos beneficia) ſeriò ad mentẽ
adducit. Fieri enim *vix* poteſt, quin ſi iuxta
hæc tantæ tuæ ingratitudinis pondus ſedu-
lò retractes, ad tam proli*x*ã eius in te patris
benignitatem liberalitatemq́ue amandam
accendaris. Et certè ea eſt contritionis ra-
tio & radi*x* longè optima atque conſultiſ-
ſima, in quam diuinæ bonitatis conſidera-
tione impellimur. Iuxta vulgatiorem tamẽ
mo

modum,contritio in hominibus ex timore oritur. Nam ſimulac totam vitã peccando ſibi traductam longiſſimè recordantur,meminerunt Deum etiam in ſingula acerrimè inquiſiturum,metu videlicet corripiuntur, horrent, ac trepitant. Eſtque eã cogitatio tam vehemens, vt mox de remedio,ad euadendam diuinę vltionis tempeſtatem,diſpiciant.Hic fons & origo contritionis,ad quã lex etiam ipſa non parum conducit,quum & criminum momenta ſeuerè explicet, & diuinorum iudiciorum acerbitatẽ non diſſimulet. Verùm enimuero,tametſi contritionem ab hoc fonte manare dico,nihil tamen adhuc germanæ contritionis habes, ſi pedem hîc fixeris. Nam hactenus non niſi ſeruilis eſt timor:conſiliis nimirum ad proprium commodum,hoc eſt ad pœnæ vitationẽ omnino relatis. Erras,ſi eam tibi doloris materiam proponis, quòd ob peccata à tanta felicitate excideris, & tot vndique malis te implicaris: ſeruorum, hoc eſt,non natorum: verùm illam non niſi in Dei ac pietatis amore collocare debueras. Quemadmodum de muliere peccatrice in Euangelio aſtruit Chriſtus.Remittuntur ei pec- „ cata multa, quoniam dilexit multum. *Luc.7.*
Rogas fortaſſis,quî fieri poſſe credam,vt homo peccator illum amoris affectum ſibi adaptare & formare poſſit. Dicam.Poſtquam

iam(vt dixi)legis admonitu,& cogitationũ de antè actæ vitæ turpitudine impreſſione, nihil ſibi non horrendum à Deo expectandum cognoſcit,& pœnæ metu cõſilium vndiq; ad euadendum conquirit: in ſacras literas quum incidit,audit Ezechielem pro Do-
Eze.18. mino ita ſpondentẽ: Nunquid voluntatis
„ meæ eſt mors impij, dicit Dominus Deus,
„ & non vt conuertatur à viis ſuis,& viuat?
„ Audit & ex Euãgelio,Deum nõ alio cõſilio
Ioan.3. filium ſuum miſiſſe in mundum,& ferociſſimorum hominum propinaſſe voluntati, q̃ vt omnis qui credit in eum non pereat,ſed habeat vitam æternam. Quæ quum peccator,conſilij antea inops audit, ſumit ſibi,& præter ſpem lætitia fiduciaque ſeſe erigens,
Luc.15. cum filio prodigo,ſic apud ſe dicit: Surgam
„ & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pa-
„ ter peccaui in cœlum & coram te, iam non
„ ſum dignus vocari filius tuus.&c̃. Et vt animus humanus in ſubitis affectionibus mirè fœcundus eſt, etiam talia ſecum loquitur: Ah,quod pectus læſi,quem patrem offendi? Quis, vel tot meis beneficiis ſubleuatus, q̃ hic non numerabilibus ſceleribus à me eſt irritatus,aut rectius conſuleret,aut tantum
Ephe.2. voluntatis oſtenderet? Itaq; Deus, qui verè diues eſt in miſericordia,miſeri huius voluntate ꝓſpecta, vt ſudat,vt æſtuat, vt angitur, quò in gratiam toties neglectam nunc ſe

inſi-

inſinuet: feneſtrám illi mox aperit, manumq́ue porrectat: nam (vt ille ait) iuxta *Pſal.33.*
eſt Dominus iis qui tribulato ſunt corde,& »
humiles ſpiritu ſaluabit.Miſericordiæ itaq; »
illi feneſtram aperit, quò aduerſus peccata ſua magis indies, ac magis inſurgat: idq́ue iam non,vt antea,formidine pœnæ,ſed Dei ac virtutis amore: hoc eſt,nó ob id peccatis infeſtus eſt,quòd ſe in tam propinquũ mortis diſcrimen adduxerant, verùm quòd per ea in tam piiſſimum Deum ac patrem tot nominib.iniurius exſtitit. Habis iam veræ ac gnefiæ contritionis formam, in qua ſeruilis ille timor locum non habet,ſed charitas filiorum, quæ foras mittit timorẽ: eſtq́; *1.Ioan.4.*
illa tam vehemẽs,tantæq́; efficaciæ,vt quanuis ſit peccati lepra totus perfuſus,non horreat tamen peccator Dei conſpectum,quin immo ſi differatur,non dubitet irrumpere. Hoc fecit Eſras: qui tametſi ſuorum ſcelus omnium omnino grauiſſimũ iudicaret, nõ facto ipſo: nam ad Deũ ſtatim ſe corripuit: ſed verbis dumtaxat verecundiam prætendit. Deus meus, inquit, confundor & erubeſco leuare faciem meam ad te. Quanquã è verbis etiam ipſis,quum illud toties repetit,Deus meus: multó plus fidei,charitatis, & paternæ reuerentiæ, quàm ſeruilis timoris,illi adfuiſſe,liquidò cognoſcitur.Pręſtiti iam,ni fallor,quod me de cõſonantia eccle-

ſiaſticæ pœnitentiæ cum Eſræ exemplo,di-
ctụrum promiſi. Reſtat,vt Deo non ingrati
ſimus,quòd baptiſmi iuſiurandum perfidia
commaculantib. non ſtatim luendum iudi
cauit: ſed magis remedium commonſtra-
uit, quo notam illam eluere, primamque
fidem præſtare queamus. Nunc cardo ne-
gotij in hoc eſt,ne illud remedium aut ne-
gligendum,aut contemnendum putemus.
Accingamur igitur, vt de commiſſis pœni-
tentiam agamus: Immo illud à Deo potius
obtinere laboremus: quum ne cogitare qui
2.Cor.3. dem (teſte D. Paulo) aliquid à nobis, quaſi
Ioan.6. „ ex nobis, ſufficientes ſimus. Notum eſt &
„ illud Saluatoris noſtri: Nemo poteſt venire
„ ad me,niſi pater qui miſit me,traxerit eum.
Et ſanè Petrus, non prius confidentiæ ſuæ
Luc.22. ſtultitiam agnoſcere, adeoq; deflere cœpit,
quàm illam galli cantu, & Chriſti aſpectu
deſtinatam intellexit. Clamemus igitur cũ
Pſal.79. Propheta: Domine Deus virtutũ conuerte
„ nos, & oſtende faciem tuã,& ſalui erimus.
Hier.31 „ Et cum altero: Conuerte me,& conuertar,
„ quia tu Dominus Deus meus. &c.

Feria quarta poſt Do-
MINICAM LÆTARE,
SERMO OCTAVVS.

DE

DE tribus pœnitentiæ partibus, iuxta vulgatam, immo & vetuſtam Eccleſiæ traditionem, Eſræ etiã inſtituto exemploq́;, vt audiſtis, confirmatam: ſuperiori concione non paucis diſputauimus. De prima in genere diximus, vt vnicum, ita certiſſimum aſylum eſſe peccatoribus pœnitentiam. Secundò non eam lineamentis debere conſtare & figura, vt appareat, & nõ ſit: ſed rem ipſam requiri: hoc eſt, vt non eam mentiamur habitu, vultu, ac ceremoniis, ſed animo ac voluntate præſtemus. Tertio loco diximus pœnitentiam veram à contritione exordiendam eſſe. Vbi & illa perſtrinxi, quid de ſacræ ſcripturæ & Eccleſiæ mente de hac veniat ſentiendum. Fallimini, ſi de pœnitentiæ ratione nihil amplius dicendũ putetis. Enimuero Eſras poſt quàm inexſpectato nuncio grauiter cõmotus fuiſſet, in luctu & ſqualore, tam pudore facti, q̃ metu diuinorum iudiciorum quum eſſet, nõ amplius nihil agendum iudicauit. Proinde res poſtulat, vt & reliqua quæ fecit perſequamur: quò (quod cœpimus) eccleſiaſticam traditionẽ cum his coniunctim & vniformiter tradamus: ne vel mutilam, vel dimidiatam pœnitentiã docuiſſe videamur. Nam ſi alibi vſpiam, de hac ſanè verũ eſt: Aut totum, aut nihil. Si quæritis, quæ-

Eſa.21. „ rite: conuertimini,& venite: ait Dominus per Prophetam. Sed ad Eſram redeamus: & quid ad doloris ſui ſignificationem amplius adiecit, audiamus. Non contentus iis quæ dicta ſunt, præ nimio animi æſtu veſtem ſibi ſcindit, manus violenter infert in comã & barbã, procumbit in genua, proiicit palmas in cœlum, & qua poteſt animi & corporis abiectione factum confitetur: Deus meus, inquit, confundor & erubeſco leuare. &c̃. Externa hæc erant, & quæ à videntibus & audientibus capi facillimè poterãt: veruntamen inteſtinum cordolium, ani-
Pſal.7. miq; angorem, ſolus Deus, qui ſcrutator eſt cordium & renum, optimè perſpiciebat. Vtrunq; illud etiam Eccleſia ad pœnitentiã neceſſarium ducit: vt & ad teſtificationem doloris animi ægritudinẽ quibus poſſumus indicijs in vitam, mores, ac facta tranſmittamus, & vocis officio in ꝓpriam iniuriam non diffiteamur factum. De illo loquitur
Ioel.2. „ Dominus per Ioëlem: Conuertimini ad me
„ in toto corde veſtro, in ieiunio, & fletu, &
„ planctu &c. Et paulò pòſt: Canite tuba in
„ Syon, ſanctificate ieiunium, vocate cœtum,
„ congregate populum &c. Egrediatur ſponſus de cubili ſuo, & ſponſa de thalamo ſuo.
„ Inter veſtibulum & altare plorabunt ſacer-
„ dotes miniſtri Domini, & dicent: Parce Do
„ mine, parce populo tuo &c. De hoc ita legis
in

in Oſee: Conuertere Iſrael ad Dñm Deum » Oſee.14
tuum, quoniam corruiſti in iniquitate tua: »
tollite vobiſcũ verba. At qualia verba? non »
ad purgationem tui, vt Adam: non ad tergi
uerſandum, vt Cayn: ſed verba confeſſionis
& humilitatis, vt filius ille prodigus. Quod 1.Ioan.1.
vbi fecerimus, fidelis eſt Deus & iuſtus, vt »
remittat nobis peccata noſtra. Quod ad pri
mum attinet, nõ multum operæ in eo com
muniendo mihi exiſtimo ſumendũ. Nam
quis nõ videt id pœnitentiæ proprium eſſe,
externis ſignis eſſe indulgẽdum? Habet hoc
humanus animus, vt nihil vel mediocri mo
leſtia intus verſet, quin ſenſum ſuũ aliqua-
libus indiciis extra loquatur. Si cor dolore
quaſſatur, actiones omnes proculdubio lan
guebunt. Si horror ac trepidatio obſedit,
arrogantiam facile omnem cõtumaciamq;
elidet. Quin & riſum, & hilaritatem nullo
negocio compeſces, ſi verè te habere quod
lugendum exiſtimas. Quem mihi dabis ex
omnibus iis, qui pœnitẽtiæ ſtudio vnquam
inclaruerunt, qui non ſeueritatem in mori-
bus, in habitu ſqualorem, ſobrietatẽ in ver-
bis, parſimoniam in victu, in omni denique
actione duritiã eſt amplexus? Horũ quum
aliquis nihil præſtat, aut præſtat ſimulatè,
eum ego nouo exemplo pœnitere credam,
ac dolore ita vt debet cõmoueri? Pœniten-
tia ſine humilitatis acceſſione conſtare om-
nino

nino non poteſt: quæ ſi animum non ficte occupauit, fieri non poteſt vt foras non erumpat. Iam quũ neceſſaria eſt, tum etiam ſummum habet momentum. Deus (inquit
1.Pet.5. D.Petrus) ſuperbis reſiſtit, humilib⁹ autem
» dat gratiam. Et quid obſecro pœnitentiæ profeſſio eſſet, ſi non adſit animus fractus ac demiſſus? In Euãgelio ne ille quidem Chri-
Luc.18. ſto acceptus eſt, qui præcipua legis capita impleuerat, ob ſupercilium tantũ: Quo igitur numero peccatorem futurum putatis, ſi porrectiore frõte ac inflexa ceruice cũ Deo audeat loqui? Si ne de iuſtitia quidẽ faſtuoſum eſſe licet, de peccatis quid? Nulla eſt creatura tã aliena à crimine, ne angeli qui-
Iob.26. dem, aut, vt Iob ait, columnæ cœli, quæ non contremiſcat & paueat ad nutum eius: & miſellus peccator cornua nõ deponet? Iam quantum huic externæ abiectioni à Deo tribuatur, ex Niniuitarum pœnitentia eſt manifeſtum. Conſternati ſiquidem prophetica illa interminatione, quid faciunt? Comparant ſe ſtatim ad pœnitẽtiam, ludis ac iocis valedicunt, faſtum abijciunt, ieiunãt, ſaccis induuntur, ſternunt ſibi in cinere, denique nihil omittunt quod ad miſerationẽ infle-
Ion.3. ctere poſſet. Quid Deus ad hæc? Scripturam
» audi: Vidit Deus opera eorum, quia cõuerſi
» ſunt de via ſua mala: & miſertus eſt ſuper
» malitia, quam locutus fuerat vt faceret eis:
&

& nō fecit. Quid vnquam rege Achab mon
ſtruoſius atq; peruerſius? Hic tamen, quum 3.Re.21.
ob triſte Heliæ nuntium, timore correptus
humiliter abiectéq; ſe geſſiſſet, an non obti-
nuit vt Dominus ſentētiæ ſuæ quaſi renun
tiaret, diceretque Heliæ: Nónne vidiſti hu-
militatem Achab coram me? Quia igitur hu„
miliatus eſt mea cauſa, nō inducam malum „
in diebus eius &c. Et hoc quidem ipſe ne- „
ceſſitate compulſus, nec certa opinione, nec
conſtanti voluntate. Proin quid non conſe
quetur à Deo, ſi in his peccator toto pecto-
re incumbit? Inde eſt arbitror, quòd toties
in ſacra hiſtoria legimus ſolenne fuiſſe San
ctis, vt ſi quid à Deo peterēt, vel ſacrum tra
ctarent, caſtigatione ad hoc viam munire.
Dauid Rex tam ſplendidus, Genua mea (in- Pſal.108
quit) infirmata ſunt à ieiunio, & caro mea „
immutata eſt ꝑpter oleum. Porrò Daniel, „ Dan.9.
poſui (ait) faciem meam ad Dominū Deum „
meum, rogare & deprecari in ieiuniis, ſac- „
co, & cinere. Et pòſt: Lugebam trium heb- „ Dan.10
domadarum diebus, panem deſiderabilem „
non comedi, & caro & vinum non introie- „
runt in os meum. Et quid demum ſanctius
inter natos mulierum Ioanne Baptiſta? Hic Mat.11.
quū iam inde ab infantia ſanctiſſimè ac pu
riſſimè vixiſſet, nec hoc tamen audet vt Do
minū aqua perfundat. Si tanta pietate præ- Mat.3.
cellentium virorum, vel timidum officium
vel

vel verecunda poſtulatio fuit,poſt tam euidẽns gratiæ ſtudium : quid ad miſeriæ ſuæ teſtimoniũ peccator non faciet? Quare Ecclesiam rectiſſimè veriſſimeq́; docere & exigere concludimus,pœnitentiam non humilitatem verbis tantùm, verumetiã factis ac
Iacob.4. geſtibus obtinere debere. Quod D.Iacobus
„ apertè confirmat,quũ dicit:Emundate ma
„ nus peccatores,& purificate corda duplices
„ animo : Miſeri eſtote,& lugete,& plorate:
„ riſus veſter in luctum conuertatur, & gau-
„ dium in mœroré. Humiliamini in conſpe-
„ ctu Domini,& exaltabit vos. Et de hac quidem pœnitentiæ parte hactenus : quæ vbi in pœnitẽtiæ ratione vel docendo vel agendo omittitur, nõ parum multum de fructu detractum iri certò cognoſcatur.

Iam de confeſſione aliquanto fuſius nobis reſtat dicendũ : quæ cætera pœnitentiæ membra vel æquat officio,vel vtilitate præcellit: Sanè ſecundum contritionẽ confeſſio maximè eſt neceſſaria : idq́ue adeò per omnem modum, vt nuſquam in tota ſacra hiſtoria reperias,alicui gratiam criminum à Deo factam,qui,ſi minus dictis,factis ſaltẽ, ſe non antea de iis reum peregiſſet. In Leui
Leui.26. tico Dominus ipſe loquitur : Tabeſcent in
„ iniquitatibus ſuis in terra inimicorum ſuo-
„ rum,& propter peccata patrum ſuorum &
„ ſua affligentur, donec confiteantur iniquitates

tates ſuas. Iſtud nimis verum eſſe, primus parens Adam, & primi parẽtis primus filius Cayn, immo & nos eodum malis edocti ſumus. Ab vtroq; Deus quaſi extorquebat cõ
feſſionẽ, quò aperirent veniæ locum. Adam, » Gen. 3.
inquit, vbi es? Et iterũ: Quis indicauit tibi »
quòd nudus eſſes? niſi quòd ex ligno, de quo »
præceperam tibi ne comederes, comediſti? »
Et ad Cayn: vbi eſt Abel frater tuus? Quid » Gen. 4.
feciſti? Vox ſanguinis fratris tui clamat ad »
me de terra. Quibus percunctationibus an »
non id elicere videtur Deus, vt facti confeſſione miſericordiam quærerent? Cæterum quum alter factum negando, alter transferendo, Dei ſpem eluſiſſent, meritò diſſimulatæ culpæ pœnas luerunt. Contrà neminẽ vnquam toto pectore, atq; eo quo decuit affectu, peccata ſua confeſſum fuiſſe, qui non ſtatim à Deo, memoria ſcelerũ penitus inducta, in gratiam ſit receptus: ex eadem hiſtoria manifeſtũ relinquitur. Dauid in pri-
mis de ſe ipſo tale perhibet teſtimonium: Pſal. 31.
Quoniam tacui (inquit) inueterauerũt oſſa »
mea, dum clamarem tota die: hoc eſt, præ »
erumpẽte eiulatu aſſiduè, ait paraphraſtes:
Quoniam die ac nocte grauata eſt ſuper me »
manus tua, conuerſus ſum in ærumna mea, »
dum configitur ſpina. Dixi: confitebor ad- »
uerſum me iniuſtitiam meam Domino, & »
tu remiſiſti impietatem peccati mei. Certe »
ne-

nemo vnquã eorum,qui fidem Dei retinuerunt,de vtroq; hoc,qualiacunq; demũ peccata poſſe confeſſione deleri,cõtrà citra confeſſionẽ nihil eſſe quod agis, addubitaſſe reperitur. Quin in hoc potius omnes conueniunt,magis inuiſum eſſe Deo,peccata non velle agnoſcere,quàm ſit admittere. Hoc ſiquidem humanũ eſt,illud verò diabolicum. Qua de cauſa in peccatorũ confeſſione tam copioſi ac frequentes ſemper fuerũt,ſiue id ſuo nomine,ſiue alieno: vt videre eſt,in Moſe,Dauide,Daniele,Nehemia,& in hoc noſtro Eſra. Enimuero quotquot inter Ethnicos prudentiæ opinione præcelluerunt (vt noſtræ fidei Heroas mittamus) id facile natura duce cõſecuti ſunt,vt animo ſibi bene conſcio, hoc eſt,Nil conſcire ſibi,nulla palleſcere culpa,nihil in humanis reb⁹ felicius ac beatius iudicarent: quum è diuerſo,animo flagitioſo & ſua ſibi factorũ conſcientia irrequieto,nihil ducerent calamitoſius ac grauius. Teſtimoniis eorum id confirmare non eſt huius loci,neq; id agimus. Interim per hoc apertè conuincitur, nõ fefelliſſe illos peccati tum naturam,tum turpitudinẽ, vnde nec pœnæ meritum, quod tempore iudicij diſſimulare ac negare non poterunt,
Rom.2. teſtimoniũ reddente illis conſcientia ipſo-
„ rum,& inter ſe inuicem cogitationibus ac-
„ cuſantibus,aut etiã defendentibus,ait Paulus.

lus. quanquam ea tum confeſſio nihil illis profuerit,niſi ad damnationis certitudinē. Quæ omnia eò dixerim,vt non temere Eccleſiam momenti tantum in cōfeſſione repoſuiſſe noſcatis. Nunc ad ea quæ cōfeſſioni peculiaria ſunt ordine veniamus. Cumprimis id requiritur, vt cum Deo in cordis noſtri cubiculo ſecretius colloquamur, & in eius primū aures miſeriam noſtrā totam deponam9. Alioqui vt centies ſacerdoti tete aperueris,ſi nō antè cauſam tuam cum Deo diligenter ventilaſti, nō aliud quàm laterē, aut æthiopem (vt in prouerbio eſt) lauas. Vnde & temeritas illorum hominum grauiter culpāda venit,qui perinde ac ſi Deum ab hoc negocio excluderēt, neque collectis ad morum diſquiſitionē ſenſibus, ſola conſuetudine adducti ad ſacerdotē irrumpunt: & quam animi leuitatē venientes adferunt abſcedentes reportant: quaſi res friuola ſit aut ludicra, & non Dei potius contumelia eſt,q̄ hominis,cui,licet alienæ gratiæ diſpenſatori, plus ,vel paulò amplius creditur, q̄ ipſimet authori. Porrò confeſſio quæ Deo fit, ſic eſt inſtituenda, vt homo cogitationē per ſingula peccata cum ſumma modeſtia ac quāto poteſt angore circumducat: illud potiſſimū ad dolorem ſibi exaggerās,quòd tanta ac tam multa Dei erga ſe beneficia, tam impudēti ingratitudine protriuit: eóq;

no-

nomine ad piiſſimi Patris pedes abiectus, non eſſe iam parem ſceleri ſuo pœnam proclamet, hanc tamẽ plorando, gemendo, obteſtandoq́ue deprecetur: certus quiduis potius pati, q̃ ad priſtina ſtudia redire: idq́ue quò tantæ pietati reſpondeat, non vt rebus ac fortunis ſuis velit conſultum, aut Deo iam facili felicius aliquid ꝓ voto ſuccedat. Hanc confeſſionem in ſacris literis nuſquã non eſt inuenire. Dauid vtitur frequenter in Pſalmis, Manaſſes complexus eſt in carcere, Publicanus in templo, filius prodigus apud Patrem. Porrò vtilitatem eius quàm potero pauciſſimis compræhendam. Principiò quum ſuperbia & arrogantia nihil ſit deteſtabilius, quæ omnis mali mater eſt: hanc nihil æquè delumbat, atq; eiuſcemodi confeſſio. Idem dixeris de impreſſione prauarum cogitationũ, temeritate in iudicando, facilitate ſuſpicandi: nam ad has peſtes ab animo arcendas, cõducit illa vt quod maximè. Tertiò ad precandum eſt accommodatiſſima, quum euãgelicæ illius violentiæ, qua cœlum expugnatur, magnã habeat facultatem, teſte ſcriptura. Oratio (inquit Sa-

Eccl.35. „ piens) humiliantis ſe nubes penetrabit.

Pſal.50 „ Quartò quum nullum ſacrificium Deo gratius ſit fracto ac demiſſo ſpiritu: hic verò in confeſſione præcipuum habet locum: conſequitur ad placandum demulcendumq́ue

Deum

Deum nihil illa efficacius. Quintò pectori
noſtro vice ſcoparum eſt ad ſordes abſter-
gendas. Videtis igitur nō vtilem modò eſſe,
ſed & ſumme neceſſariam. Nam vt D. Pau Rom.3.
lus ait: Omnes peccauerunt,& egent gloria „
Dei. Alibi Dominus ipſe dicit: Quicunque 1.Reg.2.
honorificauerit me, glorificabo eum. Ho- „
nor verò Dei eſt, vt ſolus iuſtus, bonus, ve-
rax, ſanctus ſit & habeatur. Iam hunc hono
rem qui illi nō carptim aut ieiunè, ſed ple-
nè & cupidè aſſignat: iſtum ipſe viciſſim ho
noris communione ſuſtentat, aufert impie-
tatem, confert iuſtitiam, ſanctimoniam, &
innocentiam. Quomodo enimuero Deo ho
norem ſuum aſſignabo, vt ſolum prędicem
iuſtum, bonum, veracem, ſanctum: niſi ipſe
me iniuſtū eſſe, impium, mendacem, ac im-
purum & fatear & ſentiam? Proinde hanc
confeſſionem ad omnes æquè ac neceſſariò
pertinere: quemadmodū & in vtroq; teſta-
mento eſt vſitatiſſima: vos facile intellige-
re exiſtimo. Supereſt vt de cōfeſſione quæ
hominibus fit, quæ eandem cum illa priori
neceſſitatis rationem habet, orationem in-
ſtruamus. Hęc omnino quadruplex eſt: Aut
illi fit, cui iniuriam irrogauimus, vt culpæ
confeſſione veniam impetremus: Aut ma-
giſtratui vel iudici, à quo pœnas factū agno
ſcendo deprecamur: Aut proximorū alicui,
quem cōſcientiæ noſtræ conſultorē, ſolatij

aut cōſilij cauſa, adhibeamus. Aut ſacerdoti denique, hoc eſt Eccleſiæ miniſtro, à quo à vinculis peccatorū ſoluamur. Nulla harum ſpecierum eſt, quæ ſacrarum literarū authoritate & exemplis aſtrui non poſſit: ſanè ab Eccleſię incunabulis, ad noſtra vſq; tempora, in vſu nunquam eſſe deſierunt. Sed prioribus tribus in medio relictis, eam dumtaxat quæ ſacerdoti fit, ordine quartam latius explicabimus. Hanc vulgo vocant auricularē, ob id, vt videtur, quòd amotis arbitris negocium noſtrum ſacerdoti ſecretò committamus. Verùm tamen illi nomen, idque ſecundum naturam, eſt Confeſſio ſacramentalis: quòd veram ſacramenti rem per eam, fructumq; capiamus, Sanè ſacramenti partibus omnibus conſtat: quæ ſunt, verbum, & elementū, ſeu (vt vocant) ſenſibile ſignū. Quæ duo Sacramētum neceſſariò conſtituunt, & perfectè abſoluunt. Sacramentum verò vocamus, ſacræ rei, hoc eſt inuiſibilis gratiæ Dei, quæ illius virtute homini confertur: ſignificationem, vel ſignum. Exemplo erit manifeſtius. In Baptiſmo, aqua ipſa qua tingimur, ſeu ipſa tinctio, elementū eſt ſeu ſignū: inuocatio ſanctiſſimæ trinitatis, verbum. Iam vbi hæc duo conueniunt, vt aliquis aqua tingatur, idque in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: Sacramentū illud conſtituunt, quo homo in anima conſequi-

ſequitur gratiam peccatorũ. Ita in Confeſſione: ipſe peccator peccata confitens, ſigni loco eſt, ſeu elementi: Abſolutio verò verbum eſt, ad huius ſacraméti vim à Deo collatũ. Vbi iam peccator facta enumeratione peccatorum, abſolutioné fide appræhendit, Sacramentum, hoc eſt, viſibilis rei inuiſibile ſignũ, ſtatuitur: quo homo tam certus eſſe poteſt ac debet, ſe in anima ab omni peccati labe eſſe per Dei gratiam purgatũ, quàm non dubitat ſacerdotis voce id ſibi eſſe con dictum. Non negarim hanc Confeſſionem prioris teſtamenti Patribus prorſus ignotã fuiſſe. Immo ſolis Chriſtianis tam peculiaris eſt & propria, vt in cæteris nationib⁹ ne veſtigiũ eius vllum vſquam reperias. Quod certe ad ſingulare nobis beneficium ac priuilegium referre debemus: nõ libertati noſtræ iniuriam factam dolere ac queri. Verum enimuero mundi amatoribus id nõ facile perſuaſeris, qui rem iudicant omnium ſanè grauiſſimã, eoq; ſubterfugiunt, quoad eius licet: Et quum in ea antiquanda ſemper laborauerint, nũc nacti veſaniæ ſuæ duces, qui camelum per foramen acus nullo negocio ſaltare faciunt, horum triumphum pileati ſequuntur: apud quos Confeſſio hodie tam laxa eſt, vt verè dixerim pudere deſiiſſe. Ah, ſuo malo bis miſeri: quaſi qui hactenus eam pro vnico ac ſaluberrimo reme

dio ad depellendum animæ morbũ amplexi ſunt, viri quidem illi doctiſſimi iuxta & ſanctiſſimi, ſtupidi oẽs & amentes fuerunt. Finem faciam, ſi vnum argumentum, idq́ue è medio ſumptũ, & quod in animis veſtris collocatum vobiſcum reportetis, audieritis: quo apertè obtineri poſſe arbitror, non modò non oneroſam eſſe confeſſionẽ, ſed commodi ac ſolatij pleniſſimã: conceſſam haud dubie nobis magno & euidenti Dei beneficio, tanquam gratiæ ſuæ ſymbolum ac monumentum, vt certiſſimum, ita facillimũ & liberaliſſimum. Fingamus ita: debet mihi aliquis veſtrum aliquot aureorũ millia: & quum non ſit ſoluendo, aio ad illum: Eſto, ſi ſoluendo non ſis, id facito ſaltem, vt beneficio ſit gratia. Accede curatorẽ meum, & quãtus in ære meo ſis illi ſignificato: nec illud tace, quo debeas titulo. Quancunq; ille tibi acceptilationẽ meo nomine fecerit, ratam habebo: ea lege, vt præter animi gratitudinem nihil debeas amplius. Hoccine beneficium interpretareris? Quo pacto indulgẽtius tractare te poſſum, quàm vt tam ingens debitum paucorum verborum teſtificatione diſſoluas? Iam quid aliud peccando quàm quodã debendi genere Deo nos obæramus? Et ſane nimis quàm grauiter: quum
Pſal. 18. vere dicat pſalmographus, Delicta quis intelligit? Cuiuſmodi debitum tametſi nemo
per

per ſe diluere poteſt,omnino tamen poſtu- *Mat.18.*
lat diſſolui,vel proprij corporis atq; omniũ
quæ poſſides venditione: cõijciendus etiam
in carcerem,ſi quod inde conficitur, debiti
magnitudinẽ non exæquat. Poſſet quidem
Deus nobiſcũ ita iure agere: ſed conſiderata
egeſtate noſtra, videns quòd ſoluendo non
ſumus,patiens eſt & benignus,placet ita pa
ciſci,vt diſpenſatorẽ domus ſuæ,hoc eſt Ec
cleſiæ miniſtrum adeamus, quem debitum
noſtrum quale & quantũ ſit non celemus.
Quod vbi fecerimus, poteſtatẽ ille accepit,
vt debitum nobis omne remittat:Domino
fidem illius ac promiſſa præſtãte,cuius iſta
ſtipulatio eſt, Quorum remiſeritis peccata, *Ioan.20.*
remittuntur eis &c. Tollite vobiſcũ verba, *Oſee.14.*
& cõuertimi: ait Dominus per prophetam: „
ac ſi dicat, Nihil mihi pecunia veſtra eſt o-
pus,ſed neq; facultatibus exuere vos cupio,
patiar mihi ius meũ verbis extorqueri: hoc
tantùm agite,vt demiſſè ac humiliter ad de-
biti confeſſionem vos accommodetis,nihil
amplius ſum exacturus.Hæc ita quum ſint,
chariſſimi,quid habemus quod iuſtè de cõ-
fitendi ſeruitute conqueramur? Nónne, ſi
magnũ aliquid Deus à nobis exigeret,quód
multorum eſſet annorum, neq; cuiuſuis ho
minis,nec labori,nec induſtriæ parcerem⁹,
quò in tam potentis Domini ære non eſſe-
mus,qui tam acerbam quęſtionem in tarda

ac malæfidei nomina eſt habiturus? Quid demum conſilij caperes,ſi ad minimũ quadrantem de toto debito ſatiſfactũ ſibi vellet,diceretque,Redde quod debes? Quid facturus eras,ſi tam diu tormenta tibi admoueret,quoad fracto ac debilitato pœnis corpore,& animo repreſſo,in debiti tui confeſſionem vltro ꝓrumperes? quemadmodum tribus illis ſummis Regibus,Pharaoni Ægyptiorum, Nabuchodonoſor Aſſyriorum,& Antiocho Aſiæ & Syriæ, conſtat eueniſſe? Quid ſi adhuc ꝑ iure ſuo ita tecum ageret, vt in carcerẽ conijci te iuberet damnatorũ, tormẽtis ſubijciendum donec totum quod deberes perſolueres, quod haudquaquã poſſes? Certe ibi dolendi ac querendi materiã nactus eſſes: quã hîc non habes.Nam quòd confitendi neceſſitatẽ tibi imponit,non facit vt iudex,quò plectat,ſed vt medicus,quò curet. Adhuc dico,non ob id confitendum tibi iniungit vt pudori tuo illudat,ſed potius vt conſulat: alioqui æterno opprobrio ac indelebili ignominia notando.Nam niſi hic frontem apud ſacerdotẽ deterere malis, ſanè deterenda tibi erit coram tot teſtibus ante tribunal ſeueri iudicis. Sententia iam

Mat.18 (margin, beside "let,diceretque")

Hier.17 „ olim per prophetã lata eſt : Omnes qui te
Prou.18. „ derelinquunt,inquit,confundentur. Per Sa
„ lomonem ita:Impius quum in profundum
„ venerit peccatorum,contemnit: ſed ſequitur

tur eum ignominia & opprobrium. Daniel „ Dan.12
quoq; iſtis ſubſcribit: Euigilabunt,inquit, „
alij in opprobrium,vt videant ſemper. Vos „
igitur diſpicite,vtrum minus vobis puden-
dum: Malitiſne vnum hominem pudoris ve
ſtri conſcium facere, idq; ad tam breue ſpa
cium : quàm nunquam finiendo coram o-
mnium ſæculorum hominibus fruſtra deco
quere? Ex his quæ dicta ſunt, conſtare vo-
bis puto, confeſſionē non adeò intolerandā
eſſe, q̄ viſum eſt nonnullis. Sed quicunque
illi ſunt, ceruicem necdum edomarunt: nec
quàm graue peccatum ſit, aut quãta animi
malè ſibi conſcij inquies, ſatis probè didi-
cerunt. Nam hæc qualia ſint qui plenè co-
gnouit, de confitendi moleſtia nō erit mo-
leſtus. Sed aliàs copioſius.

Feria ſexta poſt Dominicam Lætare, Sermo nonus.

QVÆ ſuperiori concione, occa-
ſione Eſræ, de ſacramentali con
feſſione, cui loco Dei hominem
cognitorem adhibemus, diſpu-
tauimus: his exemplis optimè
compræhendi poſſunt, vt cum Ezechia reco Eſa.38.
gitemus annos noſtros in amaritudine ani-
mæ noſtræ: iniquitatem noſtram agnoſca-

*Pſal.*50 mus,obuerſeturque nobis ſemper cum Da-
*Luc.*18. uide: publicani exemplo, pectus percutia-
*Luc.*15. mus: ad imitationem filij prodigi, exhære-
dari nos meruiſſe prę ingratitudine clame-
*Dan.*9. mus: quare & confuſionem faciei,cum Da-
*Eſr.*9. niele: nihilq́; non pœnarum cum Eſra, no-
bis imprecemur:lugeamus tamen & miſeri
*Ionæ.*3. cordiam à Domino imploremus,cum Nini
uitis: abijciamus nos deniq; ad Chriſti pe-
*Luc.*7. des,exemplo Euangelicæ peccatricis,idq́ue
vt ſumma humilitate,ita ſpe & fiducia pe-
nè explorata. Quanquam quę his exemplis
vallamus,ad eam propriè confeſſionem ſpe
ctant,quam intra animi noſtri parietes ſoli
Deo depromimus: quam & ipſam catholi-
ca Eccleſia, iam inde à ſuæ fidei rudimẽtis,
nõ minori ſtudio,cura,& obſeruatione per-
coluit,ac colendam prodidit: atque illam,
qua in animi noſtri ſentinam,hominẽ,ma-
ximè Eccleſiæ miniſtrum, conſultò admit-
timus. Nam,quòd tũc me perſtringere me-
miniſtis,ex Eccleſiæ præſcripto apud fratrẽ
non vno tantùm,ac vſitato illo ſacramenti,
modo culpam cõfitemur.Ante annos mille
ducentos, etiam publice in totius Eccleſiæ
conuentu,qui grauius deliquerant,culpam
fateri receptum erat: qui mos non tam an
tiquat⁹,quàm poſtea caſtigatus eſt. Iam pla
ne Euangelicum eſt,vt quem vicio offendi-
*Mat.*5. mus,culpam agnoſcendo leniamus. Adde,
quod

quòd ex animo pœnitenti neq; illud graue Mat.18.
eſt,vt ſi eum frater leniter & Chriſtianè cor
ripiat,admoneátue errati: primùm culpam
agnoſcat,deinde fraternum officium in bo
nam partem accipiat. Ad hæc,quomodo in
obſcuris tuis rebus alieni conſilij lucem ad-
hibebis, niſi is per te certior ſit factus, qua
in cauſa, & in quam eius partem potiſſimũ
impingas? Quare hęc omnia ad pœnitentiã
pertinere non ineptè affirmauimus: intan-
tum vt ſi quid horũ aliquem offendat, à ve-
ra pœnitentia alienum eſſe iudicemus. Ve-
rùm ad ſacramentalẽ (vt vocamus) confeſ-
ſionem,ita vt cœperamus, aſſerendam, ora-
tionem vertamus. Cui, eorum vitio,qui ſe
tamẽ vindices Eccleſiæ profitentur, miſerè
proſtratæ ac iacẽti, vtinam noſtra oratione
præſidium aliquod comparare poſſimus. Vi
deo optimarũ quarumcunq; rerum ingen-
tem ruinã cum ea factam. Sublatus eſt pu-
dor, ſtudiũ pietatis refrixit, honeſti exigua
eſt cura,licentia inualuit,proponitur impu
nitas,tota deniq; eccleſiaſticæ diſciplinæ fa
cies deformata eſt: vt vel nunc demum ex
tantarum rerum diſpendiis, quàm vtilis ac
neceſſaria ſit confeſſio, agnoſcere cogamur.
Inuenias hac tempeſtate non paucos (quò
Eccleſiæ officium, ſi Deo placet, præſtent)
qui ſtudioſè hoc agũt, vt vndiq; & ex omni
memoria conquirant, quibus noſtrorũ ho-
mi-

minum viciis, opinionibus, ac ſuperſtitionibus,verus confeſſionis vſus nunc deprauatus,diſtortusq́; inueniatur: quaſi vſpiam aliquid tam purũ putum eſt,in quod nõ cadat abuſio.Quũ interim quantũ ex ea vtilitatis, tum Eccleſia generatim, tum ſingula eius membra,ſint conſecuti,clauſis oculis tranſmittant. Quem finem eorũ eſſe putatis,qui cõfeſſionis opportunitate atq; præſidio,poſteaquam ſe ſeruos vitiis addixerãt, in libertatem poſtliminio aſſeruerũt? Quàm multi deſperaſſent,quàm multi perpetuum concidiſſent,perpetuum erraſſent: niſi confeſſio illis tum conſolationẽ,tum opem,tum conſilium admouiſſet? Quàm infiniti quotidie, dum confeſſionẽ crebro & modeſtè iterant, in bono confirmantur? Quod deniq; laſciuienti ac feruidæ iuuentuti frenum cùm aptius,tum efficacius ad retinendã verecundiam,morum honeſtatẽ diſcendam,colendam religionem, amplectendam pietatẽ,& muniendum aduerſus vicia animũ,niſi hãc ipſam confeſſionẽ inieceris? Atqui hæc tam præclara ſpes omnis iacet. Ille ſalutis noſtræ inſidiator diabolus nobilẽ hunc vnionem,non id ſolùm conſecutus eſt,vt è manibus nobis excuteret: verumetiã precium atque opinionem intantum illi detraxit,vt nunc demum, eo exploſo & amiſſo, Eccleſiam vires ac colorem reſumere putemus.

Sed

Sed dicit ex eo grege aliquis: Nos confeſ-ſionem etiamnunc retinemus, vt quam v-tilem & ſalutarem eſſe, quòd abſolutionem impartiatur, ab Eccleſiaſticis noſtris accipi-mus. At quam confeſſionem? quam? qua-lémve? Vis dicam, quod ſentio? quæ vt dia-bolo pro ludo eſt, ita Deo minimè grata eſ-ſe poteſt, immo illi, atque eius Sacramento ad contumeliam & derogationem compa-rata. Nam ſi videas qua leuitate, qua ſocor-dia, quàm ineptè ac frigidè, adeoq; iocularí-ter & contemptim illa tractetur: verè dixe-ris Deum citius offendi, quàm placari. Et quid ſceleratius, ac inſolentius, quàm rem tantam ac tanti ponderis, in qua ſalus no-ſtra tota verſatur, quæ vitæ ac mortis aleam continet, quæ cœli ac inferorum diſcrimi-na conſtituit, quæq; accepta poteſtate Dei voluntatem gubernat, ad iocum & contem ptum reuocare? Debuerat meritò nobis ſa-tis eſſe, quòd totum annũ, citra vllam reue-rentiam Dei ac legum diſciplinam, ridẽdo & bacchanalia viuendo abſumimus: etiam ſi ea, quæ à Deo ad ſalutem nobis conceſ-ſa ſunt, quæ ſponſionem ſuæ erga nos vo-luntatis, noſtræque apud ipſum dignitatis propugnationem habent, nõ contemnere-mus, non iactaremus dicteriis? An non eſt hoc Deum contemnere? Quid aliud vocas Deo illudere, quàm quòd eius ſacramenta

vel

vel negligimus,vel abutendo deprauamus?
Sanè confeſſionem quatenus abſolutionem
nobis impendit, ex Chriſti ipſius inſtituto
Ioan.20. Sacramentum eſſe,aliàs demonſtrauimus.
Itaque quiſquis ſe vacuum à culpa negare
non audet,& tamē ab hoc ſacramento præ-
ſidium ſibi non comparat,nónne Dei inſti
tutum contemnit,& liberalitatem euertit?
Si verò ita comparat, vt illo quatenus ſibi
viſum eſt vtatur,non doleat,nō lugeat,nec
Luc.24. crimina etiam ſacerdoti aperiat, an nō Dei
ordinationi illudit: qui ita demum remiſ-
ſionem peccatorum publicari voluit,ſi pœ-
nitentia accederet, immo præcederet? Pœ-
nitentia verò conſtare nullo modo poteſt,
niſi multo ſenſu doloris cor attriueris,dein
de totam animi leprā ſacerdoti nudaueris.
Qua igitur fronte pœnitentiæ titulo à Deo
veniam criminum ſperare & rogare præſu-
mis,quum ea non præſtas,in quibus pœni-
tentiæ neruos ac vim eſſe voluit? Aut quo-
modo ſacerdos indulgentiam conferre tibi
poteſt, quum veræ pœnitentiæ nullum ve-
ſtigium in te depræhendit? Et ſanè vereor,
chariſſimi,ne aliquoties & qui facit confeſ-
ſionem,& qui excipit,ambo ſibi damnatio-
nem accerſant. Ille,ſi tam arida mēte ſuum
negocium agit,vt non modò Deo (nam ille
inſpector eſt cordis)verumetiam ſacerdoti,
è ſermonis,geſtuum,ac vultus ſtupore,ſatis
li-

liqueat, eum non hoc agere quod agit. Iſte verò, ſi de obſcuris & ignotis iudicat, impartitq; remiſſionem. Et iſtud, proh dolor, nimis hodie frequens. Vtrinque laboratur, vt verè illud Oſee hoc loco vſurpauerim: *Oſee.4.*
» Sicut populus, ſic & ſacerdos. Sed vnde tanta in nobis animorũ remiſſio, tam craſſa ſecuritas, quàm quòd ad cogitationem non reducimꝰ, quàm execrabile ſit apud Deum peccatũ, quàm ſordidum in ſe, & quàm horrendis exemplis prioribus ſæculis in nõnullis animaduerſum: nominatim in Lucifero cum ſuis ſectatoribus, in noſtræ ſtirpis conditoribus, in vniuerſo penè hominũ genere per diluuium, in Sodomitis, Ægyptiis, Iſraëlitis ſæpè, in Dathan & Abyron, maximè verò in Seruatore noſtro Chriſto, in quo, & quidem alienam noxam caſtigando, Deus pater ille filij ſui amantiſſimus, tam prædurus atque inexorabilis fuit, vt hanc vocẽ tantæ acerbitatis teſtem in cruce ediderit: *Mat.27.*
» Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquiſti? Quæ ſi tam diligẽter, quàm nos proximè contingunt, ſæpe cogitaremus, credo diligẽtiæ multo amplius in rectè confitendo poneremus: eſſetque quur multum debere Deo nos fateremur, qui re minimè moleſta, atq; à noſtris ſenſibus remota, & commeritam pœnam euadere, & veterẽ gratiæ locum occupare queamus. Nam (vt aliàs

etiam

etiam dixi) iis qui ſeriò pœnitere volunt, adeò inuiſa non eſt & odioſa Confeſſio, vt multum in ea ſibi ſolatij, multum voluptatis, tranquillitatis verò plurimum: vt quod caput eſt, nó dicam: collocatum fateantur. Verùm enimuero neque nouum neque inſolens eſt, vt Confeſſionem in inuidiam ac calumniam vocemus. Hæreditarium videri poteſt, atque à natura inſitum. A ſæculo có
Hier.2. „ fregiſti iugum meum, rupiſti vincula mea; ait Dominus per Prophetam. An nó Adam
Gen.3. leuius duxit paradiſo carere, & qui tam latè imperabat miſerrimo exilio mulctari, q̃ culpam à Deo delatam agnoſcere? Huius tam contumacis ſupercilij nemo exſors eſt: & hinc illa de confeſſionis humilitate queri-
Eccl.13. „ monia. Nam vt verè Sapiens, Abominatio „ eſt ſuperbo humilitas. Adde quòd Diabolus in hac parte ſibi minimè deeſt: nam quò ſuis rebus eam magis officere ſentit, hòc impugnat acrius. Quare qui illum audierit, is ſanè confeſſionem longum valere iubebit. Nihil ſiquidem illi antiquius eſt, quàm vt hominum linguas vinciat, impediatq́ue officio. Habetq́ue ad hanc rem non paruam vinculorum copiam. His inſtillat, fore vt admiſſa ſemper tegantur, ſi ipſi taceant. Iſtis perſuadet, ſatis eſſe ſi Deum conſcientiæ teſtem adhibeant. Illis, fruſtra in confitendo operam ſumi, quum altioris negocij

ſit animum peccatis exſoluere. Nonnullis eam curam iniicit, quaſi per hoc rebus ſuis non optimè conſulant. Alios dulci illa peccati aſſuetudine ita illectat, vt quum ab ea recedere nō ſtatuunt, facilè à confitendi voluntate illos abducat. Quæ omnia nihil aliud ſunt quàm diaboli quædam retinacula, quibus humanas mentes implicat miſerrimè. Quanquam id omnium grauiſſimū, ac illi præſentiſſimum eſt, quo ingenuitatis ac pudoris nos admonet: quem quū omnibus in rebus cupit nobis reddere q̄ profligatiſſimū, hîc tamen iubet nos eſſe plus quàm virgineos. Quod quum abſurdiſſimum videri queat, quem tamen hoc ariete, ſi non expugnat, oppugnat ſaltem? Alibi lætantur quū malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis, paſſim in circulis, in conuiuiis, domi, foriſq; iactant & oſtentāt ſua flagitia, riſum inde comparāt, nullius pudore tanguntur: immo quò plus adſit aliquis, cui vel ob religionis profeſſionē, aut dignitatis ornaméta, aut ætatis innocentiā deferre deberent, hòc in eorum iniuriam deblaterant impudentius: ita vt nonnunquam eas pueriſibus atque adoleſcentularū animis iniiciant ſcintillas, quæ paulatim dum vires ſumunt (nō enim facilè tollas, quod illi ætati ſemel inſeueris) graue poſtea incendiū conſciſcunt. Et illi iſti tā impudenter impudentes, quū ſacer-

Prou. 2.

ſacerdoti in aurem demurmurandum eſt, quod antea Deo, Sole, multis hominib. teſtibus, cùm deſignarunt, tum prædicarunt, pudore prohibentur ſcilicet. Atqui difficultates iſtas omnes & impedimenta Eccleſia fortiter contemnit, neque ob id, ab eo quod ſanctè inſtitutum eſt, recedere integrum ſibi exiſtimat. Tenet mordicus, omnibus iis, qui baptiſmi fidem polluerũt, confeſſionem, vt ſacramentum vocauimus, eſſe ad ſalutem neceſſariam: idq; in primis authoritate ipſius Chriſti, vbi Apoſtolis ait:
Ioan. 20 „ Accipite ſpiritum ſanctum. quorum remi-
„ ſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum
„ retinueritis, retenta ſunt. Apertè auditis, datam Apoſtolis poteſtatem de peccatis cognoſcendi: ex quo non abſurdè infertur, quotquot ſunt peccatis obnoxij, ipſis, atq; apoſtolico muneri hoc nomine eſſe ſubiectos. Si iam penes illos eſt relaxandi poteſtas, quur relaxationem (nuſquam iuſſi ſunt obtrudere) ab illis non petamus? Et quum ipſi mandato Chriſti teneantur peccatoribus, ſed pœnitentib. impartire, quod à Chriſto acceperunt: quur eodem non tenebitur peccator ab illis flagitare, quo non poteſt carere? Quî verò flagitabit commodum ac opportunum malis ſuis remedium niſi detegat morbum? Iam quomodo Eccleſiæ miniſter, cui morbi cognitio ac inſpe-

ctio cõmiſſa eſt, de morbi genere, & ægroti voluntate, curandus ſit, an non, certi quid conſtituet, niſi illo ipſo referente? Nam niſi aliqui morbo ſuo relinquendi eſſent, tanquam curatione indigni: non addidiſſet, Et quorum retinueritis peccata, retenta ſunt. Huic Chriſti authoritati, tanquam fundamento, innixa Eccleſia, audet quod audiſtis aſſerere. Vt non putetis Canonem illum, Omnis vtriuſque ſexus, &c. huic eius doctrinę primò locum dediſſe. Canon ille tempus dumtaxat præſcribit, quo quum minimum ſemel in anno omnibus cõfitendum venit. Confeſſio ipſa alioqui ab Apoſtolorum vſque temporibus, tot ſæculorum, tot ætatum conſenſu, tam à Græcis quàm Latinis, in Orientali Eccleſia non ſecus atque in Romana, ſuſcepta, ad nos vſque incolumis perducta eſt. Nunc alterũ fundamentum audite, quo confeſſionis neceſſitatẽ Eccleſia defendit. In confeſſo eſt peccatorem ſua impietate non tantũ in Deum iniurium eſſe, verumetiam in Eccleſiam contumelioſum. Itaque neceſſe eſt, vt quos vno facto, vnoq; cõſilio offendit, ſi alterum placatum cupit, de vtriuſq; gratia ſibi reconcilianda laboret. Nam de ſarcienda pace fruſtra agis Mat. 5.
cum Deo, niſi prius cum Eccleſia tranſegeris. Vult enim Eccleſiæ authoritatem cumprimis ſtabilem atq; inuiolatã haberi. Qui

Luc.10. „ vos ſpernit, ait Apoſtolis, me ſpernit. In huius ſiquidem (vt ſuprà dictum eſt) arbitratu, claues quaſi voluntatis ſuæ, quod ad ligandum & ſoluendum attinet, collocauit: quicquid illa de peccatoris cauſa iudicarit,
Mat.18. „ confirmaturus. Ipſius vox eſt: Qui Eccle- „ ſiam non audit, ſit tibi tanq̃ Ethnicus & publicanus. Proinde neceſſariò cóſequitur, vt Eccleſiæ iudicio, quemadmodú negocium noſtrum cómittendum, ita ſtandum omnino putemus: deinde niſi ſalutẽ noſtram in certú periculum vocare velimus, ſedulitatẽ illi noſtrã omni officij ac beneuolentiæ genere probemus. Hiſce duabus de cauſis confeſſionis vſum, vt fit enumeratione criminũ coram Dei & Eccleſiæ miniſtro, & ſalubriter inſtitutum, & neceſſariò obſeruandum, affirmare non dubitamus. Quem ſi tu grauem intolerabilemq; eſſe exiſtimas: cogita difficilem morbum non niſi duris, exquiſitisque remediis curari. Fit ſubinde, vt valetudinis cauſa, vel pes totus, vel manus, vel aliud neceſſarium membrũ homini veniat reſecandum. At tuus animę morbus quàm inueteratus eſt? quàm quotidiana malorũ acceſſione incruduit? quoties remediis fruſtra adhibitis magis exulcerauit? & indignaris, ſi nó ſtatim valetudinem recuperas, vbi
Luc.18. ſemel dixeris: Deus propitius eſto mihi peccatori: quum ſæpè nec minimus dolor ſenſum

ſum cogitationis attingit,nec peccandi libi do in animo reſedit? Deinde & hoc tecum perpende,quanto ſit ſatius,tete ire deiectũ, quàm perditum : ipſum te ſceleris arguere, quàm vt à Deo arguaris: vni omnino mortalium pudorẽ proſtituere, q̃ tam infinitis millibus. Adhæc cogita pudorem bene ſartum iri tanta vtilitate,& cõſolatione. Nam per te ſi nõ ſteterit,hoc te animæ morbum ac mortem redimere nihil certius eſt : niſi forté Chriſtus mendax eſt, qui non poteſt non eſſe veriſſimus,nempè veritas ipſa. An graue tibi eſſe poteſt (immo nõ ita te loqui pudet?) quòd immundiſſimã illam pectoris tui cloacam,quouis fonte puriorem red dit,vt ſpiritus ſancti fiat domicilium,quod nefandorum ſpurcorumq; dęmonum antea erat receptaculum? Auſim dicere, ſi vel ad breue momentũ verè experti eſſemus,quæ ſit animi peccatis obſiti turpitudo,miſeria, & anxietas: multo aliter de confeſſione ſen tiremus & vteremur commodius.Quanquã vtilitas non ſolùm ſpectatur in confeſſione ſed exhortatio,ſed cõfirmatio,ſed in obſcuris tuis rebus illuſtratio. Tertiò qui ab Eccleſiæ vnione peccando receſſeras, per confeſſionẽ denuò inſereris,& ex cõmuni meritorum eius ærario,nempe iam ciuis,alimoniam capis. Quartò quum nihil ſit fortius quàm ſeipſum vincere,hoc tibi præſtat con

Ioan.14.

feſſio, quũ animos tibi frangis & cornua detrahis: certus iam non neceſſitatis, non fati, non Deo imputãdum eſſe quòd peccas: ſed vni tibi, ac corruptæ concupiſcentia voluntati. Quintò dum te vincis, etiã hoſtem ita ſuperas, vt perpetuę ſuę in te maleuolentiæ ne actionis quidẽ titulum inueniat. Poſtremò magna eſt pudoris in cõfitendo prærogatiua, quũ de temporali noxa quę peccatis debetur eò amplius tollat, quò magis proſcinditur. Quanquã & plura coaceruari poſſent, quæ confeſſionem inuidia ac criminatione leuare queant. Cæterum de hoc, & de iis quę de ſacramẽtali cõfeſſione ex pręſcripto Eccleſiæ dicenda veniunt, hîc finis eſto. Vos rem tantam ne negligite, iocóve prætęritę. Sit gratia Dei cum omnibus nobis. AMEN.

In .X. cap. 1. libri Eſræ.

DOMINICA IN PASSIONE, SEV IVDICA. SERMO .1.

HActenus, tribus concionibus continuis, in explicanda Eccleſiæ diſciplina, quod ad pœnitentiam, contritionem, & confeſſionẽ attinet: omnibus ad Eſræ exemplum aptiſſimè diligenterq; col

latis, ſudauimus. Quibus id me cõſecutum arbitror, vt qui me audierunt, de Eccleſiæ in his rebus certitudine & circumſpectione ſatiſfecerim: quum apertiſſimis ſcripturæ authoritatib. & exemplis, comparatis etiam ad ſalutis noſtræ prouectionem certiſſimis argumẽtis, ea omnia confirmari docuimus. Feci quod in me fuit: nunc veſtrum eſt, vt hæc non animo ſolùm, ſed manibus pedibuſque, hoc eſt factis ipſis appræhendatis. Quod & ipſum exemplo Eſrę facietis: Nam quàm primum de populi ſcelere cõperiſſet, nihil cũctandum ratus, ſtatim in luctum prorupit. Et quid aliud neceſſariæ rei dilatione conſequimur, quàm quòd animo formidinem, periculo periculum aggregamus? Quò longius à via aberraris, hòc longius redeundum eſt. Iam ſi ad neceſſarium geſtatu onus, dum laborem horrendo ignauiam colligimus, ponderis quid quotidie acceſſerit: nónne futurum eſt, vt tandem ſub pondere ſuccumbamus? Adhæc periculum in mora eſſe, vel è naturæ noſtræ mutabilitate, quæ nullius rei conſtitutionẽ certam nobis permittit, conſiderate. An non in omnĩ vitæ noſtræ momento reperitur morti ad inuadendum occaſio? quum interim nobis nec ſpecula eſt, nec excubiæ proſunt, nec ſtratagema ſuppetit? Quàm multi corpore manè incolumi ac bene conſtituto, ante veſpe-

ram iacent? Notum illud: Dum tua res agitur, paries quum proximus ardet. Do
Matt.20. tibi equidem, nullum tempus ſerum eſſe ad pœnitendum: quum ille liberali planè animo Paterfamiliâs mercedem ex æquo in omnes partiri iuſſerit, quacunq; demùm hora ad opus faciendum veniſſent: At quæ vecordia & ignauia eſt, quum de craſtino certi non ſumus, pœnitentiæ actionem in extremum vitæ noſtræ angulum, tanquã ſi eum nobis polliceri debemus, conferre? Quare ſapientèr nos admonet Sapiens: Ne tardes
Eccle.5. » (inquit) conuerti ad Dominum, & ne diffe-
» ras de die in diem. Ne dixeris: Peccaui: &
» quid mihi accidit triſte. Altiſſimus enim
» eſt patiens redditor. Subitò enim veniet ira
» Domini, & in tempore vindictæ diſperdet
» te. Et ne dicas: Miſeratio Domini magna
» eſt, multitudinis peccatorum meorum mi-
» ſerebitur. Miſericordia enim & ira ab illo
» cito proximant, & in peccatores reſpicit ira illius. Hæc ille. Sed iam tempus eſt, vt quæ de pœnitentia eiusq; partibus ampliter diſputauimus (quanquã pro rei amplitudine breuiſſimè) miſſa faciamus. Quocirca adhortor vos, mea chariſſima in Chriſto viſcera, fratres optimi, ne vobis ipſi malum in mortem ſtruatis, aut vlli vos tantopere credatis, vt à pœnitentia atque cõfeſſione deflectat. Ah frater, ne feceris: ſalus tua in hoc vertitur

tur. Circunſpice diligẽter cui te permittas. Tutius ne alteri (non dico, ſæpè quali) credere potes, quàm matri? deinde Eccleſiæ? deinde catholicæ? Tu tuum ſaltem negocium age, ſi alios tecum abducere nõ potes. Si conſcientia factorum te quietum eſſe nõ ſinit, ſi pungit, ſi arrodit, quòd deſertor Dei, ad Diaboli partes acceſſeris: ne ſta quæſo, curre, quære perfugium in Chriſti pietate, ſed plora, clama, fatere miſeriã, & implora miſericordiam, & ne parcas (vt Iob ait) ori tuo, & cum Hieremia, effunde ſicut aquam cor tuum ante conſpectũ Domini. Etenim quò hîc minus tibi peperceris, quò citius ab ſolueris. Ipſe contra te teſtis eſto, & habebis teſtem fidelem apud Deum. Ne labora in cauſæ tuæ purgatione, erit qui Patrem pro te interpellet. In animo etiam atque etiam volue, quantopere Draco ille cupiat ſitim ſuam tuo ſanguine reſtinguere. Stat ante te famelicus, crudelis leo, reducto latiſſimè rictu, vt quamprimũ deuorandum accipiat. Iam gladiũ vibrauit, quo te, ſi liceat, iugulet. Quod grauiſſimũ eſt, tenet impeditum, ne queas effugere: Sed rumpe hæc vincula, & linguæ cumprimis. Si illum iam decreto è corde tuo profligaſti: hoc in eius iniuriã illi fortiter impinge, ſed linguã libera: hoc eſt, pudorẽ excute. Pudori dum peccatur locus eſt, nõ dum peccata curantur. Momẽtaneus

Iob.7. *Thren.2.* *Apo 1.* *Rom.8* *1.Pet.5*

eſt pudor qui confitentem exagitat, ſed ſequitur non finienda voluptas. Experire ſemel, quid ſit à cõſcientia eſſe tranquillum. Et quum, nullo pudoris ſenſu, peccata tua ſciente atque inſpectante Deo, & tot angelorum millibus admiſeris: non feſtinas, nõ curris, non vrges te, quò per confeſſionem ſemel inducta, obliterata permaneant? Alioqui nullum eorũ eſt quod diabolus non accuratiſſimè deſcripſerit, eſtque eas tabulas aduerſum te iudici, niſi occurreris, exhibiturus. Sed vigila, & impoſtorem præuerte. Hæc admonitionis loco dixiſſe ſufficiat. Ad Eſram tandem redeamus: & quem ſecum hactenus conflictantẽ vidimus, nunc quid in medium conſulat audiamus. Luxit, ſed ſolus: veſtem ſibi diſcidit, ſed ſolus: imò quod alienũ erat crimen, in ſe tranſſcripſit. In tota corona nemo tamen erat, qui quod ipſe faceret ſequeretur. Pœnitentia hæc intra vnius adhuc hominis menſurã conſiſtebat. Putatis quòd hoc Eſram mouebat? nõ arbitror. Ipſe certè quicquid in hac cauſa agebat, non ad ſe referebat, ſed ad populum inſpectantẽ. Nam qd periculi ex hac ciuiũ lubricitate in illum redundare poterat, qui ab omni religiõis crimine erat alieniſſim⁹? Quare tametſi populum exemplo cõmouere, & ad ſe imitandum excitare cuperet: longius proſpexit, & rem tam arduam non ſtatim

tim, neq; à paucis, ſed ab omnibus: rei grauitate in ſe abunde oſtenſa, ſuſcipi volebat. Et videte quid ſequitur.

SIC ergo orante Eſra, & implorante Deum, & flente, & iacente ante templum Dei, collectus eſt ad eum de Iſrael cætus grandis nimis virorum & mulierum, & puerorum. Et fleuit populus multo fletu.

SIc orditur præſens capitulum, quod ordine eſt decimũ. Nunc ad publicam pœnitentiam venimus. Interum an non miraculo ſimile videtur, quòd Eſras, homo priuatus, in re tam ardua tantam multitudinem flectere, immo ducere, potuit? Nemo facile intelligit, quantũ in vulgo poteſt vnius hominis authoritas & exemplum, ſi quod faciendum præcipit, ipſe primus aſſumit. E ꝓximo capite dictum eſt, quomodo ad Eſram, ſimulatq; ꝓ populi ſcelere lugendum ſibi impoſuiſſet, conuenerunt omnes qui timebant verbum Dei Iſraël. At nunc quum non perſtat ſolùm in incepto, ſed adauget, omnes promiſcuè confluunt, viri, mulieres, pueri. Et quem non mouiſſet, in eo ætatis ac dignitatis viro, tam triſte & inſolens ſpectaculũ? Nemo tam ſtupidus erat, q ſecum non ꝑpenderet, non leuem rem aliquã, ſed grauiſſimã oportere eſſe, cuius gratia vir tantus

tus tam duris modis ſeſe acciperet: lugeret vehemẽtiſſimè, tam demiſſè oraret, geſtibus ad dolorem penè impotẽter indulgeret, corpus in genibus libraret, protẽderet palmas in cœlũ, immo (q́d ex hoc loco liquet) etiã ꝓſtratus iaceret. Spectaculum hoc nõ iniuria mouebat populũ: & quũ hoc in ciuitate increbreſceret, ſacerdotem illum, illum Eſram, doctiſſimũ Scribam, illũ patriæ inſtauratorẽ, ad eum modũ ſe gerentem cernere: omnis ætas, ordo, ſexus, ꝓ ſuo quiſq; ſtudio ad templum cõcurrunt. At q̃ diſpar ſtudiũ à noſtro. An moueremur putas nos? Nõ auſim affirmare. Illud auſim, ſi dum hunc ſpectamus, circulatorẽ aliquem aut funambulum in foro turbis illudẽtem adeſſe audiremus: nec templum nos, nec ille cum ſua pœnitentia diutius retineret. Sed q̃ hoc impiè & impudenter, tam illi ſanctè ac ſalubriter. Qui dum illi oculos animumq́; aduertunt, nec à corde exemplũ excludunt, neq; quãta diligentia accurrerant leuitate ſe recipiunt: factum eſt Dei indulgenti voluntate, vt cõmutatis animis in ſui facti notitiam peruenirent, ipſorumq́ue proprium eſſe quod ille faciebat intelligerent. Quo factum eſt, vt & ipſi mox elata voce in fletum proruperint: alij, qui ſibi malè conſcij erant, non poterãt nõ facere quod in ſe erat: alij, tametſi culpa vacarent, commiſeratione cõmouebantur,

vel

vel inſigni eius viri in ſuos pietate, vel eorũ ipſorũ qui tam graui peccato imprudenter ſe obſtrinxiſſent. Et quis ſibi modum in lachrymando ſtatuat, quum ſe à Dei gratia & beneuolentia excidiſſe cognoſcit? Quis nõ moueatur diſcrimine propriæ iniquitatis, quum viros pietate ac gratia illuſtres alienũ è peccatis periculũ tam grauiter diſcerpat? Immo quomodo tu tibi ſecurus eris, quum alieni, non modò metuendum tibi cenſent, verumetiã pro te metuunt? Si iuſtus quidẽ „ 1.Pet.4
vix ſaluabitur: impius & peccator vbi parebunt? Verba ſunt D.Petri. Et per Hieremiã „ Hier.49
Dominus: Ecce quibus nõ erat iudicium vt „
biberent calicẽ, bibentes bibent: & tu quaſi „
innocẽs relinqueris? Non eris innocens, ſed „
bibens bibes. Et hoc Eſraici cõſilij ac profectus primũ euentũ, vt ad collachrymandũ induxerit. Fauſtũ planè principiũ. Etenim hoc obtento, quid iam ſe nõ conſecuturum ſperaret? Quanquam difficultatem illi nõ parum adaugeret, quòd & primores ac magiſtratus huius culpæ communione cõprehenderentur. Nam hi vel difficiles vel lenti plærunq; ſunt ad omnem pœnitentiæ mentionem: illud Amaſiæ ſtatim vel mordẽtes, vel muſſitãtes: Num conſiliarius Regis es? 2.Para.25
Quieſce ne interficiam te. Quo facilè adducor vt credam, nihil ſibi tam firmum propoſuiſſe Eſram, quur dolorem ſuum alienis ſen-

ſenſibus tam efficaciter obtruderet, quàm
quòd ab illorum inſolentia ſibi metueret:
veritus ne cum Hieremia audire cogeretur:
Hie.44 „ Sermonem quem locutus es ad nos in noïe
Domini non audiemus ex te. Illud ſanè in
confeſſo eſt, poſteaquam peccatum multo
tempore quaſi radices egit,& ad pœniten-
tiæ monita homo callum obduxit, vt pec-
catum eſt ponderoſius,ita maiori etiam ani
maduerſione à Deo plecti ſolere: vt non ſe-
mel magno ſuo malo experti ſunt Iudæi.
Quæ fuit Eſræ altera plena mométi cauſa,
quur publicè ita ſe diſcerperet. Nam niſi ꝓ
officij ſui ratione,vtpote ſacerdos,diligen-
tiam ſuam ad Dei mentem accommodaret,
erat vnde Deo ſe obſtringeret: qui ſanguinē
Eze.33. illorum ab ipſius manib. (vt p Ezechielem
minatur) hauddubiè repoſceret. Iam vt ſibi
cōſuluiſſet,populo certè metuere debebat,
ne non parendo in extremū periculum de-
uenirent. Sed principiis tam bene conſti-
tutis,magna ſpe etiam cætera perſequenda
inuadit. An iniquum poſcere videbor,cha
riſſimi,ſi quod de huius populi ſtudio & pi-
etate audiuimus,hoc Quadrageſimali tem-
pore à Chriſtianis requiram? Certè non eſt
alia huius temporis ratio,quàm vt in gene
ralem pœnitentiā conſpiraretur ab omnib.
quò ex multarum perſonis facierum (Pauli
2.Cor.1 verbis libēter vtor) tanto violentius preces
noſt

noſtræ cómuni ſpiritu ſubnixæ in cœlum irrumpāt. Si vnus Helias tam multum ſua prece valuit apud Deum; an non amplius 3.Re.18.
valuiſſet, ſi cum eo oraſſent & cæteri? An parum valiturum putamus, ſi morum correctione à ſingulis intētata, puras iam preces Deo in commune offeremus? Si non falſo Mat.18.
Chriſtus promittit, fore, vt quod duo aliqui in rem piam cõuenientes rogaturi ſunt, accipiant: votis noſtris defuturum credimus, ſi vnanimi conſenſu in vitæ emendationé, & gratiæ implorationem, preces conferamus? Enimuero Eccleſia, niſi eam fruſtrari volumus, hoc à nobis expectat. Vnde illud quaſi cómune & publicum edictum quotidie nobis inculcat:

Dicamus omnes cernui,
Clamemus atque ſinguli,
Ploremus ante iudicem,
Flectamus iram vindicem.

Et quid æquius? Vnus orans, & vnus maledicens (ait Sapiens) cuius vocem exaudiet Deus? Si dum tu ieiunas, alter helluatur, quis tandem vel conſenſus in vobis, vel pœnitentiæ fructus? Quomodo in commune conſulitur, ſi communem operam in orando, ieiunando, pœnitendo non collocamus? Sanè Eſras nihil priuatum voluit, & cecidit quidem feliciter. Ioël quoq; ad communem pœnitentiam vocat, quum ait: Canite tuba Eccl.34.

in

Ioel.2. » in Syon,ſanctificate ieiunium,vocate cœtũ,
» cõgregate populum,ſanctificate Eccleſiam,
» coadunate ſenes,congregate paruulos,& ſu
» gentes vbera, &c. Iudæis tametſi cognata erat & familiaris peruicacia, aliquoties tamen in publicam pœnitentiá leguntur conſenſiſſe,quemadmodũ quum rebus præeſſet
2.Para.20 rex Ioſaphat,& temporibus Helyæ,&c.Rex quoq; Niniues vſqueadeo diſcrimen nullũ
Ion.3. vel ordinis vel ætatis habuit,vt à brutis etiã animalibus abſtinentiam exigeret. Et hic gentibus imperabat. Itaque Chriſtiani ſoli cùm Iudæis duriores ſunt,tum gentibus magis increduli: nec tamen qui nos vocat,aut Ionas tantùm eſt,aut tantùm Eſras,aut porrò Helias. Sed quid? nunquam ad iuſtam dimidij partẽ pertingimus. Quò deploratiores certè ſumus, & ex hoc Iudæorum facto in iudicio grauius onerãdi: quòd quum illi ad priuati hominis præmonſtrationem pœnitendum ſibi indixerint,nos nullis monitis ſiue Dei,ſiue Eccleſiæ,neq; vllis aliorum exemplis pœnitentiam nobis perſuaderi ſuſtinemus: vt ne dicam,quod indies in peccando magis ac magis inueteraſcimus. Sed in textu audiamus quid ſequitur.

ET reſpondit Sechenias filius Iehiel de filiis Helam,& dixit Eſræ: Nos præuaricati ſumus in Deum noſtrum,& duximus

ximus vxores alienigenas de populis terræ. Et nunc ſi eſt pœnitentia in Iſrael ſuper hoc, percutiamus fœdus cum Domino Deo noſtro, vt proiiciamus vniuerſas vxores, & eos qui de iis nati ſunt. Iuxta voluntatem Domini, & eorum qui timent præceptum Domini Dei noſtri, ſecundũ legẽ fiat. Surge, tuũ eſt diſcernere, nosq́ erimus tecum. Confortare, & fac.

NVnc tandem ad rem. Erat quidẽ maximi momẽti extraxiſſe populo lachrymas: verũ ad pœnitentiá neutiquá ſummi. Iudæi olim, quũ diuina ſententia ab ingreſſu terræ promiſſæ prohiberentur, prorupe-runt in fletum: ſed nihil efficiunt. Etenim non hoc dolebãt, quòd Deum offendiſſent, ſed quòd in ſolitudine occumbendum illis eſſet. Eſau quoq;, intercepta à fratre benedictione, elata voce fleuit: ſed quòd nihil aliud quàm fleret, lachrymas verè, vt dicimus, fundebat. Non enim ſacrum quid, ſed terreſtre erat quod ab illa expetebat. At melius iſti. Qua in re incõparabilem laudẽ meruit iſte Sechenias, q primus ſe profert, non dubium quin vir multę exiſtimationis & authoritatis: qua Eſram fideliter ſuffulcit ac ſubleuat: qui non multum alioqui efficere potuiſſet. In Euangelio nõ eſt Petrus ſolus labori par, vt extrahat rete in terram, ſed eget aliorum au-

Num. 14
Gen. 27
Luc. 5

auxilio. Sit Papa,ſit Epiſcopus,ſit Imperator, & quocunq; demũ titulo magiſtratus, ſiue ille ſacer, ſiue laicus: ſi non habent,qui quod illi quantumuis pie ac ſalubriter inſtituunt,cõſilio & authoritate in populo prouehere & cõmendare laborãt, operam perdunt. At quem mihi hodie ex optimatibus dabis,qui faceret quod iſte Sechenias:vt paſtore ad pœnitentiã vocante, ducem ſe vulgo præberet? Reperias ſatis multos,qui ſtudium & diligentiã in hoc non grauatè conferunt,vt alios edictis coerceant,pœnis afficiant,& ad leges ſeueriſſimè aſtringant: at qui hoc in ſe ipſis meditentur,cum Hybernis roſis numerari poſſunt.Porrò Sechenias primus in facti confeſſionem prorumpit,& ita,vt,quod in ſe eſt,non recuſet malo quauis ratione mederi: nihil ſollicitus,quam in partem id à cęteris acciperetur.Præuaricati ſumus,inquit,non in hominẽ aliquem,ſed in Deum,adeoq; in noſtrũ Deum,cuius tam immenſa eſt meritorũ erga nos magnitudo. Creatorem contempſimus:de paranda creaturarũ gratia laborauimus . Nihil cuiq; ſua religione charius: at nos in eam alienigenas admiſimus.Et vt Deum nobis hoſtem conſtitueremus, iuratos iam olim nobis hoſtes affinitate coniunximus. Apta nimirũ & vehemens confeſſio,quã in ſingula verba exaggerat. Atq; ea demum vera eſt confeſſio, quæ

q̄ ſuū authorē om̄i patrocinio & excuſatiōe
denudat:vt & aliâs diximus. Quid porrò Se
chenias? Et ſi nunc eſt pœnitentia in Iſrael, »
ſup hoc ꝑcutiamus fœdus cū Dn̄o Deo no- »
ſtro,vt ꝓijciamus vniuerſas vxores,& eos q »
de iis nati ſunt. Habes eius ſententiā. Impri »
mis vt reconciliatio cū Deo coëat, q̄ diſceſ-
ſioni anſam præbuerūt tollenda cenſet. Qđ
ita de ſe pollicetur,vt videatur etiā populū
trahere in partes. Neq; id difficile fore puta
bat,quū q dignitate pręcellerēt,authoritatē
interponerent. Poſtremò Eſram etiā ipſum
ad hæc pſequenda hortatur: q ſi rem cōſilio
ꝓmoueat,nō defuturos q dilgēter expedi-
ant. Ah fratres, qd animi,qd prōptitudinis
in hoc viro fuit. Quæ vtinā primates omnes
imitanda ſibi ꝓponerēt,quò Eſram,hoc eſt,
diuini verbi præconē confirmarēt:vt vbi illi
verbi diuini gladiū in ꝑfractos exerere ne-
ceſſe ſit, ipſi nō dubitent ſæcularē vibrare:
quin potius vbi ſpem fructus patefacit,ipſi
cumprimis nolint ſuæ lentitudinis cauſa a-
miſſam. Atqui hoc potiſſimū hodie deſide
res,vt Eſras Secheniā aliquē habeat,hoc eſt,
vt magiſtratus Eccleſiaſten authoritate ſu-
ſtentet. Huius rei vicio fit,quòd non modò
nihil docendo ꝓficimus,ſed omnia in peius
ruere apertè videmus. Sed in graue malum
illis,q obuiare poſſunt,nec faciūt. Sed parcā
dolori. Gratia Dei cum omnib. nobis. Am.

M

Feria quarta poſt Dominicam Iudica. Ser. II.

QVod memoria tenere vos arbitror, ſuperiori concione cóplexi ſumus Iudaici populi promptitudinem, voluntaté, ac obedientiam in Eſræ obſequendo, quem ſui cauſa tantopere ſe diſcruciaté videbant. Primò ingenti numero confluxerunt, viri, mulieres, pueri. Deinde non temperarunt à lachrymis. Ad hæc offerunt ſe ad ſuſcipiendũ promptos, quicquid ad vulneris huius obductioné ſecundum legem faciendum cenſeret: Idq; voce Sechenıæ, qui cómuni perſona in ſe ſuſcepta, agnoſcit delictum: confirmatq; Eſram, vt pro ſua functione, quod è re eſſe iudicaret, ad rem conferret: in ſe atq; in cęteris difficultatis nihil futurũ, immo & præſidij quantũ maximè, Si eſt pœnitétia, inquit, in Iſrael. Videntur hæc verba nónihil diffidentiæ, immo & deſperationis olere: quaſi metuiſſet Sechenias ne ob ſceleris enormitaté tantũ ſpei in Dei benignitate tutò reponi non poſſet, quantã Patres nó rarò erant experti. Planè familiaris cogitatio iis, qui anguſto ſunt pectore: dum occaſioné ſalutis amiſſam, nihil à pœnitétia remedij, grauiora eſſe peccata quàm quæ facilè redimi poſſint, iam cófirmatam

eſſe Dei voluntatẽ, & huius generis alia ter
riculamenta menti offundunt. Quid aliud Gen.4.
agebat Cayn? Maior eſt, inquit, iniquitas »
mea, quàm vt veniam merear. In quã men-
tis cæcitatẽ & Rex Niniuitarum penè inci-
derat, quũ diceret: Quis ſcit, ſi conuertatur, Ion.3.
& ignoſcat Deus, & reuertatur à furore irę »
ſuæ, & nõ peribimus? Certe pro ea affectuũ
omnium, animiq́;, ac membrorũ iactatione,
quam Eſras illis obiecerat: non abſurdè fa-
cere viderẽtur, ſi dubitarẽt, num adhuc ſpei
aliquid in pœnitentia eſſet reponendũ. Iam
aliqui ex Hebræo ita legunt, *Et nunc ſpes eſt
in Iſrael.* Quod genus ſermonis hunc potius
ſenſum habere videretur. Grauiſſimo nos
quidem flagitio Deo obærauimus: abſit ta-
men vt deſperandum putemus. Sumus alia
cõditione, q̃ gentes qui Deum ignorant: qui
nobis vtpote Iſraelitis, non fama tantùm,
ſed conſuetudine, ſed penè vſu innotuit.
Langueant illi extra ſpem omnem recupe-
rãdæ ſalutis: id minimè neceſſe eſt in Iſrael,
qui reconciliandi Dei ſcientiam tenemus.
Nobis hactenus is eſt cognitus, vt ab ipſo 2.Tim.2.
nõ bene nobis eſſe omnino nõ poſſit: nam
fidelis permanet, negare ſeipſum nõ poteſt,
modò nõ ſteterit per nos. Agitè ergo, quod
noſtrum eſt curemus, ſit pœnitentiæ locus,
renouemus cũ Domino fœdus: non poterit
nõ pręſtare quicquid de ipſo fide cõceperi-

mus. Si non falluntur qui interpretationē illam ex Hebræo afferunt,certum eſt Sechenniam his ſimilia dicere voluiſſe. Sed vt hæc ad Secheniæ ſenſum nō pertineant,nos tamen de Deo ita æquum eſt ſentire: debétq; in cordis noſtri penuario in omnē ſedandę famis neceſſitatem eſſe repoſita. Quoties criminum tuorū magnitudine & numero ita terreris,vt obſcurata fidei acie caliginē tibi offundi ſentis, eoque tremere, ac vacillare: diſcute te ocius, & proclama cum Dauide:

Pſ.41. „ Quare triſtis es anima mea, & quare cóturbas me? Spera in Deo,quoniam adhuc confitebor illi,ſalutare vult⁹ mei & Deus me⁹. Et Sechenia præeunte ita tecū diſputa. Peccaui,fateor: ſed deſperabo,quum adhuc ſit pœnitentia & ſpes in Iſrael? Eccleſiaſticæ cōmunioni nunq̄ renunciaui: Euangelium, in quod iuraui,nullum tēpus,nullam ætatē acquirendæ ſalutis præfinit. Amiſi innocētiam,ſed ſpem retinui. Hac igitur adiutrice certum eſt ad Deum recurrere, peccata deflere, & vt veteris gratiæ locū apud Deum obtineā,fœda illa veſtigia relinquere,& nouam vitam meditari. Enimuero filiús ille

Luc.15. prodigus huiuſcemodi cogitationibus confirmatus ad Patrē repedauit. Porrò in Iſrael,hoc eſt in Chriſtiana Eccleſia,hoc ſpei supereſſe, notius eſt quàm vt cōfirmari indigeat. In ipſo fidei noſtræ ſymbolo profi-

temur in Eccleſia eſſe remiſſionē peccatorum,eamq́; perpetuam. Nam quandiu annunciatur Euangelium, annunciatur haud Luc.24.
dubiè in remiſſionem peccatorū. Et donec ſtabit Eccleſia,non deerūnt qui illam ſaluբriter exerceant. Quandiu homo Chriſtianus ſpiritū hîc trahit, poteſt diaboli cauillis hoc ſemper opponere : Credo remiſſionem peccatorum. Proinde ne dubita ſpem hanc in Eccleſia firmam ſemper fixamq́ue permanere,neq; vlla peccatorum magnitudine,aut peccantium improbitate poſſe deleri. Tenemus hac de re ampliſſima Dei ꝓmiſſa. In Eſaia ita loqtur: Lauamini,mūdi » Eſa.1.
eſtote,auferte malum cogitationū veſtrarū »
ab oculis meis. Quieſcite agere peruerſe,di- »
ſcite benefacere &c. & venite,& arguite me. »
Si fuerint peccata veſtra vt coccinum,quaſi »
nix dealbabūtur : & ſi fuerint rubra quaſi »
vermiculus, velut lana alba erunt. Et alio »
loco apud eundem: Quærite Dominū dum » Eſa.55
inueniri poteſt,inuocate eum dum ꝓpè eſt. »
Derelinquat impius viam ſuam, & vir ini- »
quus cogitationes ſuas, & reuertatur ad Do »
minum, & miſerebitur eius,& ad Deum no »
ſtrum, quoniam multus eſt ad ignoſcendū. »
Vel ex duobus his locis vides,hāc ſpem nobis ſatis eſſe vallatam: veruntamē placet & ex aliis prophetis ſpicilegium facere. Apud Hieremiā,Tu fornicata es cum amatoribus

Hier.3. „ multis,tamē reuertere ad me dicit Domin⁹:
„ Ergo ſaltē amodo voca me,pater meus,dux
Eze.36. virginitatis meę tu es. Per Ezechielem pro-
„ mittit Dominus,ſe effuſurū ſuper populum
„ ſuum aquam mundam: & emundabimini,
„ inquit,ab omnibus inquinamētis veſtris:&
Zach.13. dabo vobis cor nouum &c. In Zacharia verò
„ ſic: In die illa erit fons patēs domui Dauid,
„ & habitantibus Hieruſalem in ablutionem
„ peccatoris & menſtruatæ. Quas verborū fi-
guras an non apertiſſimè explicat Chriſtus,
Matt.9. quum aſſeuerat, peccatorū ſe gratia tātùm
Ioan.6. in mundum veniſſe: ſe neminē eorum, qui
accedunt,repulſurum: nec patris voluntatē
ab hoc abhorrere,immo ita ſibi diſertè prę-
cipere? Quis iam negare audeat Secheniam
ex vero dixiſſe,eſſe etiamnunc in Iſrael,hoc
eſt in Eccleſia hanc ſpei firmitatē,vt ſi quis
non ficté de peccatis doleat,peccata certiſ-
ſimè ſibi remiſſum iri? Quod quum Dauid
Pſ.102. ſedulò memoria repeteret,in hanc gratiarū
actionem erupit: Benedic anima mea Dño,
„ qui propiciatur omnibus iniquitatib. tuis,
„ qui ſanat oēs infirmitates tuas,qui redimit
„ de interitu vitam tuā,qui coronat te in mi
„ ſericordia,& miſerationib.&c. Hæc,in eorū
gratiam,qui ob fidei ac ſpiritus inopiā, ſe-
cum nonnunq̄ addubitare ſolent,an adhuc
ſpes & pœnitētia eſſet in Iſrael: parati alio-
qui nullum laborē,etiam inuſitatū ſubter-

fu-

fugere, modò de obſecundatione ipſis conſtaret: viſum eſt aliquãto diffuſius tractare. Quare, ſi quis in has fidei anguſtias aliquando protruderetur, opponat ſtatim hanc vocem: Quid mihi, o diabole, aſylum meum eripere tentas? adhuc ſpes & pœnitentia eſt in Iſrael. Neq; addubitet, ſi quod ore profert, re ipſa ſequi voluerit, fidelem fore Deũ, vt ſibi peccata remittat. Hic primus miſſus ſit, quo Sechenias iſte mentes noſtras refecit. Secundus porrò in his verbis clauditur, percutiamus fœdus cum Domino Deo noſtro. Quibus, quid ſpei ac fiduciæ de Dei pietate haberet, multo etiam amplius inclareſcit: quũ illum, vel tam enormi facto recens offenſum, non grauatè tamen ad fœdus renouandum acceſſurum confidat: Pepigerat Deus olim fœdus cũ Abrahamo & eius poſteritate, vt eſſet ipſis in Deum, ipſi verò illi in populũ. Quod poſtea cum Moſe aliquanto etiam diſertius contraxit, in quo nec conditiones capitáve tacentur, vtpote quę illi conſequerentur initæ pactionis præmia, & ad quam viciſſim pro his obſeruantiam tenerẽtur. Promittit ſe illis traditurũ poſſidendam terrã Chanaan: exigit viciſſim vt mãdata eius ac præcepta omnia cuſtodiant. Quod ſi facerent, promitterent ſibi ab eo omnia, quęcunq; ab optimo Deo, Patre, Principe ac Patrono ſperari poſſent.

1. Ioan. 1.

Gen. 15 & 17.

Exo. 24.

Leui.26. Quòd ſi verò contra hæc facerent,& ipſi leges priores præuaricarentur:ſe fœdus ꝓ violato habiturũ, neq; conditionib. ſtaturum. Iam non negat Sechenias à ſua parte cõtrà quàm conuenerat factum,atq; ideo quantũ in ipſis erat,fœdus ruptum ac ſublatũ. Præuaricati ſumus,inqt, in Deum noſtrũ. Qua confeſſione Deum apertè omni pacto & ꝓmiſſo exſoluit. Neq; tamen ſpem abiicit,vt ſi ipſi totis animis in reconciliationẽ incumbant,fore vt à Deo non repellantur.Percutiamus fœdus cũ Domino Deo noſtro:quaſi dicat: Tametſi inficias ire nõ poſſumus,nos rupto fœdere,iam à Deo noſtra perfidia exacerbato, nihil aliud expectare meritò debere,q̃ vt veterẽ ſuam in nos beneuolentiam in iram ac vindictam conuertat: ea tamẽ eſt mea de ipſius bonitate opinio,vt nõ dubitẽ eum ad nos animũ relaturũ,modò nos quæ offenſioni cauſam dederũt, ſedulò amoliri, gratiamq; repetere ſtudeamus. Hanc planè perſuaſionẽ neceſſe eſt ad pœnitentiam adferamus: qua qui caruerit,metuendum eſt, ne dum ad Iudę exemplũ peccatũ agnoſcit,
Mat.27. deſperatione ſubſidat. Iam & illud animaduerſione dignũ,quòd non modò Deum culpa liberat, ſe ac ſuos onerat, adeoq; de Dei benignitate magnificè tum ſentit,tum prędicat:verumetiam quòd viam aperit,qua ad reconciliationẽ cenſeret graſſandum. Percutia

tiamus,inquit,fœdus cum Dño Deo noſtro. Vt q̄ facta ſunt,reſarciamus: reuocemus ac renouemus fœdus quod nobis ac maioribus noſtris vetus cum Deo fuit: neq; recedamus à maiorum exemplis,quos olim ita locutos fuiſſe cognouimus: Omnia verba Domini quæ locutus eſt, faciemus: nimirum vt illi cultũ ac obedientiã tanto maiorẽ in omne tempus præſtemus. Et hoc verè icere cum Domino fœdus dixerim,quando nos ad morem gerendum Deo,tam in reiiciendis quæ illi grauia ſunt,quàm ſuſcipiendis quæ grata,libenter cupideq; comparamus. Ad eum modum legimus prioris teſtamenti Patres non raró pactionẽ cum Domino renouaſſe, quando eam ſuo vitio reſciſſam cõperiſſent. Sic fecit Ioſue populi nomine prius, quàm mortem oppeteret. Sic Samuel: ſic Ioiàda pontifex: reges etiam Ezechias,& Ioſias: vt ſuis locis eſt videre. Porrò ne Iudaico tantũ fœderi inſiſtamus: nos etiam cum Deo in Baptiſmo fœdus ſanximus, aut ipſe potius nobiſcũ. Fœderis præmia ſunt,remiſſio peccatorũ, impartitio ſui ſpiritus, & cõmunio paternæ hæreditatis. Nos contrà eiuramus Diaboli imperium & mundi faſtum. Quòd ſi iam pactis nõ ſteterimus,nõ ſatis eſt quòd culpã agnoſcimus,quòd miſericordiam Dei imploramus: verùm fœdus ipſum etiam redintegremus reſarciamusq; oportet. Id autẽ

Exo. 24.

fiet,

fiet, ſi certum nobis deliberatumq́; fuerit ab impietate recedere, & honeſtis actibus inſiſtere. Huc pertinet illa ex Euangelio: Ecce
Ioan.5. ſanus factus es, iam noli peccare, ne deterius
Ioan.8. tibi aliquid cõtingat. Et, Vade iam amplius noli peccare. Quorum hoc mulieri in adulterio depræhenſæ dictũ eſt, illud languido illi q totos triginta octo annos decubuerat. Etenim qui hoc animo gratiam admiſſorũ à Deo poſtulat, vt confirmatũ illi nondum, aut non ſatis ſit, facere peccandi finem: ille nihil aliud q̃ deriſui Deum habet, & quem cupit recõciliatum, grauius etiam offendit. Certè omnia hîc tam ab Eſra quàm ab hoc Sechenia tam prudenter inſtituuntur, vt ad pœnitentiam rectè agendam nihil penitus requiratur, quod hîc non legeris. Sed audiámus quæ ſequuntur:

SVrrexit ergo Eſras & adiurauit principes ſacerdotum, & Leuitarum, & omnem Iſrael, vt facerent ſecundum verbum hoc. Et iurauerunt. Et ſurrexit Eſras ante domũ Dei, & ibat ad cubiculum Iohannan filij Eliaſib, & ingreſſus eſt illuc. Panem non comedit, & aquam non bibit: Lugebat enim tranſgreſsionem eorum qui venerant de captiuitate. Et miſſa eſt vox in Iuda & in Ieruſalem omnib. filiis tranſmigrationis,

vt congregarentur in Ieruſalem. Et omnis qui non venerit in tribus diebus, iuxta conſilium Principum & Seniorum, auferetur vniuerſa ſubſtantia eius, & ipſe abiicietur de cœtu tranſmigrationis.

IN his verbis tria potiſſimũ veniunt conſiderãda. Primum, quod Eſras pœnitentiæ ſtudium magis ac magis adhuc vrget, quum tamen & collachrymanté populum videret, & Secheniá cõmuni nomine de fœdere cum Deo renouãdo, abiiciendisq; vxoribus allophylis pręclarè loquenté è medio audiret. Sed non fallebat catum virum, ad pœnitentiã amplius q̃ lachrymas, & ſplendida promiſſa requiri. vtrunq; enim iis qui ad fingendum accõmodati ſunt, facillimũ. A quibus Deo tametſi imponi nó poſſet, ne ipſe quidem tamen his argumentis eſt contentus. Enimuero Eſras nó parũ voluptatis ex his capiebat, necdum tamẽ de tanto animi mœrore aliquid ſibi remittendum putauit. Id autem ſcriptura diligenter explicat: Panem non comedit. &c̃. Ex quibus verbis vel id obiter perſpice, quanta ab illis proceribus auſteritate eſt ieiunatum. Primò, nedum à carnibus, piſcibus, aliisve gulæ irritamentis abſtinuit, ſed ne panem quidem (inquit) comedit. Deinde nó illud exaggerat, quòd vino ſibi interdixit: verùm ne aquæ qui-

quidem guſtum ſibi permiſit.Immo quum
4.Reg.6 hæc duo ita connectit: nam panis & aquæ nomine, quicquid in cibum ſumitur compræhendi,in ſacris literis eſt vſitatum: manifeſtū relinquitur, nihil prorſus alimoniæ ab ipſo deguſtatum. Interim (quanquã de ieiunandi ratione initio Quadrageſimæ nõ pauca diximus) ieiunium hoc noſtrum (ſi tamen ita appellari debet) cum illo,quod à Patribus eſt vſurpatum,committe: videbis q̃ longè à ſcripturæ mente abſint,qui hodie tum docendo tum ſcribendo hanc doctrinã tradere nõ erubeſcũt: Ieiunium Chriſtianũ nõ aliud eſſe,quàm alimentorũ caſtigatum & moderatum vſum. Quem ſi quis arctius adhuc circũſcribendum putat, ſuperſtitionem ſapere,& eſſe prorſus inutile. Sed hæc illis inſtillent, quos ob ſcripturæ ignorantiam nõ eſt difficilè ſeducere,in hac potiſſimum cauſa: At illis qui non obiter ac oſcitanter in ſacris verſati ſunt,ex hoc Eſræ loco, & tam multis aliis,de Daniele, Ioanne Baptiſta,immo & Chriſto ipſo,longè aliter perſuaſum eſt,quàm vt ieiunium in moderata ſumptione alimentorum conſtituant. Non eſt veriſimile, vt hos quos nominaui, vllo prorſus tempore intemperantes fuiſſe credamus: non ob id tamen ieiunandi ſibi ſtudium ſuperuacaneum,aut ad maiorẽ inediam minimè aſtringendum,ſunt arbitrati.
Eſ-

Eſram, tametſi nō ſemper pane & aqua abſtinuit (quod nō fecit, niſi quum ieiunauit) non ob id tamen verè dixeris intemperantiorem vnquã fuiſſe. Chriſtus ipſe ſeruator Mat.4
noſter etiamſi quadraginta dierũ ieiunium continuauit, vt nihil prorſus guſtaret, aliis temporibus hauddubię cibariis, nec intemperanter tamen eſt vſus. Itidem crediderim Danielem ſuis temporibus nec vino nec car nibus abſtinuiſſe: vſum tamē moderatè: an ob id ſuperſtitioſus fuit, quòd quũ peccata Dan.10
ſuæ gentis lugeret, panē deſiderabilem non comederit, carnes, & vinum non attigerit? Certe diſcrimen eſſe inter ieiunare, & moderatè veſci, idq; non paruum, neceſſe eſt fateamur. Sed hæc aliàs etiam perſtrinximus, Quid porrò Eſras poſt fundamenta illa feliciter iacta fecerit, pſequamur. Nō comedit panem, aquã non bibit, & mœſtitia affectus eſt. Quid ita, obſecro? Quia iugulum cauſę nondum inuadi cernebat. Quod quàm diu differretur, operæpretium erat, vt dolorem ſuum ſtudiumq; magis ac magis intēderet, quò eos ſignificatione mœroris cōſternatos obſequentiores haberet. Deinde abſurdum videri poterat, ſi, quum ipſe ſtatim ad laxitatem rediiſſet, alios ad longã ac difficilem pœnitentiam adſtringeret. Nam id alij ita continuò interpretari potuiſſent, quaſi non publici boni cauſa, ſed ad oſtentationē autho-

thoritatis dumtaxat faceret: eoq; nomine inflexibilis. Et ita facilè fieri potuiſſet, vt ꝑ ſperata ciuium emendatione, inuidiã ac calumniam ſibi lucrifeciſſet. Verũ enimuero quũ ita perſtat ieiunãs ac lugens, qui tamẽ extra culpam eſſet, nemini obſcurũ eſſe poterat, magna eum erga populũ cõmiſeratiõe moueri: neq; propria authoritate hoc ſibi ſumere, vt in libera capita grauior inſurgeret: ſed illud modò quod ſui muneris erat, vtpote ſacerdos, curare. Nemo facilè dixerit, quantum habeat ad flectendos popularium animos ad pietatem momenti, quãdo ſcrupuli nihil illis relinquitur, ab optimatibus neq; quæſtum neq; libidinẽ ſpectari: ſed quod muneris eſt curari, ac miſericordiã retineri. Sed hæc nunc vnà cum Eſra miſſa faciamus in proximum conuentum.

Feria ſexta poſt Iudica, SERMO .III.

Occaſionẽ illam, dum populus iam ad ſe cõſternatus redit, nec lachrymis parcit, ab Eſra minimẽ neglectam, ſed diligẽter ad pœnitentiã publicè ꝓmulganda arreptã, & quo primùm ꝓpriç caſtigatiõĩs exemplo id ſit aggreſſus, ſuperiori ſermõe dicere incepimus. Principiò in Secheniæ ꝓmiſſa inſiliẽs, iuramẽto eos obſtrinxit, vt, quẽadmodum

dum ille ꝓmiſerat, fœdus cum Domino renouarent, ꝑficiendis mandatis eius omnib⁹ incũberent; deinde q̃cq̃d cõtra eius voluntatẽ attentaſſent, reſcinderent, recantarentq́;. Veriſimile eſt Eſram non alio modo populum adiuraſſe, quàm quo D. Paulus vſus eſt 2.Tim.4.
ad Timotheum: Teſtificor (inquit) coram „
Deo, qui iudicaturus eſt viuos & mortuos, „
per aduentum ipſius, & regnum eius, præ- „
dica verbum. &c̃. & alibi ad ſeniores eccleſię *Act.*20.
Epheſiorũ, vt ſuis fidem ac diligẽtiam præſtarent. Quanquam nonnullis placet, quòd iuſiurandum ab eis exegerit, ſe dicto fore audientes, ac ſtaturos promiſſis. Sanè vt faceret, nõ deerat iuſta hõneſtaq́; occaſio. Nam tametſi illo momento, quo alienũ dolorẽ ſolũmodo ſentirẽt, ad promptitudinẽ ipſorũ deſiderare nihil poſſet: hoc tamẽ ipſe curare incũbebat, ne dum proprio arroderentur preſſius, labaſcere ac pedẽ referre inciperẽt. Non eſt, fateor, ad exigendam pœnitẽtiam hac via graſſandum, vt iuramẽto ab alicuius criminis iteratione quempiam retraham⁹: hilarem enim datorem diligit Deus: cati ta „2.Cor.9.
men hominis fuerit, omnem occaſionẽ, quę cõmodùm ſe offert, arripere. In his porrò q̃ ſequuntur, Eſras aliquãto etiã feruentior inſurgit. At ab hac ſeueritate longè diſſidet Eccleſia, quãdo ad pœnitendum nos vocat: idq́; Chriſti exemplo, qui neminẽ cogit, ſed

Ioan.7. „ ꝓmiſſis potius illectat. Si quis ſitit, inquit,
„ veniat ad me, & bibat. Ita & Eccleſia iuramenti religioné non interponit, vt peccata lugeamus, confiteamur, miſſa deniq; faciamus, & pietaté amplectamur: ſed monitis & obſecrationib. nos vrget. Quanq̃ non deſunt quæ ꝓ Eſra dici poſſent, vt & honeſtũ & neceſſarium conſilium ſecutus videatur. Primò patrociniũ meretur à tẽpore, deinde à gentis ingenio, tertiò à cauſæ difficultate. Inprimis Euangelij, hoc eſt gratiæ tempus necdũ illuxerat: legis rigor algida pectora adhuc vrebat, ꝑſonabát omnia ſuppliciorũ interminationib., ſi quid officij ab eis Deus ipſe exigeret minas adiiciebat: & vt ſummatim dicam, ſpiritus ille filiorũ, per quem charitas in fidelium corda diffunditur, nódum erat miſſus.
Rom.5. Iam eius populi ingenium quis è ſacrę ſcripturę repręhenſione nó nouit? quũ & à Domino paſſim, duræ ceruicis audiunt: neq; tam incredibili mãſuetudine
Exo.32. Moſis adeò emolliri nó potuerint, vt illum
Num.20 ipſum etiã in culpæ conſortium traxerint, coëgerintq; ſecum in deſerto perire. Ad hęc ſi cauſam perpenditis, q͂a publicũ & populare facinus, quodq; multos cótagione infecerat, & optimum quenq; offenderat, erat ſanequam grauiſſima. vt minimè cuiuſq; arbitrio relinquere integrũ eſſet, pœnitẽtiam agerent, nec ne. Etenim quę publicè ita deſig-

ſignãtur, vt boni qui ſunt violentur, malorũ verò ſtudia cõfirment, quauis ratione coercenda & opprimẽda ſtatim veniunt, ſiue id authores velint, ſiue non. D. Paulus diſertè præcipit Corinthiis de eo, qui publicè pec- 1.Cor.5.
carat: Auferte malum ex vobiſipſis. Porrò in veteri lege de publicis criminib⁹ tam a- Deut.13
cerbè ac ſeuerè cautũ erat, vt ob hoc ipſum Phinees, quòd duos palam rem nefariã per- Num.25
petrantes, momẽto in ipſo cõfodiſſet, à Deo laudari, ac æterni ſacerdotij monumentum accipere mereretur. Heli verò, quòd in filiis 1.Reg.2.
publica malefacta diſſimulanter ferret, nec corriperet, ius ſacerdotij pro ſe & poſteris in perpetuũ amiſit. Quæ quũ Eſram minimè laterent, à voluntariis iuramẽtum ſuſcepit, vt peccatum diſſoluerent: ita vt qui voluntarij erant, poſſent vberius laudari: qui nolebant, compelli. Nam multa adijciebatur: vt niſi quis intra triduũ ex præſcripto magiſtratus ac ſeniorum feciſſet, bona publicarentur, & ipſe ius populare amitteret. Nos pœnitẽtiæ prædicationem nõ paulò mitius inſtituim⁹: vt qui ſerui ſub lege nõ ſumus, „ Ro.6
ſed liberi ſub gratia. Itaq; non ſumus man- Gal.4.
cipia, quæ plagis regi ac emendari debent: ſed filij ac hęredes, qui patris imperiũ, quod nimirum ad ipſorum ſalutem omne compa rauit, nõ grauatè amplecti tenentur. Immo Pauli conſilium potius ſequi deberemus, vt Eph.5.

non modò palá turpe ac inhoneſtum quid non dico facere aut loqui, ſed ne nominare
1.Ioan.3 „ quidem vellemus. Omnis qui natus eſt ex
„ Deo, nō peccat, ait Ioannes: intellige, dedita opera, publicè, ac proteruè. Alioqui ne
1.Ioan.1. filij quidem Dei, quantiſper huius vitæ caſibus ſunt obnoxij, à culpa penitus ſunt exſortes. Sed ſtudium ad peccandum nō conferunt, non palàm de malo ſe venditant, ne delinquunt etiā publicè, nec reddunt ſe ad pœnitendum difficiles. quare nec multa acrimonia opus eſt, vt ab errore reducantur. At ſi qui tam peruerſi ſunt, vt nō vereantur cum offendiculo piorum, in apertā fidei noſtræ à Iudæis & ethnicis calumniam, quicquid libet facere, idq; licēter ac palàm: neq; vulgata à legibus & ſanctionibus remedia
2.Tim.4 quicq̃ proficiunt: cōtra hos inſtandum eſt opportunè ac importunè, nihilq; omittendum, quò vel cum cæteris ſint ſani, vel pereant ſoli. Nam, vt nihil aliud, maior habenda eſt totius corporis cura, q̃ vnius alicuius membrorum: & antiquior nobis eſſe debet legum obſeruantia, & Eccleſiæ integritas, quàm cōmunis affectio, & humana ſocietas. Enimuero tēpore ſubnaſcentis Eccleſiæ ab Apoſtolis etiam ipſis id obſeruatū eſt quàm
Act.8. diligenter. Hoc zelo D. Petrus Simonē Ma-
1.Cor.5 gum cōmunione interdicit. Paulus etiam eum qui nouercam ſuam palàm pro vxore ha-

habebat, Sathanæ tradit. Qui mos deinde per aliquot ſæcula in Eccleſia obtinuit, vt publica cenſura notarentur, qui palã aliena docerent, vel corruptè viuerent. Sic Arius ob hæreſim ab Eccleſię cõmunione eſt ſeparatus. Nec mitiora paſſus eſt Marcion, quòd cum peruerſo dogmate adulterium coniunxiſſet: vt cæteros omittam: nam ſcatent hũiuſcemodi exẽplis ſacrę hiſtoriæ: vbi & ſummos Reges, quòd matrimonij fidem duntaxat ſoluiſſent (tametſi id hodie à plæbeiis etiam leue ducitur) legeres nonnunq̃, non ſolùm ſacra animaduerſione notatos, vt extra ſocietatem eſſent: verumetiam ciuili, vt regnum amitterẽt. Quid? Diuus Ambroſius nónne Imperatorẽ ipſum cõmunione priuare eſt auſus, eiq; præcipere, ne Eccleſiam cum cæteris oraturus intraret? Nõ poſſum mihi tẽperare, quin de hiſtoria hac aliquid latiùs dicã, quum veteris Eccleſiæ diſciplinam clariſſimè nobis ob oculos ponit. Is erat Imperator Theodoſius, qui Valẽtiniano in Imperio ſucceſſit: homo ad miraculum vſq; pius & religioſus, & optimo cuiq; chariſſimus: ſub quo Eccleſiæ res maximè floruerunt, ita vt ab Epiſcopis omnibus, nõ ſecus quàm ſi pater fuiſſet, coleretur. Cæterũ quum nihil eſt ex omni parte beatũ: vt homo erat, humanum quiddam eſt paſſus, in quo longiſſimè ab æquitate receſſit. Nam

Hiſt. Tripar. lib. 9. cap. 30

Niceph. Call. li. 12. cap. 41.

tumultu à Theſſalonicēſib. excitato, accidit vt quidam è Comitibꝰ, qui ibi & in Illyrico magiſtratū gererent, à furibunda plæbe interficerētur. Quod imperator tam grauiter accepit, vt immiſſa militum manu ad ſeptē hominum millia, nulla ætatis, ſexus, conditionis, immo ne culpę quidem ratione habita, cōtrucidari iuſſerit. Indignum ſanè facinus, & quod vix Neroni cōdones. Sed Imperator erat: & quidē talis. quis factum argueret? Sanè Græciæ ac vicini Epiſcopi omnes muſſabāt, & de priſtino circa Imperatorem ſtudio nihil remittebant: patebat illi ad Eccleſiam aditus: poterat intereſſe ſacris, poterat cōmunionem accipere. Verùm nō multò pòſt Mediolanum in Gallia, vbi Ambroſius Epiſcopum agebat, quum veniſſet: non illi obuiam honoris cauſa proceſſit Ambroſius, nō iit ſalutatum (quod alioqui pro veteri ſua erga Auguſtum obſeruantia nō omiſiſſet) immo quum audiſſet Imperatorē ad Eccleſiam venire, vt de more ſacra perciperet, hominē præ foribus his verbis grauiter inuaſit: An ignoras, inquit, ò Imperator, q̃ funeſta cæde ipſe te cōmaculaſti? An purpuræ ſplendor oculos tibi perſtringit, vt aciem in te ac factū tuum vertere nequeas? Fatemur te Dominum: ſed horum, qui nihilo deterioris ſunt naturæ, quàm tu es. Et certè tu quoque Dn̄m ſuſtines, qui te quoq; cum

cum his omnibus pari cōditione ſeruum ha bet & miniſtrū. At quibus oculis,qua fronte illi te ſiſtes: qui vt omnium cōmunis eſt Imperator, ſeruorum ac popularū ſuorum ſanguinem à te requiret? Quomodo manus ad illū in oratione leuabis, quæ etiamnum innoxio cruore ſunt infectę? Moneo igitur, te recipe,& ſacris abſtine: ne ſi impudentiā crimini tuo adieceris, malū tibi cōduplices. Patere vinculū à me tibi iniici,quo te Deus iamdudum innexuit: nec reſpue medicinā, qui non vitaueris morbum. Hæc atque alia quum dixiſſet,Cęſar hominis conſtantia,& veritatis pondere permotus, ad palatiū rediit: & grauiter lachrymis ac dolore ſe diſcerpens, totos octò menſes Eccleſia abſtinuit. Tandem quum Natalis Domini appeteret, doleretq; vehemēter Cæſarem,quòd non poſſet eam feſtiuitatem cum cæteris in Eccleſia ſolēniter obire: Rufinus, præfectus palatij, non ferens tam mœſtū eius viri vultum,rogat,quid tandē iuſtæ cauſæ haberet ob quam tantopere ſe diſcruciaret? Ah,inquit, Rufine ludis in alieno vulnere. Ambroſius quoſuis cōditionis homines, ſeruos æquè ac mēdicos, ad templi,adeoq; ſacrorū cōmunionem admittit: me verò ſubmouet. Sed quid de templo queror? cœlum etiam ipſum mihi eripuit. Bona verba,inquit Rufinus: corripio me ad Epiſcopū,& vt vincu

lis his te liberet curabo. Nihil feceris: reſpõdet Cæſar: nam te Ambroſium à tam æqua ſententia minimè abducturũ ſat ſcio. Interim Rufinus adcurrit ad Epiſcopũ: Imperator quòd inter ſpem & metum eſſet dubius lentè ſubſequitur. Ambroſius cõſpecto Rufino, quem vi potius quàm precibus cõtenſurum credebat: prius qũàm ille legationẽ perficeret: Sanè canum impudentiam mihi imitari videris Rufine, inquit. Tu horũ omnium es aûthor, quòd tanta cæde in immerentes ſit debacchatũ: & nunc ad hoc venis vt Eccleſiæ adeò diſciplinã conuellas? Illud tibi affirmo Rufine, me Cæſari, vt templum diſciplinamq; Eccleſiaſticã polluat, neutiq̃ permiſſurũ, niſi prius de facti pœnitudine ſe nobis probarit. Quòd ſi illi ſtatutũ eſt potentiã in tyrannidẽ conuertere, non refugiã mortẽ pro Eccleſiæ inſtitutis oppetere. Hęc poſteaq̃ Rufinus audiſſet, re infecta redire cœpit ad Imperatorẽ. At hunc quum in itinere venientem offendiſſet, retulit quæ ab Ambroſio audiſſet. Quid tum, inquit ille: volo hęc mihi ab eo ipſo impingi: nam pręterquã quòd ita merui, forſan mea patiẽtia placatiorẽ habebo. Ambroſius venientem conſpicatus, tanq̃ vi irrupturo ſeſe præ foribus obiecit. At ille: Non venio Eccleſiæ illuſurus, ſed vt me his vinculis ſoluas, neque peiori me conditione præ cæteris pœniten-

tibus

tibus diutius eſſe ſinas, adeoq; Deum ipſe ꝓ me preceris, oratũ venio. Sed quod tu nobis hactenus pœnitẽtię argumentũ ꝓ tam enormi ſcelere oſtẽdiſti? intulit Epiſcopus. Cui Cæſar: Tuum eſt, mihi pœnitentię formam pręſcribere: ego verò curabo, vt quod iniunxeris perficiã. Ad quæ Ambroſius: Quando quidẽ, inquit, præcipiti ira feruidus in tam inclementẽ ſententiam prorupiſti: cõſtitutionẽ talem per omne imperium tuum ꝓmulgabis, vt ſi in poſterũ capitali aliquem ſupplicio puniendũ, ſiue pręſens, ſiue abſens fueris, decreueris, in triceſimũ vſq; diem pœna prorogetur: quò interea, animo ad tranquillitatẽ redacto, rectẽ ne, an ſecus iudicaueris, diſpicere tecũ queas. Quod quum Cæſar mora nulla interpoſita faceret, ederetq; eam conſtitutionẽ, quæ poſtea per oẽs prouincias robur obtinuit: Ambroſius eũ anathemati exemit, reſtituitq; cõmunioni, & ſacris Natalibus paſſus eſt initiari. Omitto hîc alterũ non minus inſigne tum Cæſareę pietatis, tum Ambroſiani zeli exemplũ, ne fiam ꝓlixior: ſufficit, quòd veterẽ Eccleſiam ab hoc Eſrę facto nõ ita diſſentire, cognoſcitis. Quò minus mirũ eſt, quòd Eſras populares ſuos ad iurandũ adegerit: deinde edictũ pro municipalibus publicari iuſſerit, vt qui intra tertium diem Hieroſolymis præſto non eſſet, præter quòd bona ipſius in fiſcum in-

ferrentur ipſe quoque hoſtis iudicaretur. Sed audiamus quod ſequitur.

CONuenerũt igitur omnes viri Iuda & Beniamin in Ieruſalem tribus diebus, ipſe eſt menſis nonus, viceſima die menſis. Et ſedit omnis populus in platea domus Dei, trementes pro peccato & pluuiis. Et ſurrexit Eſras ſacerdos, & dixit ad eos: Vos tranſgreſſi eſtis, & duxiſtis vxores alienigenas, vt adderetur ſuper delictum Iſraël: & nũc date confeſſionem Domino Deo patrum veſtrorũ, & facite placitũ eius & ſeparamini à populis terræ, & ab vxoribus alienigenis. Et reſpondit vniuerſa multitudo, dixitq́ voce magna: Iuxta verbum tuum ad nos, ſic fiat: veruntamen, quia populus multus eſt, & tempus pluuiæ, & non ſuſtinemus ſtare foris: & opus non eſt diei vnius vel duorum (vehemẽter quippe peccauimus in ſermone iſto) conſtituantur principes in vniuerſa multitudine: & omnes in ciuitatibus noſtris qui duxerunt vxores alienigenas veniant in temporibus ſtatutis, & cum iis ſeniores per ciuitatem in ciuitatem, & iudices eius, donec auertatur ira Dei noſtri à nobis ſuper peccato hoc. Feceruntq́ue ſic filij tranſmigrationis.

HIS ferè verbis (nam quæ ſequuntur,catalogum cõtinent eorum,qui hoc ſcelere infecti erãt)clauditur & præſens caput, & primus iſte Eſræ liber. Cæterum quum quæ hîc ad inſtructionem veſtram dicenda eſſent,antea per partes ferè delibauimus,nõ ero in his minutatim perſequendis prolixior. Principiò,vt Iudaicum vulgus magiſtratuum edicto tam cupidè paruiſſe minus miremur,multa facit,& ſupplicij interminatio. Metuunt exui facultatibus: nollent à ciuium ſocietate relegari. Neque ſanè video,quid ille ſibi cum Deo eiuſque populo communionis prætendit, qui ſpiritalem & eccleſiaſticam cenſuram non magis horret, quàm quæ à legibus impẽdet. Noſter porrò Eſras,Chriſtus ita in commune omnes affatur: Dico vobis,ſi non pœnitentiam habue „ *Luc.13*
ritis,omnes ſimiliter peribitis. Alio loco A- „
poſtolos ad hunc modum: Niſi conuerſi fue „ *Mat.18*
ritis,& efficiamini ſicut paruuli,non intra- „
bitis in regnum cœlorum. Iam Pauli, tan- „
quam præconis voce tale edictum omnibus propoſuit: Quicunque opera carnis agunt, „
regnum Dei non conſequentur, Galat.5. „
morte ſunt digni,Rom.1. & vt eſt in Apo- „ *Apoc.21*
calypſi,pars eorũ erit in ſtagno ardenti igne „
& ſulfure, quod eſt mors ſecunda. An iſta „
minus apud nos ponderis habere debeant, quò citius pareamus,quàm illa vmbratica?

Con-

Conuenerunt,inquit, oés viri Iuda & Beniamin in Ieruſalem. At quo anni tempore? Nono,inquit, menſe, viceſima die menſis: atque is menſis in noſtrum caderet vel Decembrem, vel Ianuarium: iniquiſſimo nimirum tempore. Idque non parum arguit populi huius alacritatē, quòd neq; frigoris aſperitate, neque vlla hyemis inclementia impediri ſe paſſi ſunt,quò minus ad præſcriptum adeſſent. Quid porrò Hieroſolymam quum veniſſent,fecerunt? Sederunt in platea domus Dei trementes. Tremoris verò geminam aſſignat cauſam: alteram ſpiritalem,alterā ſecundum naturam. Tremebāt, quòd frigore rigerēt,& madidi eſſent à pluuia. Neq; hoc ſolùm, ſed peccati etiā cauſa ringebantur. Immo quò plus cœli intemperiem ſentirent, eò præſentius peccati ſui horrore afficiuntur: rati tempeſtatē illam non ob aliud,quàm in diuinæ iræ ac vltionis manifeſtum indicium,à Deo immitti. Ita vt & inteſtino illo metu multò acerbius quàm vllo algoris ſenſu affligerētur: & ediuerſo quò intus magis torquerētur,eò amplius frigoris etiam iniuriam,formidine videlicet internum calorem diſſipante,ſuſtinere cogebantur. Sed peccati conſcientia facile aduerſus externum rigorem patientiam ſuppetebat. Etiam hinc liquet,quantopere iſti peccatum ſuum auerſarentur, &

ad

ad Dei gratiam aſpiraret, qui quum ſub te-
ctis imbrem effugere potuiſſent, maluerunt
in platea domus Dei magiſtratus ſententiã
exſpectare. Et ſanè habes alterũ diuini ti-
moris efficax argumentum. Nam quiſquis
non nomine tantùm Chriſtianus eſt, nunq̃
peccatorum memoriã, tum etiam diuinorũ
iudiciorum timorẽ ab animo remittit: ma-
ximè quum præſentius periculum à cœli &
elementorum cõminatione pertimeſcit: vt
fit in tempeſtatib., inundationib., ventorũ
ꝓcellis, vel dum nimia ſiccitate, aut frigore
agri vruntur, vel madore langueſcunt. Non
dubitat hæc irati Dei eſſe præſagia, & quaſi
prænuncia eorum quæ ſequẽtur malorum.
Et ſunt enimuero: tametſi non omnes hoc
intelligunt, pauciores attendunt. Immo ve-
reor, ne multis accidat, quod olim Ægy-
ptiis, qui quò grauioribus indies plagis ad
reſipiſcentiam vrgerentur, hòc magis effera
bantur. Iam quid tandẽ Eſras poſt tam lon
gum actũ cum ſuis ſermocinatus eſt, repeta
mus. Vos tranſgreſſi eſtis, & duxiſtis vxores
alienigenas. &c. Ab hoc exordio pœniten-
tiæ prædicationem ingreditur. Et primò
tranſgreſſionis eos arguit: idq; pro verborũ
paucitate, ſatis ſignificãter. Vos Dei, inquit,
mandatum ſcelere cõmaculaſtis, & per hoc
rebelles eſtis. Deinde nõ tacet, quidnam id
ſit quo Deum offenderunt. Quod quũ per

ſe eſt grauiſſimũ,tamen quum ad veterá pec
cata id adieciſtis, vtrinque cumulus acceſ-
ſione augeſcit: & vulnera illa,quę necdum
bene obducta erant,nunc eò peius recrude-
ſcunt. Et hoc primo loco ad pœnitentiam
requiritur, vt criminum magnitudinẽ per-
ſpectam habeamus. Sed non hîc conſiſten-
dum. Nunc,inqt,date confeſſionẽ Domino
Deo patrum veſtrorum. Penè,etiam verbis
Ioſue.7 ipſis,idem dicit cum Ioſue: quum ille Achã
ad furti confeſſionẽ his dictis extimularet:
» Fili mi, da gloriam Domino Deo Iſraël, &
» cõfitere,atq; indica mihi quid feceris. Date
confeſſionẽ, vt vos nimirum iniuſtos,& pœ
nam meritos,Deum verò iuſtum & miſeri-
cordem fateamini: vltro vobis ipſi compe-
des innectite. At cui? Nõ homini: ſed Dño.
Inſolenti forſan: immo Domino Deo. Neq;
à vobis alieno: nam Deo patrum veſtrorũ.
Videte quàm non frigidè pœnitentiam illis
inculcet. Sed adhuc aliud eſt: Facite placi-
tum eius. In hoc totius rei cardo vertitur:
modò quod ſequitur,adiunxeris: Et ſepara
mini à populis terræ & ab vxoribus alieni-
genis. Hæc duo,vitare malum,& virtutẽ ſe-
ctari, tam arctè mutuò inhærent, vt vnum
Eſa.1. ſine altero ſubſiſtere nõ queat. Quid Eſaias?
Quieſcite agere puerſe,diſcite benefacere.
Pſ.33. » Et Pſalmographus: Declina à malo, & fac.
bonum. Quid prodeſt,ſi te virtutis candi-
da-

datum oſtendis, niſi te à vitiis auulſeris?
Contrà, quid nil peccaſſe profuerit, quum
non coronatur niſi qui legitimè certauerit? 2.Tim.2
Hæc Eſraicæ prædicationis ſumma. Si ad
Eccleſiam, quæ nobis Eſræ loco eſt, reſpici-
mus, eandem methodum & ipſa proponit.
Quòd ſi nõ ſtultè ac incaſſum pœnitere, pec
cata inducere, ac diuinã vltionem effugere
voluerimus, inprimis neceſſe eſt vt nos verè
impietatis damnemus, & noſtrã malitiam
cum ipſius bonitate cõparantes, nobis igno
miniam, illi gloriam aſſcribamus, miſericor
diis eius multis tribuẽtes, quòd iampridem Thr.3.
conſumpti nõ ſumus. Deinde nos ad ipſius
omnino voluntatem & præſcripta compa-
rare debemus, vt & hæc obſeruare, & quic-
quid de nobis ſtatuerit cupidè amplecti, pa
rati ſimus. Et quod vnum tunc reſtat, à po-
pulis terræ ſecedere debemus: vt implea-
mus illud Pauli: Nolite conformari huic ſæ „ Ro.12
culo: aut quemadmodum eſt apud Ioannẽ, 1.Ioan.2
Nolite diligere mundum, neque ea quæ in „
mundo ſunt. Præcipuè verò ab vxorib. alie „
nigenis. Quid verò neceſſe eſt hîc allegoriã
captare? Mittamus figuram, & rem ipſam
teneamus. Quis hodie fornicationẽ & ſtu-
prum pro peccato habet? Chriſti regnum
tamen hæc non agnoſcit. Certe D. Paulus 1.Cor.5.
etiam anathemate eos feriendos duxit. Nec
eſt quòd quiſquam vel libertatem, vel vſtio-
nem

nem,vel ætatem,vel quicquid illud ſit,prę-
1.Cor.6. tendat. Paulus abſque diſcrimine fornica-
Ephe.5. rios ad regnum Dei negat pertinere: immo alio loco ne nomen quidē fornicationis inter Chriſtianos ſuſtinet audiri. Sed vtinam hij ſoli negocium Eccleſiæ faceſſerēt,& fœdiſſimis adulteriis non paſſim conſpurcaretur. Quod ſanè vitium Eccleſiæ tam eſt pu
Leuit.20 dendum,vt non Iudæi modò ex pręſcripto legis,verumetiam Ethnicorū plærique,qui naturam pro lege ſequebantur, morte plectendum cenſuerunt. Has igitur alienigenas fœminas quum reiecerimus,erit allegoriæ locus, vt quicquid carnem ſapit, lubricitatem ac proteruiam, in dictis, factis, cogitatibus, geſtibus ac moribus, allophylarum loco longum valere iubeamus. Adde & ea omnia, quæ quouis nomine nos ſibi intantum deuincta habent,vt in iis plus voluptatis,quàm in Deo cōſtituamus: vt ſunt ſuperbia,ambitio,auaritia,comeſſatio,& id genus alia. Quanquam nihil prohibet hoc tropo omnia ea compræhendi, quæ à Deo & virtute nos abducunt, ſibiq; aſtringunt. Quibus omnib.niſi nuncium remiſerimus, fruſtra nos pœnitentiam noſtram Deo probaturos ſperamus. Sed vt aliquando finem imponamus, quid poſſet vtilius optari, immo quid maioribus ſtudiis à Deo cōtendere debemus,quàm vt animi promptitudine

in vitæ correctione cum hoc populo paria faciamus? Iuxta verbum tuum ad nos, ſic fiat; aiunt illi. non vnus atque alter, quibus erat zelus feruentior: ſed vniuerſa multitudo. Et quoniam res impeditior erat, quàm vt tunc ad finem perduci poſſet: petunt rem certis iudicibus ac ſenioribus delegari, qui per ſingulas ciuitates exequendam curarent. Quod & factum eſt. O felices nos, & verè beatos, ſi hoc animo omnes eſſemus, vt nihil in nobis eſſe pateremur, quod eſt à Dei voluntate alienum. Sancte Deus, quàm ſolidũ pareremus Eccleſię gaudium? qua nos animi ſerenitate ad ſacroſancta myſteria accedere poſſemus? quanto cum fructu dominicam paſſionem audire? quàm lætum ac feſtiuum paſcha peragere? Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis. Pſal. 67
Sit gratia DEI cum omnib. nobis.

AMEN.

¶ Finis enarrationum in primum librum Eſræ.

Quæ ſequuntur in Quadrageſimæ progreſſu, in hiſtoriam de muliere peccatrice, Luc. 7. eodem Anno Moguntiæ ſunt prædicata.

De Euãgelica peccatrice.

DOMINICA PALMARVM, SERMO PRIMVS.

Luc.7. *Rogabat autem illum quidam de Phariſæis, vt manducaret cum illo. Et ingreſſus domum Phariſæi, diſcubuit. Et ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quòd Ieſus accubuit in domo Phariſæi, attulit alabaſtrũ vnguenti: & ſtans retro, ſecus pedes eius, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius, & vnguento vngebat. Videns autẽ Phariſæus qui vocauerat eum, ait intra ſe, dicens: Hic ſi eſſet Propheta, ſciret vtique quæ & qualis eſt mulier quæ tangit eum, quia peccatrix eſt. Et reſpondens Ieſus dixit ad illum: Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magiſter, dic. Duo debitores erãt cuidam fœneratori: vnus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis vnde redderent: donauit vtriſque. Quis ergo eum plus diligit? Et reſpondens Simon, dixit: Æſtimo,*

quia

quia is cui plus donauit. At ille dixit ei: Rectè iudicaſti. Et conuerſus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis nō dediſti: hæc autē lachrymis rigauit pedes meos, & capillis ſuis terſit. Oſculum mihi non dediſti: hæc autem ex quo intraui, non ceſſauit oſculari pedes meos. Oleo caput meum nō vnxiſti: hæc autem vnguento vnxit pedes meos. Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata. Et cœperunt qui ſimul accumbebant, dicere intra ſe: Quis eſt hic, qui etiam peccata dimittit? Dixit autem ad mulierem: Fides tua te ſaluam fecit: vade in pace.

ETſi Eccleſiæ id nunc maximè propoſitum eſſe nó ignoramus, Chariſſimi fratres, vt ad memoriam dominicæ paſſionis, quæ ex Matthæo hodie legi cœpta eſt, rite pertractandam ſtudium omne conuertat: quum ipſe Chriſtus verum agnum paſchalem ſe declarauit, vt qui hodie, quinto nimirum die ante paſſionē, ex præſcripto legis, immolationi ſe deſtinarit (nam præce-

Exo.12. perat Moſes,vt qui agnus in ſolenni die Paſchæ immolãdus eſſet,quinto die antè à matre auelleretur,vt illum deſtinatũ eſſe ignorare nemo poſſet) eaq́; de cauſa congruum erat,vt cæteris omnibus omiſſis,orationem nos quoq; noſtram ad huius agni immolationem,& noſtrę ſalutis propugnationẽ,accommodaremus: tamen quum initio Quadrageſimæ fidẽ meam vobis obſtrinxerim, fore vt hanc noſtrã qualemcunq; de pœnitentia inſtitutionẽ,Euangelicę illius,ex Luca,peccatricis hiſtoria,ſecundę menſæ loco, terminarem: quod prius nõ licuit,Eſra,expectatione diutius nos remorante (quanq̃ & illum ſub finẽ abrupimus) nunc tandem certum eſt aggredi,ne falſis promiſſis inanẽ gratiam videar captaſſe. Quanq̃ nõ deſunt multæ,eæq́ue graues rationes,quàs conſilio meo prætendam. Inprimis hũc noſtrum de pœnitentia ſermonem hac ratione optimè confirmaro,ſi non vnum tantũ exemplum, ſed geminũ idq́; non ex vno teſtamento,in medium adduxero. Deinde vt nõ minis tantùm,& horridiori illa in ſpeciem hiſtoria, verumetiam ampliſſimis promiſſis: quò nõ coactam, ſed voluntariam correctionẽ inſtituatis: ad pœnitentiã vos inflammem. Permulta ex Eſra de pœnitentia & audiuimus & diximus: quid in primis illa ſit,quæ eius partes,quopacto eã in ſe Eſras ipſe expreſ-

ſit

ſit,quibus artibus populo inſinuauit,quib⁹
deniq; animis ab illo ſuſcepta. Hæc inquam
omnia quum latè perſequuti ſum⁹,interim
ſtudium ſuum illi Domino ꝓbarint,nec ne,
nōdum audiuimus. Multam ibi diligētiam,
multū curæ depræhendas: ſed pollicitationis
nihil. Iuramentū interponunt,ſe quod
cómiſiſſent reſciſſuros: immo niſi fortunarum
omniū depopulationē ſuſtinere velint
& municipale ius amittere, pœnitētiam ad
edicti formam amplecti coguntur. Verùm
enimuero quomodo poteſt non triſtis eſſe
pœnitentia,quę ita exigitur,vt nullis ꝓmiſſis
fulciatur? Aut quomodo eam pœnitentiæ
vocabulo rite dignaberis, quam minis,
multa,& ſupplicio extorques? Deus certe
iis officiis non capitur, quæ ex triſtitia aut *2.Cor.9.*
neceſſitate ſoluuntur. Nec eorum hominū
præconiis delinitur,qui eum labiis,corde in *Eſa.29.*
terim aliud agentes,honorant. Quare ad veram
pœnitentiam requiritur,vt peccata,nō
tam metu,quàm præclara quadā voluntate
auerſemur,caſtigemusq́;. Eoq́; nomine neceſſe
eſt,vt hanc quoque hiſtoriam cum illa
Eſraica non abſurdè copulemus. In hac vltronea
omnia: non obſtrepunt minæ: ſed
cuncta plena conſolationis, & indubitatæ
fidei. Immo quid fingi poteſt,quod peccatori
ſolatio maiori eſſe queat? Neq; alibi facile
tantum in Chriſto humanitatis (vt ita
O ij di-

dicam) reperias: qui abſolutioné ipſe per ſe mulieri impendet. Quæ oĩa eiuſmodi ſunt, vt niſi planè illiberali animo ſumus, ſtudiũ in nobis adeoq́; impetum excitare poſſunt: quò iam non formidine pœnæ, ſed DEI ac pietatis amore vitiis renunciemus, obluctemurq́; : vt & de nobis verè dici queat: dimiſ„ ſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit „ multum. Et hæc mihi vel præcipua cauſa eſt, quare Quadrageſimalem hanc noſtram prædicationẽ hac nunc hiſtoria claudere decreuerim. Sed neq; quæ ſequuntur, parum iuſti ponderis habere videntur. Vltima hęc Quadrageſimæ hebdomada peculiares ſuas admonitiones expoſcere videtur, idq́; quadrifariàm. Primò, ne ob id ſtatim pœnitentię ſtudium deponamus, quòd eam Eccleſiaſtæ inculcare deſierint: ſed eadẽ animi alacritate in eo perſeuerare contendamus. Deinde vt ad ſacram ſynaxin qua decet pietate ac religione nos præparemus, ne alio animi cultu ibi appareamus, q̃ illud cõuiuium requirit. Tertiò vt Chriſto capiti noſtro, tanquam nõ ſtupida membra, vero doloris ſenſu compatiamur. Poſtremò vt ita illi cõmoriamur, quò & reſurrectionis eius fructũ & gaudia percipere mereamur. Hæc verò quæ dixi, aptiſſimè præſentis hiſtoriæ tractatiõe memoriæ repræſentantur. Nam ſi eam tecum diligenter, & per partes excuſſeris, inue-

uenies pœnitentiam, aut vehemẽter ſeriam eſſe debere,aut admodum diuturnã.Deinde quantum ſtudij in Chriſtum conferre debe mus,priuſquã eum ad nos diuertentẽ pectoris hoſpitio dignè excipiamus.Tertiò quam nobis luctus ac plangẽdi cauſam in eius paſſione potiſſimũ ſumere debeamus. Quartò qd nobis ſolidi gaudij ab eius reſurrectione ſit partum.Quæ quum omnia ex vna hac hiſtoria nõ abſurdè petantur,poſſum eam nõ ineptè (ni fallor) in huius temporis angulũ contuliſſe videri. Certe bene nobiſcũ agetur,ſi pœnitentiam tam ſtudioſe arripimus vt nõ indignè ad dominicam cœnam accedamus: & ita nos paſſioni Chriſti cõformamus, vt in eius reſurrectione veraciter portionẽ habere mereamur. Sed de his ſingillatim tractabimus:& primùm de pœnitentię pſeuerãtia.Aptiſſimo ſanè exẽplo,in quo & feruor cõmendatur,& quę peccatori ſolatio eſſe queant,nõ omittuntur. Vtrunq; vt perinde neceſſarium, ita ad imponendũ tractationi noſtræ finem accommodatiſſimum. Eſras quidem præclara cõtinet promptitudinis ac feruoris exempla,ſed quę nos ſolentur non ita. Hic habes vtrunq;: ſummũ feruorem in peccatrice,plurimum conſolationis in Chriſto. Vt dubitare poſſis,commendetúrne hoc exẽplo magis mulieris affectio, an Chriſti miſericordia . Non poterat illa

 de-

demiſſius ac humilius ſe gerere: vix potuit Chriſtus humaniorem ſe & popularem magis exhibere. Video ſummã miſeriam cum ſumma miſericordia coniunctam. Et certe aptiſſimè hęc ſe mutuò cõſequuntur. Quid ſiquidem tam neceſſarium peccatori, quàm miſeratio Dei? Et quam aſſignabimus miſerationibus diuinis aptiorem materiam, q̃ peccatoris miſeriam? Quòd ſi vtriuſq; conuenientię, quopacto videlicet peccatori neceſſaria eſt Dei miſericordia, & quis ſtruendus ad eam aditus: deinde quàm illa peccatori ſit prompta, & quaſi propria: certum argumentum deſideras, agè, hiſtoriam hanc explicemus. Ecce, inquit Lucas, mulier erat
» in ciuitate peccatrix: Quæ quum audiſſet,
» quòd Ieſus accubuit in domũ Phariſæi, at-
» tulit alabaſtrum vnguenti: & ſtans retro, ſe-
» cus pedes eius, lachrymis cœpit rigare pedes
» eius, & capillis capitis ſui tergebat: & oſcu-
» labatur pedes eius, & vnguento vngebat.
Audis quæ pietatis officia in Chriſtum cõtulerit. Non multa ſunt verba, ſed habent ſententiæ plurimum: immo vix eſt vllum, quod non in animo ſeduli lectoris periodũ perficiat. Ecce, inquit. Nimirum attentionem requirit, vt rem tantam non obiter audiamus. Ecce, inquit, peccatrix. Quibus verbis quid aliud innuit, quàm vt cogitationẽ noſtram à Phariſæo, qui quòd conuiuator

erat,potiores partes gerere videretur,ad mulierem abducat? Vocarat quidem ille Chriſtum ad conuiuium,incertũ tamen bonóne animo,an malo. Nam & aliàs ab eiuſdem farinæ hominibus inuitatus erat,vt eum conſuetudinis fiducia popularius agentem obliquè obſeruarẽt. Illud ſanè in confeſſo eſt, nõ optimè hũc de Chriſto ſenſiſſe,qui eius authoritatem apud ſe tam facile in dubium vocabat. Hic,inquit,ſi eſſet propheta,ſciret „ vtique quæ & qualis eſt mulier quæ tangit „ eum. Quum Chriſtũ necdum pro propheta certò habet,quid illi præterea tribuiſſe putatis? Ad hoc ex ipſius Chriſti verbis ſatis liquet,quàm parum honorificè ab eo fuerat ſuſceptus. Nam niſi in more tunc fuiſſet honoratiores eiuſcemodi officiis ꝓſequi,haud quaquã ea cõmemoratiõe,& illam laudare, & hunc perſtringere voluiſſet. Immo quum addit: quia peccatrix eſt: nónne phariſaicũ illum faſtũ ſatis prodit,vt videatur eam calcibus repulſurus fuiſſe, ſi in eum fortè incidiſſet? Iam quid hypocriticũ ac phariſaicũ magis,quàm quòd peccator peccatori inſultat: immo quòd pœnitens à cõtumaci proſcinditur? Ex quibus omnibus ſatis clarum eſſe arbitror,ne huius quidẽ Simonis candidum fuiſſe animũ,in eo quòd Chriſtum inuitauit. Sed hoc non perſequimur. Nihil nobis cum phariſæo,qui Euangeliſtæ ne di-

Luc.14.

gnus quidem fuiſſet cõmemorari, niſi iſtius mulieris occaſione. Chriſtus ipſe animum ad mulierẽ adiecit, ad phariſæum minimè. Enimuero Eccleſia in ſacro Hymno ita ca-
» nit: A Phariſæo inuitatus, Mariæ ferculis
» ſaturatus. Quæ tandem illa fercula fuerũt? & quod nomen mulieri? Lucas eam ex nomine neutiq̃ deſignat, ſed peccatricẽ vocat:
Rom. 3. non ita peccatricem, vt Paulus hoc nomen in omnes competere affirmat: ſed quæ eſſet in ciuitate peccatrix, hoc nomine videlicet apud omnes iam celebris & famoſa: & quę non ſolùm apud Deum puritatis titulum amiſiſſet, ſed quæ, inſtar Laidis illius Corinthiæ, publicitus pro inhoneſta haberetur. Sed quid cauſæ eſſe putatis, quur non & nomen adiicit, quò illuſtrius eſſet exemplum: niſi quòd ſuo exemplo nullius nomen traduci, exiſtimationem defigi, ſtudet? aliter ſanè quàm nunc moris eſt, qui in referendo eam partẽ orationis diligentiſſimè exequimur, vt inuidentiam noſtrã in authoris potiſſimum nomen ac deſcriptionem exoneremus. Lucas, exempli cauſa, flagitij meminit, verùm de nomine ſilet: & tametſi id eũ non latuiſſe ſit veriſimile, diſſimulat tamẽ. Et hoc ſanè pacto de alienis vitiis, quando ratio vtilitatis conſtat, verecundè loqui debemus: vt in illa dumtaxat odio incurrere videamur: authores verò ipſos, quantũ res

patitur, ſubleuatos velim?. Exempli porrò vtilitatem ſpectauit Euangeliographus, vt peccatricem nominaret. Nam id agebat, vt quum tam vulgati nominis mulieré ad Chriſtum fidenter irrupiſſe, & tantam eius erga illam benignitatem, cæteri peccatores audiant, & ipſi quoq; nihil trepidét accedere. Quid fiduciæ malè ſibi de vita conſcio generet, quòd Virginem matré, Baptiſtam, Marthá, Apoſtolos, & plęroſq; alios vitæ integritate conſpicuos, Chriſto vſos familiariter fuiſſe audiat vel legat? Verùm quum illum eam humanitaté Mathæo, Zachæo, latroni in cruce, huic denique peccatrici præſtitiſſe cognoſcit, iam ſpei plenus erigitur hauddubiè, confirmaturq́ue. Sed quid fecerit expli cemus. Vt cognouit quia Ieſus accubuit in domo Phariſæi, corripit ſe intrò, nó pulſat oſtium, non rogat num liceat, immo ne cauſam quidé cur veniat ædit, ſed inſalutatis, immo & neglectis omnibus, biberetur, an ederetur minimè ſollicita, neq; de hoc anxia quis hoſpes, qui conuiuæ: ad Chriſtum vſque nullo pudore perrumpit. Veriſimile eſt, eius audaciam multorum aſpectibus ac ſermonibus fuiſſe taxatam, ſtupentium, tantùm impudentiæ in celebris viri ædibus deſignari. Sed hoc erat mortuum vellicare. Nam qui amoris, vel odij, vel etiam metus affectibus inardeſcit, nullius rei vel perſonę

cu-

cura, pudoréve tangitur, nihil moratur hominum iudicia, non mouetur difficultatib. aut periculis: dummodo optatæ rei ſecuritate animi ęſtum mitigare queat. Ad ipſum vbi peruenit, ad pedes aduoluitur, & tantã ſubitò lachrymarum vim profundit, vt ſatis illi ad abluendos pedes aquæ eſſet. &c̃. Præ acerbitatis, qua de vitę ſuę turpitudine cruciabatur: præ amoris ac fidei, quibus Chriſtũ iam vt verè Deum amplectebatur: præ deſiderij quoq;, vt flagitiorum tantorũ gratiam obtineret, magnitudine, quid primùm faciat, quomodo animi ſenſum exprimat, ipſa ſecum certare videtur. Interim verbum nullum emittit: neq; id opus erat apud eum, cui omne cor patet & omnis voluntas loquitur. Hæc ipſa doloris ſigna ſatis diſertè loquuntur, quid animus dictet: nimirum Chriſto. Nam ſiue nuda opera ſint, ſiue cogitata tantùm, ſunt illi vocalia: vt
Exo. 14. quũ olim Moſi diceret, Quid clamas ad me? quum vir ille pius animo alioqui tam anxio & occupato eſſet, vt vocẽ nullam edere potuiſſet. Veruntamen ille curarum æſtus, illa iactatio animi tantæ efficaciæ erant apud Deum, ac ſi vocem maximè intendiſſet. Idẽ & huic mulieri accidit. Sed iam, chariſſimi, hanc mulierem nobis in exemplum trahamus, & quam ipſa pœnitentiam ſuo facto ſtatuerit, videamus. Primùm exploratæ fi-

dei erat, quòd ad animi fluctuationem perducta perfugium nuſquam quærit quàm in Chriſto, languenti animę medelam aliunde non petit q̃ à Chriſto. Magnam de Chriſto opinionem habuerit neceſſe eſt: vt nõ Prophetam eum tantùm, quómodo à Pharisęo circumſcribitur, verùm ipſum Meſſiam, adeoq; filium Dei eſſe certò crediderit. Vnde eam habuerit? Nempe ex iis, quę de Chriſto cognouerat. Nam fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti. Secundo loco „ tantam vehementiam miramur, vt quę nullam moram admiſerit, non tantiſper exſpectarit, donec à menſa ſurrexiſſet, & honeſtiorem pudori locũ nacta eſſet. Iam quantę humilitatis eſt, quòd illi frontem præbere non audet, ſed ponè conſiſtit, primumque pedes præhenſat? Quartò, quis neget illud pectus incredibili dolore maceratum fuiſſe, quod vno quaſi imbre tantum lachrymarũ potuerit effundere? Adhæc flagrantiſſimi amoris indicium eſt, quòd in diſſuauiandis, vngendisque pedibus tam multam ac prolixam operam impendet. Sextò, voluntatẽ iam cõfirmatam arguit, quòd quibus antea inſtrumẽtis vſa eſt ad hominũ animos illaqueandos, ad formæ gratiam, iis nunc Chriſto lenocinetur, ſeruiatq;. Poſtremò, indefatigati animi eſt, quòd in incœpto perduret, neque, niſi perfecta re, quàm gratiam ac ab-

Rom.10

abſolutionem impetraſſet, prius cõquieuit. Habetis abſolutiſſimæ, atque ardentiſſimæ pœnitẽtiæ formam. Quam noſtram pœnitentiam dixerim, ad hanc collatã? Peccaui fateor in te Domine, ſed idem filium tuum pro me paſſum, & vitam mihi ſua morte attuliſſet credo ac teneo. Hæc, aut his ſimilia ſi ſemel (nõ refert quo ardore) dixerimus, nihil reſtat quod agamus: & iam tam ſecuri ſumus, vt neque dictis, neq; factis, neq; vllo exteriori geſtu, vel tantillum fidei, ſtudij, humilitatis, mœroris, amoris, firmitatis, patientiæ, quæ illa gradatim expreſſit, referre curemus: ſed ſola fide (vt videtur) ſubnixi, nihil nobis curę eſt abſolutionẽ à Christo cõſequamur, nec ne. Sed Hieremiã audiamus:
Hier. 8. „ Nunquid qui cadit nõ reſurgit, & qui auer-
„ ſus eſt non reuertetur? Quare ergo populus
„ iſte auerſus eſt in Ieruſalẽ auerſione conten
„ tioſa? Apprehenderunt mendacium, & no
„ luerũt reuerti. Attendi, & auſcultaui, nemo
„ quod bonum eſt, loquitur. Nullus eſt qui
„ agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo, dicẽs,
„ quid feci? Omnes conuerſi ſunt ad curſum
„ ſuum, quaſi equus impetu vadens in præ-
„ lium. &c. Vel hinc quid Dominus ab iis, q ſe pœnitere profitẽtur, exigat, facilè eſt intelligere. Proinde neceſſe eſt, vt eadem via qua mulier illa præceſſit, ſequamur. Sed quãdo quod in nobis eſt præſtamus, par eſt

vt

vt ſpem ac fiduciam retineamus. Hanc autẽ Chriſtus nobis eodem exemplo ingenerat: vt quantum illa ad ſedulitatem nos vocat, tantum ille nobis ſpei fiduciæq́; prętendat. Id quod partium enumeratione liquebit. Primò quod peccatricẽ hanc non dedignatur admittere. Secundò, quòd acceptum illi eſt, quicquid illa variis affectionum paſſionibus ſtimulata, ſtudij operæq́; accumulat. Tertiò, quòd non modò grata hæc illi ſunt, ſed iactat etiam apud ſupercilioſos: & potiora ducit, quàm quæ illi Phariſæus impendit. Deinde, quòd eam patrocinio etiã ſuo ſubleuandam defendendamq́; ſuſcepit. Adhæc quòd illi criminum gratiam impartit. Sextò, quòd nec hoc contentus, palàm eam abſoluit, & bono animo eſſe iubet. Poſtremò quòd in pace dimittit. Hæc ad conſolationẽ & fiduciam ex hac hiſtoria habemus. Neque addubitare debemus, nos eandem in Chriſto facilitatem benignitatemq́; reperturos, modò pœnitẽtiam verè, & quo decet feruore & affectu fuerimus amplexi. Et qđ demum auditu nobis poteſt eſſe iucundius? Quem tanta Chriſti erga non ſimplicẽ pęccatricem pietas indulgentiaq́; non permoueat? Quare ſi nõ titulo tantùm Chriſtiani ſumus, agitè fratres, tanto bono fruamur, exemploque inſtemus. Adeamus cum fiducia ad thronũ gratiæ eius, vt miſericordiam „ *Heb.4.*

con-

conſequamur,& gratiam inueniamus in au
Eſa.55. „ xilio opportuno. Quæramus Dominũ dum
„ inueniri poteſt, inuocemus eum dum propè eſt. Neminem mundus à propoſito tam ſalutari abducat: neminẽ moleſtia, aut metus abſterreat. Si nos cor quale decet attulerimus, minimè per Chriſtum ſtabit vt repulſam patiamur. Gratia Dei cum omnibus nobis. Amen.

Feria quarta poſt Dominicam Palmarum, Sermo secundus.

Pſal.94. „ Hodie ſi vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda veſtra. &c̃. Proxima, quæ elapſa eſt Dominica, Chriſti in vrbẽ
Mat.21. Hieroſolymam triumphalem ingreſſum, qui fuit quinto ante paſſionem die, ita nobis ad memoriam reducere ac repræſentare curauit Eccleſia, vt aliquid plus q̃ eius pompæ ſpectatores fuerimus: craſtino verò die, cœnæ illius, quam ſupremã hîc in terris cum Apoſtolis celebrauit, memoriam tam propè eadem inſtaurat, vt nemo ſit, modò velit, q ab eadem menſa non bene paſtus recedat. Et vtrunque monumẽtum ſuo diei tam illuſtre eſt & perhoneſtum, vt ex hoc nominibus inditis, ille Palmarũ, hic Cœna Domini per vniuerſum orbem Chri
ſtia-

ſtianum vocetur. Quantum vero ex vtroq; gloria & magnificentia Chriſti illuſtretur, paucis declarabimus. Enimuero in ea pōpa nō tam apparuit triumphator ſplendidus, quàm in cœna conuiuator dapſilis. Sed longè aliter vtrunque, quàm huius æui principes vulgò ſolent. Illi nanque quoties populis, exteris maximè, oſtentare ſe volunt, vel inſignē aliquam pompam quā in vrbes inuehantur inſtruunt, vel opipara conuiuia, aliquot menſium opus, genialiter parant. Sed quę illorū pompæ plærunq; nihil aliud ſunt, quàm ſtulta quædam & inanis oſtentatio: qua non rarò & ſe & ſuos miſerè exhauriunt, certè non mediocriter affligunt. Idem de epulationib. illis dixeris, in quibus ferè tantum æris perditur, quantum impenditur. Vt ne dicam, quòd eiuſmodi iſta ſunt, vt nō inſulſis ſubditis, lachrymas citius expreſſerint, quàm riſum. At Chriſtus nō ita. In eius pompa nihil erat quod faſtum redoleret, quemadmodum nec in cœna luxum. Vtrobiq; nihil, quàm quod nobis cōmodo eſſe queat, ſpectatum eſt. Quo nomine mirū nō eſt, quòd Eccleſia iam inde tantum ſibi gaudij in his rebus collocatum putauit, putatque adhuc hodie, neque vnquam putare deſinet. Quis frontem non explicet, quum audiat Chriſtum tam celebri pompa ad nos regio honore veniſſe, manſuetum tamen & hu-

humilem? Quam eius humanitatem ſi amplectitur, quomodo non illā exoſculabitur, quam nobis in cœna præſtitit infinitis partibus maiorem? Ad illud qdem ſpectaculū vniuerſa Hieroſolymorū plæbs effuſa ruit: & iam ipſa pars pompæ facta, fauſtis acclamationibus deducunt euntem, occinuntq; illud regium, Oſianna filio Dauid. Ad iſtud verò nos minimè deſides eſſe oportet: nimirum animis illi atq; affectibus occurrentes. Illud eſſe iam deſiit: iſtud nunc etiam viget. Hieroſolyma ſemel eſt inuectus: at nō ceſſat quotidie ad iſtum modum cū ſuis epu-
Mat.26. lari. Hoc facite, inquit, in meam commemo
» rationē. Huc, chariſſimi, tendebamus. Nam illud eſt cras ocium ac negocium noſtrum, vt nedum illius cōuiuij memoriam, verumetiam illud ipſum, hoc eſt rem ipſam renouemus, & ob oculos ponamus. Omnes enim ad regias ac pontificias illas epulas vocati ſumus, & vocamur. Quò etiam pertinet hodiernus ſermo: primùm, vt quaſi pro nomenclatore eſſem, qui ſingulos nominatim inuitarē. Deinde, vt rudioribus animi formator adeſſem, ne ad regiam menſam parum honeſtè ac reuerenter adirent. Tertiò, vt ſomnolentos inertesq; excirē, ne tanti boni occaſionē negligendo prętermittāt. Poſtremò vt ocioſis religionem curamque iniicerem,
1.Cor.11. ne dum indignè manducant, ſuique ſecuri,
iu-

iudicium ſibi manducent & bibant,fiantq; rei Dominici corporis & ſanguinis.Habetis ſcopum noſtrum: quem mihi non modica cōmunis vtilitatis,immo & neceſſitatis con ſideratione ꝓpoſui. Nam quàm multos inuenias, qui quòd animo ſunt egentiori ac puſillo,non audeant,niſi de Dei in nos eximia benignitate cōfirmati, ad hanc gratuitam cœnā accedere? Contrà inuenias alios, omnium rerum tam ſtultè craſſéq; ſecuros, vt quid Deo,quid ſibiipſis debeant,ne cogitent quidem: his nimirum pædagogo opus eſt. Iam aliqui (vtinam & non multi) tam temerarij ſunt & cōfidentes, vt tametſi ſua ipſorum conſcientia apertè reuocante,atteſtanteq;,quòd partem cùm in Deo, tum in Chriſto non habeant: ingerant ſe tamen filiis Dei, & viſceratione communicent. His eſt monitor adhibendus. Eſt & aliud genus ſupinorum,qui tamen negligendi nō ſunt: qui & curam quidem & religionem habēt, quæ tamen hîc partes ab ipſis requiruntur, non ita cognoſcunt. His omnibus cupiam libēs mederi. Non quòd ſingulis immorari, ac definitè perſequi oīa velim (quod multorum dierū eſſet opus: immo quod ne neceſſarium quidem autumo,quum ſuperioribus annis de his ſingillatim,crebro,& multis,nec indiligenter,vt arbitror,diſſeruerim: quorum recentē eſſe adhuc apud nōnullos

memoriã nõ ambigo) ſed pſequẽs illud Da
uidis,qđ thematis loco mihi initiò ꝓpoſui,
deinde & peccatricis illius hiſtoriã,qua no
ſtræ de pœnitẽtia tractationi ſuperiori con
cione finem impoſui,ſed illam tamẽ necdũ
perfeci: obiter quaſi aſpergã,quo animo ad
hanc mẽſam accedere,qua gratitudine eius
memoriã percolere debeamus. Niſi me mea
fallit opinio,illa loca explicãdo id cõſeque
mur,vt & illa minimè intacta reliquiſſe vi-
deamur. Nemo tam craſſus,immo & impu-
dens eſt,qui,ſi Dauidem audire velit,mentẽ
non recipiat. Nemo tam rudis & ſupinus,ꝗ
huius peccatricis exemplo admonitus, non
videat quid ſequatur. Id vnum ſpectatur, vt
aĩum ad hæc aduertamus. Non deerit qđ di
catur,tantùm vt nos audiamꝰ. Sed ad rem.
Pſ. 94. „ Hodie (ait Dauid) ſi vocẽ Dñi audieritis,no
lite obdurare corda vr̃a. Quo themate quũ
primũ initio Quadrageſimę ad pœnitentię
pſuaſionẽ vſus fuerim: nunc ad ſacræ cõmu
nionis exhortationẽ libet repetere. Neq; id
inconſultò. Quum Seruator noſter nuſquã
ſibi non perſimilis eſt,tamen non inuenias
eum alibi cũ tanta erga nos pietatis ac be-
neuolentiæ ſignificatione diſſeruiſſe, q̃ ſub
hoc cœnæ tempus: q̃ Ioannes quinq; conti
nuis capitibus eſt pſecutus: in quibus quũ
pauca,q̃ ad hiſtoriã pertinent,attingit,tota
ferè in Chriſti ſermone cõſumit. In quo,ſi
ex-

excipias q̃ cum Iuda verba facit, nihil non lætum & amicũ. Illũ ſolùm durius accepit: ſed q ad menſam illam nõ ptinebat. Hoſtis erat,& inter amicos,amici ac familiaris pſo nam mentiebatur. Vnde mirum non eſt,ſi q̃ filiis ad conſolationẽ dicebantur,ipſe non caperet. Quare & ſe illo ſtatim exonerat. Quantò miſero homini ſatius erat,nunq̃ vi diſſe Chriſtum,immo ab ea menſa alienum Mat.26
fuiſſe,immo nunq̃ natum fuiſſe.Quomodo igitur in hunc fruſtra amica verba profunderet? Quanquã quid deſperato potuit prçſtare humanius, q̃ quòd tam multis, tamq́; grauibus verbis conſcientiam eius defigit, hoc eſt, à ſcelere deterret? Hæc quidem illi aures radebant,ſed corde nõ eſt motus.Sed miſſum illũ faciamus:nec in Iuda perdamus tempus.Interim neq; tempus,neq; operam perderet, qui occaſione illorũ verborũ quæ Chriſtus Iudæ dixit,illorum hominum veſaniam exagitaret,ſtuderetq; corrigere, qui Iudæ exemplo ad menſam Domini confidenter irrumpunt: nihil penſi habentes qd Chriſtus loquatur: ipſi ab ingenio non recedunt. Quæ quoniam non multa ſunt,in eorum gratiam non grauabor paucis ea perſtringere. Primò ait: Amẽ dico vobis,quia vnus veſtrum me traditurus eſt. Iam & hoc: Mat.26
Filius quidem hominis vadit,ſicut ſcriptũ »
eſt de illo: væ autem homini illi per quem »

Ioã.13 „ filius hominis tradetur: bonũ erat ei,ſi na„ tus non fuiſſet homo ille. Et: Quod facis, „ fac citius. Deinde in ipſo proditionis mo-
Lu.22 „ mẽto: Amice ad quid veniſti. Et illud: Iuda, oſculo filium hominis tradis? Quid horum non terribile? Quis hæc audiens non continuò inhorreſcit? Nihil tamẽ quod nõ aptiſſimè torqueas in eos,q ſacroſanctis illis myſteriis indignè participant. An iſti, dum amicitiam ſimulant, animo pluſquam hoſtes: dum Chriſtũ pacis ſymbolo, hoc eſt oſculo produnt, ad Iudæ exemplum nõ accedunt? Sed æternum illud væ audire coguntur: & quæ ſumma felicitas eſt, nouiſſe Chriſtum, erit illis infeliciſſimum. Vtinam quũ eam amentiam deſignant, animi illum teſtẽ intus loquentem audirẽt: Amice, ad quid veniſti? O homo, quid facis? vtri ſtruis? tibíne, an Deo? Sed hos cum ſuo Iuda, vt dixi, relegemus: ad pios redeat ſermocinatio: quæ ſanè cum his multiplex Chriſto fuit in hac cœna. Nam eorum gratia & illam inſtituit, & ne in deſuetudinem vnquã abiret mandauit: quantò iuſtius eſt, vt quæ ille tunc verba fecit, maximè quæ tãtæ rei ſacramentum continent, ſumma attentione, tum religione audire laborẽt. Qui enim illis Chriſti verbis aures animumq; ſedulò præſtant, ad rite cõmunicandum exuberantiori oratione non admodum egebunt. Principiò

videntur ipſi Euãgeliſtę, huic Chriſti in nos pietati, etiam orationis ſtudio diligẽter inſeruiiſſe: quũ, quàm poſſunt humaniſſimis verbis, eam nobis commendant. Quid hoc Ioannis exordio dulcius? Ante diem feſtum Paſchæ, ſciens IESVS quia venit hora eius, vt tranſeat ex hoc mundo ad Patrem: quũ dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Quibus verbis an non euidenter aſtruitur, nullam aliam cauſam prætendiſſe Chriſtum, omnium quæ tunc dixit, fecit, geſſit: q̃ perpetuum illum in ſuos amorem, quem ne tunc quidem interrupit? Et, ſuos, inquit: non Angelos, qui in tuto agebant: ſed homines, ſed miſeros, ſed nudatos omni præſidio, quos hic in terris legerat, & in poſterum adhuc lecturus eſſet. Quod (vt eſt apud Lucam) & ipſe amanter euidenterq́; expreſſit: Deſiderio, inquit, deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar. Quid enim, quum ait, vobiſcum: aliud ſignificat, quàm vt ſibi nobiſcum omnium rerum mutua intercederet communio? Id autem commodius efficaciusq́;, quàm per hoc ſacramentum, fieri nõ poteſt. Accipite (inquit) & comedite, hoc eſt corpus meũ. Et iterum: Accipite & bibite ex eo omnes, hic eſt ſanguis meus. Hoc igitur quaſi phyltro vnimur vtrinque, vt & ipſe virtute gratiaque commigret in nos, nos animo totoq́;

Ioan.13.

Luc.22.

Mat.26.

Ioan.6. affectu in ipſum. Quod apud Ioannem ita
„ affirmat: Qui manducat meam carnem, &
„ bibit meum ſanguinē, in me manet, & ego
in eo. Vis autem ſcire, quid ex hac felici copula
vtilitatis cōſequimur? Qui manducat
me, & ipſe viuet propter me: eodē loco ſubdit.
Quo apertè confirmamur, nos vitā non
aliunde habere, q̄ à Chriſto: conſequi verò
eodem ſacramento, hoc eſt medio, quo ille
I.Pet.I. nobis amiſſam comparauit. Iam non ſumus
„ redempti corruptibilib⁹, auro vel argento;
„ ſed ipſa carne, quā ꝑ nobis tradidit: & pre-
„ tioſo ſanguine agni illius immaculati, quē
„ ꝑ nobis largiſſimè effudit. Quare ſi vitam
parare, & in nobis alere volumus, neceſſe eſt
vt Chriſti corpori ac ſanguini communicemus:
idq; vel ſecundum affectū ſpiritaliter,
vel ſacramentaliter ſecundum ipſam rem.
Qui porrò eam à Chriſto parare ſibi negligunt,
aut his mediis non vtuntur, iam deſperatum
conclamatūq; eſt de eorū vita: immo
ſua illa peruerſa voluntate animę quaſi manus
intulerunt: & quum communem hanc
mortem effugere non poſſunt, iam quoque
ſuſtinent de æterna ſententiam, iuxta illud:
Ioan.3. Qui non credit, iam iudicatus eſt. At verò
quum certa perſuaſione cōfirmatum nobis
eſt, Chriſtum corpus ſuum ꝑ nobis in mortem
tradidiſſe, & ſanguinē effudiſſe: & hanc
eius erga patrē obedientiā, erga nos pietatē
ſpe

ſpe ac fiducia inuadimus,complectimurq́;
ſacris deinde myſteriis qua decet fide ac reli
gione participam⁹ :tum demũ verè ac ſpiri
taliter Chriſti corpus & ſanguinẽ in cibum
accipimus,idq́; cõſequimur,vt gemina con
iunctione, & vnum corpus & ſpiritus vnus
cum Deo ſimus.Quid autẽ homini in terris
hac coniunctione felicius, adeoq́; optatius
accidere poteſt?Quomodo vita noſtra & hîc
nõ optimè conſtituta,& ad immortalitatẽ
non bene munita erit,quũ illa in cibum ſu-
mimus,qbus vita non empta ſolùm,ſed (vt
ita dicam) eſt facta? Aut quid tandem plus
firmitatis & fidei apud nos mereri poteſt,
Chriſtũ ſeipſum,cum omni ea gratia & au-
thoritate quã ab æterno apud patrem obti
nuit,& ampliſſimis illis meritis, quę quum
in humanis ageret eſt conſecutus, amicitiæ
ergò in vſum noſtrũ ac poteſtatẽ cõtuliſſe:
quàm quòd vera de illo perſuaſione imbuti
germanũ ipſius corpus, veram carnẽ,verum
ſanguinem,vſitato more edendi ac bibendi
libamus? Quæ ſi cum grata memoria reco-
limus,principiò diuini erga nos amoris ma
gnitudinem addiſcimus. Deinde quantum
boni ac ſolatij hinc cõſequamur, manifeſtò
cognoſcimus.Tertiò facilè eſt videre,q̃ into
lerabili ingratitudine hoĩes illi ſeſe cõſpur-
cent,qui tantam erga nos munificẽtiam vel
negligunt prorſus,vel non rectè obſeruant.

Quartò,quantam nobis felicitatem inuide mus,quādo ad hanc menſam nec vocati accedimus. Pulchrè hîc faciunt,quę alio loco
Ioan.6. apud Ioannem Chriſtus ipſe multis verbis
" proſequitur. Ego,inquit,ſum panis vitæ. Pa
" tres veſtri manducauerūt manna in deſerto,
" & mortui ſunt: hic eſt panis de cœlo deſcen
" dens: vt ſi quis ex ipſo manducauerit,non
" moriatur. Ego ſum panis viuus qui de cœlo
" deſcendi. Si qs manducauerit ex hoc pane,
" viuet in æternū. Et panis quem ego dabo,
" caro mea eſt: pro mundi vita. In quibus verbis totum huius ſacramenti negocium abſolutiſſimè continetur,quid primū ſit cibi, quam in ſe vim virtutemq; habeat,& vnde habeat,quis eius vſus,quæ vtilitas,denique quomodo,& à quo nobis cōceſſus. De quibus vt nonnihil ordine dicamus: vis primū audire,quod genus cibi ſit? Panis quem ego dabo,inquit,caro mea eſt. Quibus verbis apertiſſimè cōuincitur,non ſigna hæc ſolum eſſe carnis & ſanguinis (vt nonnulli impudentiſſimè blaterant) verùm,qđ verba ipſa ſonant,ipſam eius carnem,verumq; ſanguinem. Quæ quū vera quoq; in mortem tradidit,naturę eis veritatē in ſacramēto minimè detraxit. Nam quēadmodum vera illa fuerint,dum mortem in iis oppetendo,vitam reparauit: ita vera credenda ſunt, dum per hæc nobis in ſacramento vitam infundit.

Nota de ſacram.^to

Por

Porrò vim virtutemq; huius cibi audis, quũ ait: Patres veſtri manducauerũt manna. &c. Nam quid ex omni genere eduliorum cum hoc compares, ad quem ne mãna illud quidem, quod vni tantùm genti, & vno dumtaxat ſæculo, idque è cœlo eſt conceſſum, in ipſe vegetandi alendiq; ratione, aliquid eſſe videatur? Deinde quum ait, Ego ſum panis viuus: non ita ſermocinatur, Id quod è cœlo attuli eſt panis viuus: aut, Corpus meum eſt panis viuus: ne vel humanitatem eius ad hoc ſacramentum ſuperuacaneam, vel diuinitatem minus neceſſariam putemus. Sed ego, inquit: ego qui vtrunque verè & coniunctim ſum, Deus & homo, ſum panis viuus, vel panis vitæ. Proinde panis iſte, & habet in ſe vitam, & participat vitam. Nam perinde atque nos panem ob id coquimus, vt eo ſuſtentemur: ita Chriſtus in hoc miſſus eſt in mundum, vt viuamus per eum. *1. Ioan. 4* Nunc quum dicit, hic eſt panis de cœlo deſcendens: vnde virtutẽ illam habeat, liquidò demonſtrat. Etenim in hoc Sacramento non ſolùm animi oculos ad Chriſti carnem & ſanguinẽ, quæ humanitatis eius ſunt inſignia, verumetiam ad diuinitatẽ, quæ cum his coaluit, aduertere debemus: eaq; fœlix copula dat Sacramento, vt viuificare poſſit. Non hîc ſcindendus eſt Chriſtus, vt vtramuis naturam ſine altera, aliquid eſſe vel facere

cere

cere credamus: nõ enim illas ſemel ita con iunxit, vt poſtea diuideret: nec vbicunque eſt, aliter quàm totus eſt. Semel, quum pro nobis mortem obiret, animá à corpore paſſus eſt auelli: neutrum tamẽ fuit diuinitate nudatum. Immo ne illa quidem corporis atq; animæ ſeparatio, poſt illam in Chriſto
Rom.6. » futura eſt. Mors illi vltra nõ dominabitur, inquit Paulus. Ex quibus conſequitur, vt vbicunq; Chriſti corpus eſſe fateamur, nec ſanguinem eius, nec animam, immo ne diuinitatem quidem deeſſe credamus. Iam vt de vſu dicamus: eum innuit, quum dicit: Si quis manducauerit ex hoc pane. Non ſatis eſt, quòd oculis illud Sacramentum religioſe cõtuemur: quòd cultum illi reuerentiamque præſtamus: neceſſe eſt vt eo cibemur, ſi fructum quærimus. Qui in menſa bene inſtructa nihil aliud q̃ oculos circumferret, vt ille famem non leuaret, niſi attin» geret: ita & hîc. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Audis & fructũ, nimirum vitam æternam. Itaq; an nõ verè dixi, omnia hic plena eſſe amoris ac ſolatij. Cuius palatum melliflua illa Chriſti verba non excitarent, famem non augerent? Quocirca Dauidis illud proloquium nõ poſſum » quin in loco adducam: Hodie ſi vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda veſtra. Æquum eſt, vt auribus noſtris hoc, ho

die,

die,perpetuò occinamus. Si non fruſtra per totam iſtam Quadrageſimā dominica voce, pulſati ſumus, tempus eſt vt ad rem nunc accingamur. Id ratio poſtulat,ſuadet vtilitas, monet religio, immo & neceſſitas ipſa depoſcit. Non fecit taliter omni nationi,ait » Pſalmograph. Non Iudæi,non vllæ ſub ſole gentes,ſimile quid à Deo cōſecuti ſunt: nobis ſolis Deus per ſpiritum reuelauit. Quare tantum bonum,chariſſimi fratres,ne negligamus: vt ne mereamur audire à Chriſto, quod Iudæis exprobrauit: Si in Tyro & Sydone factæ eſſent virtutes quæ factę ſunt in vobis,olim in cilicio & cinere pœnitētiam egiſſent. Regina Saba,quemadmodū & Niniuitæ,Iudæis in neglectæ ſalutis opprobrationem,quum tamen legem haberēt & Prophetas audiſſent: ab eodem obijciuntur. & nobis extra damnum erit, quòd tam multi ſunt gentilium ac Iudæorū, qui tantum beneficium lōge maiori ſtudio & amore proſequerētur,ſi illud perinde ac nos compertum haberent,& præſentē vtilitatem ſentirent? Forſan eſt qui apud ſe ita dicat: Ergo nihil ſupereſt amplius, quàm vt ad ſacram ſynaxin accedam? Immo ſupereſt: nam & hoc requiritur,vt dignè & ritè accedas. Quò ſiquidem res quęque in maiori ſunt precio, & voluptatis vtilitatisve plus adferunt: eò amplius detrimento ſe afficit,hęretq; in cul

Pſ.147.

Mat.11.

Mat.12.

pa,qui fructum vitio corrumpit.Quod quũ quotidianis exemplis ſatis eſt manifeſtum: in ſacris etiam literis frequentiſſima ſunt, quę Deus in donorum ſuorum corruptores ſeueriſſimè edidit. Primus occurrit proto-
Gen.3 plaſtus Adam,vt cuius leuitatem,quod con tra Domini edictum de vetita arbore guſta ret,adhuc ſuſtinemus.Quàm infeliciter ceſ
2.Re.6. ſit,Ozæ,Bethſemitis,& Philiſtæis,ſola arcę
Leui.10. Domini non ſatis honeſta & curioſa tracta-
Nu.16. tio? Quid dicam de Nadab & Abiu? quid de
2.Pa.26. Chore cum ſuis? Quid de rege Oſia: quibus omnibus ſacerdotij pphanatio pro crimine
1.Cor.11. fuit? Nónne & Paulus Corinthiis in hunc modũ ſcribit: Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi: nempe quòd hoc ſacramentum non ſatis purgatis affectibus accipere non timerent? Oſtendit ſuperiori capitulo Patribus mãnæ tempore idem accidiſſe: ſed non in pluribus,inquit,
1.Cor.12. eorum beneplacitum eſt Deo. Iam hæc in figura illis contingebant omnia: nobis nebula diſcuſſa eſt, & veritas manifeſtata: vt ne dicam,quàm hoc noſtrum ſacramẽtum cum illorum manna nulla ratione cõparandum venit.Itaq; in confeſſo eſt,nõ ſufficere quòd animum ad dulcia illa Chriſti verba, ſplendidaq; promiſſa,erigimus,&quaſi acuimus: niſi & quæ alia ad dignam communicationem requiruntur, implere præſtareq;

curemus. Dixi ſuprà eum eſſe ſacraméti huius ſcopũ & finem, vt vnũ ſimus cum Chriſto, & ipſe nobiſcum. Id porrò fieri non poteſt, quamdiu affectibus ita ab ipſo diſſidemus, vt quæ ipſe profligata vult, nos amplectimur: quę verò cupit vt amplectamur, ꝓfligare ſtudeamus. Quæ conuentio Chriſto ad Belial? ait Paulus. Iam & Ioannes: Deus lux eſt: Si dixerimus quoniam ſocietatem habem⁹ cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur. Quanq̃ & illud pòſt ſubiungit: Si confiteamur peccata noſtra: fidelis eſt & iuſtus, & remittat nobis peccata noſtra. Ex his facile eſt animaduertere quid à nobis requiritur, & quæ noſtræ ſunt partes. Nam ſi ſocietaté cum Deo habere volumus, neceſſe eſt vt criminũ confeſſione ac pœnitétia, tenebras illas diſcutiamus: qđ vbi factum eſt, iam promiſſorum Chriſti capaces ſumus, & ſanguis eius emũdabit conſcientiam noſtrã ab omni peccato, & ab operibus mortuis, ad ſeruiendum Deo viuenti: atq; ita demũ ſocietatem habebimus cum Deo. Iam videte num ex his rectè ita colligimus. Si (vt oſtenſum eſt) ſacraméti is eſt ſcopus, vt vniamur cum Chriſto, maneatq; ipſe in nobis, & nos in eo: hæc autem vnio apte coire & cohærere nõ poteſt, quamdiu nos in tenebris peccatorum ambulamus: à peccatis verò non emundemur, niſi ea confiteamur: confeſſio

2.Cor.6

1.Ioan.1.

Ibidem.

Heb.9.

por

porrò,pœnitentiæ pars ſit,eaq́; prçcipua: an non conſequitur,vt rectè communicemus, neceſſarium eſſe,vt à pœnitentia & confeſſione primū auſpicemur? Sanè & ratio hoc poſtulat,vt rem aliquam aggreſſuri,quæ impedimento nobis fore præuidemus,ante omnia tollere amouereq́ue curemus. Quò & illa pertinent,quę de Euangelica noſtra peccatrice ſuprà attigimus. Vides hanc mulierem? ait Chriſtus Phariſæo: qui magnā ſibi gratiam à Chriſto pollicebatur, quòd eum conuiuio dignatus eſſet: interim humilem illam peccatricem (quanq̄ iam non peccatricem) magno faſtu deſpicit,adeoq́ue condemnat. Vides hanc mulierē? inquit: quaſi dicat,Si hanc peccantē vidiſti,& nunc pœnitentem vide. Quòd ſi eam grauioribus criminibus præ te obnoxiam putas,vide quoniam & pœnitētiæ ardore te longè antecellit. Tu iam meritum tuum apud te iactas, quòd menſæ me tuæ adhibuiſti: at iſta ſuis officiis me multò efficacius deuinxit. Tu quod corpori impēdis,corporeū etiam,tibi ad gratiam refers: illa ob cor contritū & humiliatū, gratiam,quā modicam verecundè captat, vberrimam reportat. Plus mihi in eius fide,feruore,pœnitudine,humilitate,in hoc lachrymarū profluuio, in hac irruptione tam violenta,in tam ardenti ac cōſtanti amore,repoſitum voluptatis,quàm in omni

hoc

hoc apparatu quem menſę intuliſti. Et vide num potiora ſunt, quæ hęc mulier mihi prę ſtat. Tu ne calida quidē dignatus es hoſpiti pedes abluere, hęc ne aqua in mora eſſet, ha ctenus ad eam rem quantū ſatis eſt lachrymarum depromplit. Domum tuam ingredientē ne oſculo quidem ſalutaſti: hæc vſq; nunc continua oſculatione mihi pedes demulcet. Deniq; quod tu capiti meo debebas, vt illud nobili aliquo vnguento exhilarares: hoc iſta nec pedibus ſubtraxit. Videte, chariſſimi in Dn̄o fratres, quàm grata commemorationę huius mulieris affectum officiaq; Chriſtus proſequitur, & quàm honeſta illi comparatione ea Phariſæi meritis anteponit. Proinde rectè Eccleſia in hymno canit: Hæc ſunt conuiuia quæ tibi placent, ô Patris ſapientia. Supereſt vt hoc exemplum ſequamur, & quo ſtudio ad ſacroſancti myſterij participationem animus ſit excolendus, ab hac muliere diſcamus. Inprimis neceſſe eſt vt fidē retineamus: eam verò è verbis Chriſti, quæ ſuperius retulimus, confirmauerimus. Secundum fidem neceſſaria eſt humilis cōfeſſio propriæ iniquitatis, vt tanta re nos indignos ducamus: ſed vt hanc mente potius, quàm ſolùm fronte ſuſtineamus, nimirum vt ſię cōfeſſio dolore luctuq; expreſſa. Iam etiam animo ad indulgentiam fęrri & anhelare debem⁹: vt quum

eam

eam feruenter expetimus, largitorem beneuolentia trahamus, propoſiti ſanctione prouocemus. Caueamus porrò prius menſæ accumbere, quàm ad pedes iacentib. eſt à Chriſto remiſſio indulta. Nā quamdiu proſtrato hanc abſolutionem non impartiuit, Remittuntur tibi peccata: nō mereris in eius menſa locum. Cuius enim pedes per pœnitentiam oſculari noluiſti, qua fronte illi os diſſuauiari audebis? At verò poſteaq̃ te illi ad pedes abieciſti, & in doloris argumentū illi pedes, tibi crimina lachrymis abluiſti; eiusq; ſententia de remiſſione, quam expetebas es confirmatus: tum demū ad dominicas epulas, modeſtè tamen & reuerenter accede, vt qui iam verè inter Dei amicos, immo filios es cooptatus. Idq; iam nō fide tantùm, verumetiā præmij captione cognoſces. Quid enim vſquam certius eſſe poteſt, peccata nobis eſſe remiſſa, inq; ſortem filiorū nos eſſe allectos, quàm carni & ſanguini Seruatoris noſtri communicare: quæ non ſolùm pro peccatis noſtris ipſe tradidit, verumetiā in remiſſionem, ſalutem, & iuſtificationē nobis conceſſit? Hæc, chariſſimi, ſedulò nobis ac diligenter ob animū verſemus: nam hæc eſt hodierni huius conuentus cauſa. habemus in hoc ſacramento, quantum animo capere non poſſumus boni reconditum, ſi tamen eo rectè vtimur, & nobis ipſi damno non

nō ſumus, Cœna iam diu inſtructa eſt, Chriſtus ipſe nos præſtolatur, præceſſerūt quotquot ad vitam fuerunt ordinati: nos quoq; iam vocamur. Nihil ſupereſt, q̃ vt Chriſti pedibus aduoluti, pietatem illi noſtram ac pœnitudinē ita declaremus, vt vnà cum ſancta illa peccatrice gratiam criminum inuenire, deinde inter conuiuas ac filios Dei ſacris illis epulis æternum paſci mereamur. Addo, hodie ſi vocē Domini audieritis, nolite obdurare corda veſtra. Gratia Dei cum omnibus nobis. Amen.

In die paraſceues, ad paſſionis enarrationem isagoge: Sermo .III.

HOdierni diei myſteriū, in quo Chriſtus ac ſeruator noſter torcular pro nobis calcauit, & de peccatis noſtris non ſolùm pœnam ſuſtinuit, verūetiam pro iis abundè ſatiſfecit: neq; lachrymas ſolùm, vt alienam culpā acerbiſſimo ſupplicio lueret, ſed ſanguinem etiam copioſiſſimè profudit: hoc inquam mihi animo reuoluenti, Eſræ hiſtoria, quam hoc Quadrageſimę tempore ad finem vſq; proſecuti ſumus, in memoriā ita redit, vt quid nunc melius accommodatiúsve optem non inuenio, quàm vt

eo animo affectúque omnes eſſemus, quem non in ſolo Eſra, ſed in omni illo populo fu iſſe audiuimus. Non addubitarem magnum nos ex huius diei recordatione fructum capturos, ſi non ad leuius exemplum Chriſti paſſionem ac mortẽ nobis proponeremus, quàm olim illi, quum Eſram pro ipſorum tranſgreſſione lugentem, eoſque variis modis ad pœnitentiam præeuntem viderent.

1.Eſr.10. Omnis ordinis atq; ætatis homines ad eum cófluebant, lachrymas cũ illo cóiungebant, peccatũ ſuum non diſſimulabant, iuramẽto ſe obſtringebant diuinę offenſionis cauſam omnem continuò ſe amoturos: & quum ſacerdotem ſuum aliena peccata tanta acerbitate in ſe caſtigantem viderent, turpiſſimum ſibi fore iudicaſſent, ſi ne propriorum gratia eum ſibi exemplo proponerent, factóque ſequerentur. Tantum apud Iudæos (Iudæos dico) vnus Eſras potuit. Et ecce plus quàm Eſras hîc. Immo quid Eſras ad Chriſtum? Immo quem locum habẽt quæ Eſras ſuis impendit, ad ea quæ nobis præſtitit Chriſtus? Vt à perſonarum qualitate comparationem nimio ne grauemus: Eſras ob ſuorum præuaricationem luctum ſibi ac ieiunium indixit: vtrunque Chriſtus ita fecit, vt ſi ad cætera quæ fecit referantur, exigua ſint, ſi nuda ſpectẽtur, multò maxima.

Heb.5. Paulus dicit eum, in diebus carnis ſuæ, pre-

ces

ces ſupplicationesque ad Deum cum clamore valido & lachrymis obtuliſſe.Iam nō tacent Euangeliſtæ eū tam ſeuerè ieiunaſſe, vt quum omni naturali humore pœnis ſuppliciisque exhauſto,maxima ſiti laboraret, neque neceſſitatem illam propinquæ mortis anguſtia expreſſam diſſimularet: tātum abſuit vt eſſet qui illi aquæ pauxillum porrigeret,vt ſpongiam felle acetoq; imbutam illi obiicerent. Tale fuit Chriſti pro nobis *Ioan.3.* ieiunium. Quid dicam quos omnib.membris ſuſtinuit cruciatus? quid referam horrendum illud in tam lacero corpore,tamq; ignominioſum crucis ſupplicium? qd mortem illam tot contumeliis, tot conuiciis, tanta hominum ingratitudine exagitatam? Sed quid tandem dicam? Si Eſras illo ſuo luctu & ſqualore,ab omni ætate,ordine,ſexuque obtinuit,vt & lachrymas profunderent,& peccata ſua grauiter incuſarent: nō poterit Chriſtus amariſſima ſua paſſione, tanta ſanguinis ſui effuſione,morte tam miſerabili,pectoris noſtri duritiam eatenus inflectere,vt ſecū vel pauculas lachrymas noſtræ ſaluti infundamus? Abſit,fratres,abſit. Ah abſit ab huius diei pietate pectus erga ipſum tam inhumanum,erga nos tam crudele. Væ,væ illis qui lachrymantem Chriſtum ſiccis nunc oculis aſpiciunt.Et quem demum fructum illi ex Chriſti paſſione ſibi

promittunt, quibus necdum verè perſuaſum eſt illa oĩa à Chriſto ſibi collata? Aut quomodo perſuaſum eſſe poteſt, quos res illa non aliter tangit, mouetq́;? Plangent ſe ſuper eum omnes tribus terræ: ait Ioannes
Apo.1. in Apocalypſi. Authoritatẽ ſcripturæ agnoſcitis: non poteſt non fieri, quod illa futurũ prænunciat. Neceſſe eſt vt ab omnibus promiſcuè in Chriſti mortem planctus conferatur, ſi nõ vtiliter à viuis, infructuoſe certè & ęternaliter à mortuis & damnatis. De hoc planctu, ſed piorum maximè, inſignis locus eſt apud Zachariam Prophetam, quem hîc non grauabor adiicere: Et aſpicient ad me
Z. 12 (inquit) quẽ confixerunt: & plangent eum planctu quaſi ſuper vnigenitũ, & dolebunt ſuper eum vt doleri ſolet in morte primogeniti. In die illa magnus erit planctus in Ieruſalem, ſicut planctus Adadremmon in campo Mageddon. Et planget terra, familię & familiæ ſeorſum. Familiæ domus Dauid ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum. Familiæ domus Nathan ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum. Familię domus Leui ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum. Familiæ Semei ſeorſum, & mulieres eorũ ſeorſum. Omnes familiæ reliquæ, familiæ & familiæ ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum. Ex his Chriſtiani colligant, ſi ad Chriſti familias pertinere volunt, quàm iuſtè ab illis nunc

lachrymas luctumque exigamus. Duabus ſuperioribus concionibus Euangelicæ illius peccatricis hiſtoriam præſenti ſermoni adaptauimus: quid porrò ad ea quæ nunc præ manibus habemus accommodatius, atq; vt quã illa cauſam confugiendi ad Chriſti pedes ſibi aſſumpſit, nos nobis in paſſione eiuſdem acquieſcendi ſumamus: quæq; illa pedibus officia fecit, nos ꝑ nobis patiẽti Chriſto faciamus? Dolore ac metu de peccatis ſtimulata properauit ad Chriſtum: hâc neceſſitatẽ quis non patitur? ea igitur nos extrudat, impellatque ad crucem: nempe cui chirographum delicti, ſed Chriſti ſanguine inductum, appendet affixum. Apud eum verò quum eſſet, iaceretq; proſtrata, ocioſa non fuit, neque ad nihil venit: ſed peccata lachrymis perfundit, & gratiam quærit. Diſcite ignaui quid faciatis. Crucem cõplexi mœſta recordatione anteacta delicta repetite ac lugete, implorate miſericordiam: & quemadmodum illa pedes lachrymis lauit, fatigauit oſculis, vnguento leniuit: ita nos quo poſſumus pectoris, oris, manuumq; officio, peccatorum memoria verè affligi, neq; aliud nobis cõſtituere perfugium quàm in Chriſti paſſione ac morte, non obſcurè doceamus. Nam ita demum paſſionẽ ritè percolimus, ſi non ipſum Chriſtum, ſed noſtrã in Chriſto cauſam deploremus. Quod ſi fa

cimus,tantundē ſolatij reportabim⁹ à cruce quantū illa à pedibus. Audituri nimirū ibi, crucis beneficio peccata nobis eſſe remiſſa, pacem cum Deo ſartam ac reſtitutā, ſalutē aſſertam:q̄ & illa terna Chriſti allocutione, Remittuntur tibi peccata, Vade in pace,&, Fides tua te ſaluam fecit: audire ꝓmeruit. Oſtendimus iam vtcunq;,vtranq; hiſtoriā, qua hactenus Quadrageſimam extraximus, præſenti etiā diei qua parte liceat accōmodare.A quo neq; illa Dauidis verba abhorrent,à q̄bus principiò dicendi initium feci: Hodie ſi vocem Dn̄i audieritis.&c̄.Tametſi
Eſa.53 em̄ Eſaias verè de eo p̄dixerit. Sicut ouis ad
„ occiſionē ducetur,& quaſi agnus corā ton-
„ dente ſe obmuteſcet,& non aperiet os ſuū. Nam vt ex Euāgeliſtarū ſcriptis eſt manifeſtū, diſſeruit q̄dem multis verbis ſub cœnā, & tantiſper dum in horto ſoli eſſent,cū diſcipulis: verùm apud eos qui illum ꝓ hoſte habebant,& inter ipſa tormēta, pauciſſimè atq; conciſè.In horto ad ſummū ter: primū cum Iuda,deinde ad vniuerſam cohortē,tertiò ad eos q̄ cū imperio & authoritate miſſi viderētur. In ædibus Annæ bis reperitur locutus, ſemel apđ Caiphā: ne ſemel quidem apud Herodem,ſed quater cum Pilato: quū iam educeretur ad ſupplicium, ſemel cum mulieribus: in cruce verò ſepties.Toties cōſtāt ex Euangeliſtis eum ſupplicij tempore fuiſſe

fuiſſe locutum: breuiter quidem & argutè; ſed nō minus grauiter & cordatè. Quas eius voces ſi attentè audieritis, & in animo pon deraueritis penſiculatè ac diligēter; fieri nō poteſt vt corda veſtra amplius obduretis; eumq́; Dominum exacerbare pergatis. Verùm enimuero quanq̄ paucis illis ꝓloquiis Iudæis conciſus, ac penè mutus fuit: nobis verò non item. Suprà diximus è Paulo, eum cum clamore valido preces patri obtuliſſe, idem poſtea ſanguinē Chriſti nunc etiā pro nobis loquentem ac interpellantem apertè confirmat. Et ſi rem rectè expenderimus, illa omnia quæ pro nobis fecit ac paſſus eſt Chriſtus, nihil aliud ſunt, q̄ diſerta quædam viuaq́; ſermocinatio. Nos certè in ſingulis vocem nobis ſermonēq́; apponere debem⁹. Quo nomine minimè mirandum eſt, ſi neq; hoc tempore Dauidicū illud monitorium omittēdum cenſuerim. Nam ſicubi aptum illud locū habet, habet hîc vt qd́ maximè. Qui enim Chriſti in cruce vocem nō audit, auditurus eſt extra crucē? Certè quē Chriſtus tot vulneribus, vibicibus, flagris, ac ſputis deformatus nō mouet, illum fruſtra ſperas vlla ratione poſſe moueri. Quapropter, chariſſimi fratres, quum ad hoc hodie conueniſtis, vt Dominicæ paſſionis ſeriem audiretis: qua nimirum non verbis tantùm, ſed & rebus ipſis, atq; adeò tam larga ſan-

Heb.12

guinis ſui effuſione, vocem in cœlum vſque extulit, & nubes penetrauit: idq́; nobis, nó vt noceret, ſed prodeſſet: torporem ac ſomnolentiam excutiamus, nó ſimus obſtinati, & inuincibili corde: ſed potius aures, oculos, immo & cor ipſum aperiamus, vt quæ Chriſtus hodie dixit, fecit, ac paſſus eſt, videre, audire, & animo apprehendere poſſimus. Habent ſingula ſuam, adeoq́; noſtram vtilitatem: vt quæ nobis ad ſalutem collata ſunt omnia. Proinde noſtrum eſt aduigilare, ne ſeruatori noſtro tam iuſtam de nobis querendi anſam præbeamus, qualem apud Eſaiam de Iudæis prætendit. In vanum (in-
Eſa.49. quit) laboraui, ſine cauſa & vanè fortitudi-
Eſa.65. nem meā conſumpſi. Et alibi: Expandi ma-
„ nus meas tota die ad populum incredulum,
„ qui graditur in via non bona poſt cogita-
„ tiones ſuas. Quis eorū miſeriam ſatis deplorarit, qui tanto beneficio ſe ingratos declarant? Contrà quis eorū felicitati gratuletur ſatis, q paſſionē Dominicā vera fide, & cordis attentiōe excipientes, ſibi vertunt in ſalutē? Viſum fuit, chariſſimi, ad hunc modū præfari, vt aures ad ea q̃ de Chriſti paſſione ordine dicturus ſum, haberē purgatiores, animos promptiores, & ſtudia clariora. Faxit Deus vt hæc ita audiatis, quò cū Chriſto vitiis ac concupiſcentiis mortui, ac vetuſtate exuti, in nouitatem vitæ reſurgere queatis.

AMEN.

In die ſancto Paſchæ.

SERMO QVARTVS.

Odie ſi voce Domini audieritis, nolite obdurare corda veſt. &c. Pſal. 94.
Non deerunt fortaſſis qui mirentur, quum initio Quadrageſimæ de pœnitentia, ſuperiori concione de paſſione Domini, ab hoc themate dicendi initium fecerim: quur ſanctiſſimi huius diei feſtiuitatē hilaritatemq́; hoc ipſo obſcurare & quaſi fœdare voluerim: ſed quū id ſtudio & conſultò fecerim, non eſt mihi difficilè rationē aſſignare. Quū Chriſtianū vulgus ea plærunq; opinione ac mente eſſe viderē, vt Paſchalis feſti interuentione antiquata omnia ſint & ſepulta, quæ ad Quadrageſimalem diſciplinam quomodocunq; pertinerent, ita vt luctus ac mœſtitiæ nullū veſtigium ſuperſit: habeantq́; ea hîc locum, quod eſt apud D. Paulū: Vetera tranſierūt, ecce facta ſunt omnia noua: & apud Pſalmographū: Hæc eſt dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea: eum morem aliquot iam ab hinc annis retinui, vt cōtra populi perſuaſionem, eodem themate Paſchalium dierū inſtitutionem ordirer, quo per Quadrageſimalem in docendo fueram vſus: atque ita non mutata diſciplina, tem-

2. Cor. 5
Pſal. 117.

temporum ingenia conciliata oſtenderem. Non quòd negare velim, ad hunc diem minimè pertinere, quæ iam è Paulo & Dauide citauimus: nam hæc maximè dies eſt quam fecit Dominus, & quæ incredibili gaudio quotquot ad Chriſtum ſpectant perfundit: Deinde quicquid vſpiam vitij ac paternæ labis iam inde à radice in ſtirpe conualuerat, ſuſtulit, abrogauitq́;, & q̃ iam vetuſtate interciderāt, innouauit: quemadmodum & Iudæis olim libertatem peperit, vt qui antea iniquiſſimo imperio, & ab immani tyranno graui ſeruitute p̃merentur, ab huius diei nũcupatione, ea omnia excuterēt, neq; pro Domino alium q̃ Deum agnoſcerēt. Antea ſuis malis ingemiſcebāt. eiulabāt ac lamentabātur dolore & laboribus fracti: at poſt huius diei exortũ tam multo meliori conditione eſſe cœperunt, vt cõmunem ſuam lætitiam hoc carmine æternitati conſecrarent: Can-
„ temus Domino, glorioſe enim magnificatus
„ eſt, equum & aſcenſorē deiecit in mare. &c.
Vt iam nemo neget illos verè iſta vſurpare potuiſſe, Vetera tranſierunt, ecce facta ſunt omnia noua: &, Hęc eſt dies quam fecit Dominus &c. Ad eundem modum & de nobis dixerim, pro extrema omniũ rerum deſperatione, ſummam affluentiam lætitiamque eſſe conſecutos. Nam ante agni huius paſchalis immolationē, verè (vt D. Paulus aſ-
Rom. 5.

ſerit) regnabat peccatum in mortem, mors verò impunè in omnes graſſabatur, Diabolus omnium libertati inſultabat: adeóq; nihil relictum erat pręſidij, vt ne iuſtis quidē ac fidelibus ſua illa innocentia tutis eſſe liceret. At poſteaquam hodiernus dies illuxit, alia continua facies humanis rebus exorta. Nam vbi ſuperabūdauit delictū, nunc ſuperabundat gratia: & vbi regnauit peccatum in mortem, nunc gratia regnat per iuſtitiam in vitam æternam: & pro immani tyrāno diabolo, princeps ille pacis Chriſtus latè dominatur. In hunc planè ſenſum dictum eſt à Paulo, Vetera tranſierunt, ecce facta ſunt omnia noua: vaticinatum eſt & à Propheta: Hęc dies quam fecit Dn̄s, exultemus, & lætemur in ea. Atqui hūc ſenſum in his verbis minimè ſequuntur, de quibus antea dixi: qui euidēti ſui aſſentatione hæc ita interpretantur, quaſi feſta Paſchalia priſtinę licentię ac voluptati ianuam aperiant, pœnitētiæ diſciplinā ſoluant, animos luctu & cura liberēt. Quam eorum ſtultiſſimā impiamq; opinionē vt prima quaſi velitatione retunderē, nō alio themate ad huius diei ſermonē vti decreui, q̄ quo per totam Quadrageſimā in diuerſo argumēto ſum vſus: vt vel inde euidenter cognoſcāt illi, q̄ bene paſchali feſto cum Quadrageſima cōueniat, & pœnitentiæ ſtudium ab innouatæ vitæ gaudiis non

Ibidem. Eſa.9.

non eſſe alienum. Quæ alioqui ex huius feſti denominatione, tum ex hodierno Euangelio, tum ex illo Pauli ad Coloſſenſes loco,
Col.3. vbi de reſurrectione tractat, manifeſta habentur. Enimuero apud Hebræos hoc feſtum Phaſe dicitur, à noſtris Tráſitus. Quare ſi huius vim ac voluntaté ſequi volumus, non debemus hærere in loco, multò minus retrò abire, ſed, vt pœnitentiæ auſpiciis cœptum eſt, in via virtutis longius indies progredi, propoſitumque tenere. Iam & Angelus in Euangelio, in Galilęam (quod noſtris
Mar.16 ſonat tranſmigratio) illos præmittit, qui rediuiuum Chriſtum affectant videre. Sed quorum ſignorum ſignificationem D. Paulus nulla verborum figura enodat, quum iubet eos qui reſurrectionis Chriſti participes
Col.3. eſſe volunt, vt quæ ſurſum ſunt quærãt, vbi
» Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, non quæ
» ſuper terrã. Ex his luce clarius eſt, non diſſolui per horum dierum iucunditatem ſtudium noſtrum, ſed potius augeri. Proinde non inconuenienter vos, vt antea, adhortor
„ chariſſimi, & moneo: hodie ſi vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda veſtra. Quur enim ego Chriſtum non ſequar? vt quemadmodum ille, non ſolum quum pro nobis acerbiſſimè pœnitétia ſeſe affligeret, vel in tormentis quum eſſet, vocem ad nos extulit, verumetiam à morte eadem ſuauiſſime

ſimè eſt modulatus: vos nũc adhorter, perindé atque antea feci, vt quæ nunc quoque loquitur, atteta aure percipere curetis? Iam quid commodi retulerimus, ſi ad pœnitentiam vocanti, adde & in tormentis ingemiſcenti aurem præſtemus: quum verò reparatæ ſalutis gaudia nũciat, denegemus? Vel dura, vel inuiſa ſunt quæ ibi loquitur: hîc læta omnia. Auete, inquit mulieribus quę eum quærebant: addit, Nolite timere: ite, *Matt.28.*
„ nũtiate fratribus meis vt eant in Galilæam:
„ ibi me videbunt. Hæc prima eius à morte vox fuit, quatenus de illo Euangeliſtæ loquuntur. Secunda porrò, qua Magdalenam affatur, aliquantò adhuc ſplendidior: Vade
ad fratres meos, & dic eis: Aſcendo ad pa- *Ioan.20.*
„ trem meum & patrem veſtrum, Deum meũ
„ & Deum veſtrum. Tertiò diſcipulos illos
euntes Emauntem huiuſmodi ſermones di- *Luc.24.*
„ gnatus eſt: Nónne hæc oportuit pati Chri-
„ ſtum, & ita intrare in gloriã ſuam? Illa verò quibus Apoſtolos in commune eſt affatus, quàm multis partibus lætiora? pax vobis;
ego ſum, nolite timere. Accipite ſpiritũ ſan *Ioan.20.*
„ ctum: quorum remiſeritis peccata, remit-
„ tuntur eis. &c. Itaq; rectè eum facere arbitror, qui quum hęc à Chriſto Chriſtiani audiunt, monet vt tam ſalutaribus verbis cor docile prębeant, & attentũ. Et quid ad pœnitentiæ ac dominicę paſſionis enarrationẽ

aptius ſubiunxeris, quàm vt illa cordib⁹ ve-
ſtris mădare & inſculpere ſtudeamus? Quid
mulier illa peccatrix (de qua ſuperiori Do-
minica dicere aggreſſi ſumus) lætius opta-
Luc.7. tiusque audire potuit, quàm, Remittuntur
tibi peccata? Nam quod illi ſemel tunc di-
xit, id nunc reſurgendo omnibus paſſim ꝓ-
ponit. Iam me dicturientẽ cogitatione (ni
fallor) præcurritis, & quid ex hac hiſtoria
præſenti feſtiuitati adaptari queat (quem-
admodum & quum de pœnitentia, deque
cõmunione, poſtremò de paſſione agerem,
facere meminiſtis) circumſpicere me præſa
gitis. Ego equidem ita ſtatuo, aptiſſimũ illi
hîc locũ eſſe: nec fore inconueniens, vt cum
qua muliere animũ ad pœnitentiam appu-
limus, ad Chriſtum irrupimus, adq; eius pe
des, immo & ſub cruce ſordes animę lachry
mis deterſimus: cum eadem etiam abſolui à
peccatis, & in pace dimitti mereamur. Nam
perinde atq; Chriſti paſſionẽ pro pœniten-
tia nobis arrogare, ita & in eius reſurrectio-
ne fas eſt indulgentiã ſtatuere. Paulus aper-
Rom.4 tè ita pronunciat: Chriſtus traditus eſt pro-
„ pter delicta noſtra, & reſurrexit propter iu
ſtificationem noſtram. Qua de re operępre-
cium mihi facturus videor, ſi latiuſculè diſſe
ruero: nam ad id cõferet, vt dominicæ reſur
rectionis meritũ plenius noſcamus. Princi-
piò cogitanti mihi nouam illam dignitatẽ,
qua

qua mulier illa ad Chriſti pedes,& quiq; fideles in eius reſurrectióe,immo & ipſa Chriſti humanitas hodie adaucta ſolitò clarior eniteſcit: non video ad tam inſperatá mutationẽ,quid cõmodius ſubnectere queam, quàm quod eſt apud Pſalmographũ: Conuertiſti planctum meum in gaudium mihi, » conſcidiſti ſaccũ meum,& circundediſti me » lætitia.Quę tametſi in perſona Chriſti à Dauide vaticinata ſunt,& ad ipſius reſurrectionem propriè pertinẽt: nihil obſtat tamen, quò minus & à muliere illa,quum à Chriſti pedib. aſſurgeret, vſurpari rectè potuerint: & nunc etiam à nobis, pro huius diei ſerenitate,vſurpentur.Quò fit,vt mihi facile perſuadeam,vt ſi diligẽter illa penſiculata animaduerſaq; fuerint,& Chriſti in reſurgẽdo maieſtatẽ,& mulieris illius in Chriſti patrocinatione indulgentiaq; conſolationem, & noſtram in huius diei nouitate lætitiam ſpectandam proponere.Et primò quidẽ quàm graui pœnitẽtia Chriſtus ſeipſum,quum ꝑ peccatis noſtris lueret, affecit, quantopere luxit, ac doluit, quomodo poſteaꝗ diuerſis ſuppliciis, contumeliis ac irriſionibus iactatus eſt, turpiſſima etiã morte ſit multatus: ex ipſa paſſionis eius ſerie,& maximè ex illius querimoniæ,quam in cruce patri fecit, grauitate,ſatis eſt manifeſtum. Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me? certe Mat.27
cõ-

Pſal.29

côueniens illi tempori querela. ſed certe & hoc côueniens reſurrectionis tempore epinicium:
Pſ.29. » nicium:Exaltabo te Domine quoniã ſuſce-
» piſti me, nec delectaſti inimicos meos ſup
» me.Domine Deus meus clamaui ad te,& ſa
naſti me.Deinde interpoſitis aliquot in ean dem ſententiam verſibus, ſubiungit quod antè citauim⁹: Côuertiſti planctũ meũ,&c. A quibus,quę in Euangeliis à Chriſto dicta legimus,verbis tantũ diſcrepant, nõ ſenſu:
Ioan.20 » iſta maximè,Aſcendo ad Patrẽ meum & Pa
» trem veſtrũ,Deum meum & Deum veſtrũ:
Mat.28. » &,Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo &
» in terra: nã quoniã humiliauit ſemetipſum
Phil.2. » (D.Pauli verba ſunt) Deus exaltauit illũ,&
» donauit illi nomẽ quod eſt ſuper omne no-
» men:vt in nomine IESV omne genu flecta-
tur, cœleſtiũ, terreſtrium, & infernorũ &c. Eadem & è veteri teſtamento licet confir-
Gen.22 mare. Quadrifariã Deus Abrahæ ſpopôdit. Primò,fore vt ipſi & vniuerſæ eius poſteritati benediceret.Secundò,vt tanto numero eos eſſe faceret,vt cum ſtellis cœli atq; arena quę eſt in littore maris,æquiparari poſſent. Tertiò,quòd portas inimicorũ ſuorũ poſſide rent.Quartò,quòd in eius ſemine oẽs tribus terrę benedicendę forent.Talia quidẽ Deus Abrahæ ꝓmittebat,ſed q̃ vniuerſa ad Chriſtum,qui ſemẽ Abrahæ in ſacris dicitur,ſpectabant. Et quidẽ fidem ab ipſo acceperũt,
im-

impleuitq; ea omnia: verũ non prius, quàm victor à morte triũpharet. Nam pauloante quum hoſtili inuidiæ pateret, eum minimè ad res tãtas agendas deſignatũ dixiſſes. Nihil ibi ad victoriam præſidij, ſpei nõ multò am plius. A Iudęis pœnis ac conuiciis lacerabatur, plectebatur à gentibus, ne à diſcipulis quidẽ agnoſcebatur, illudebatur ipſi à miniſtris, prę ſidiarij milites in crudelitatẽ iocum vertebãt, ab omni deniq; ætate & ordine ad mortem petebatur: vt verè dicere potuiſſet, Aduerſum me loquebantur qui ſedebant in porta, & in me pſallebãt qui bibebant vinũ. » *Pſal. 68.*
Et vt ad extremã infelicitatẽ nihil deeſſet, etiam in cruce animã agenti acerbiſſimè ab hoſtibus in faciem inſultatur, conuiciantur & latrones, quaſi propria tormenta hac voluptate mitigarent, nudus pendet vndiq; ab hoſtibus cinctus, nam eminus ſtabant, ſi qui aderant qui eum nouiſſent. Quid in his erat quod ſplendida illa promiſſa caperet? Quod mihi hìc ſemen oſtenderes, cui Deus benedixit? Immo quis adhuc ꝓ ſemine Abrahę, hunc potius vermem q̃ hominem haberet? De ſeminis verò multiplicatione, quam ſecundo loco Deus ꝓmiſerat, quid magni iactabimus? Quũ primùm verbi ſui ſementẽ faceret, duodecim Apoſtolos nactus eſt vitę ac doctrinæ ſectatores, auctus deinde numero ſeptuaginta duorũ diſcipulorũ: vbi verò

innotuit multa hominum millia, & in his pias aliquot matronas,quæ illũ facultatib. ſuis vtcunq; ſuſtentabant,quocũnq; pgeret poſt ſe trahebat: in die Palmarũ occurſum eſt illi ab vniuerſa penè plæbe Hieroſolymitana,acclamatur feſtiuũ illud,Oſianna filio Dauid; eamq́; iam gratiam authoritatemq́; apud vulgus collegerat,vt ſtomachũ Phariſæis ac ſacerdotib. faceret, dicerétq́; : Si di-
Ioã.11. „ mittimus eum ſic,omnes credent in eũ: Et
Ioã.12. „ in die Palmarum, Ecce, inquiunt,mundus „ totus poſt eum abiit. Habebát hæc iam aliquam creſcentis ſeminis ſpeciem:poteratq́; Chriſtus non difficulter illud Abrahæ ſemẽ credi,quod ita propagandum eſſet,vt ſtellas cœli & littoralem arenam numeroſa ſobole æquaret. Cæterum quæ mox ſequũtur tibi ob oculos pone: A diſcipulorũ vno proditur inimicis,cæteri verò dilabuntur: nemo populariũ tam indigna patienti vel vultu cõmiſereſcit, non modò eum pro ſuo rege nõ agnoſcunt,vt ne regni quidem titulum,vel ignominioſe ipſi opprobratũ, patienter ferant inſcribi: in tanta hominum turba vix ab vno latrone innocentiæ ſuæ teſtimonio ſubleuatur: ſi matrem cum vnico diſcipulo & paucis ſemimortuis mulieribus excipias, truces oĩm vultus. Quid rediuiui increméti à mortuo cadauere amplius exſpectaſſes,vt hic eſſet, cuius ſemen tot modis multipli-
çan-

candum eſſet? Tertiæ ꝓmiſſionis effectum nó multò fidentius à Chriſto requiſiſſes. Hoſtibus non proditus tantùm, ſed & venditus erat, raptabatur vinctus ad iudices omnium præiudicio damnatus: totum mundum patitur infeſtũ, noſtra illum peccata premunt, mors inſultat, diabolus adeoq; infernus abſorbere etiam parant: & hunc dixiſſes, tam grauem hoſtibus ſuis incumbere, vt etiá portas eorũ præſidio teneret? Quarto loco promiſſum erat, vt in ipſius ſemine benedicerentur oẽs tribus terrę. Quis hoc in Chriſtũ cadere dixiſſet, quum ab omnibus illis derogaretur, viris, mulierib., pueris, magiſtratib., popularib., ſacerdotib., Iudæis & gentibus? & omnibus iam in ruinam, tanta ipſorum peruicacia, poſitus videretur? Huc equidem ſpectaſſe illum credo, quum à Patre horum promiſſorum quaſi fidem requireret, dicẽs,
„ Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me? Certe nihil hic tam magnificis pollicitationibus ſimile. At hodie quid renidenti ore loquitur? Conuertiſti planctum meum „ in gaudium mihi, cõſcidiſti ſaccũ meum, & „ circumdediſti me lætitia. Veriſſimum illud „ ſanè, Chriſti reſurrectione oĩm rerum ſcęnã nó mutatam tm̃, ſed planè inuerſam fuiſſe. Acclamatur illi ab omnibus: Dignus eſt a- „ gnus q occiſus eſt, accipere virtutẽ, & diuini „ tatẽ, & ſapiẽtiam, & fortitudinẽ, & honorẽ, „

Mat.27. *Pſal.29.* *Apo.5.*

gloriã & benedictionẽ. Hæc illa benedictio eſt, quã DñsAbrahæ ipſius ſemini collaturũ promiſerat. Iam de huius ſeminis repullulatione ac propagatione, nónne pro credentis populi numero verè affirmaris, iam inde ab eo die non eſſe facilius ad calculum vocare, q̃ vel ſtellas cœli, vel arenam maris? Id fore
Eſa.53. Eſaias nõ tacuit: Si poſuerit, inquit, pro pec
» cato animã ſuã, videbit ſemẽ longæuum, &
» volũtas Dñi in manu eius dirigetur. Pro eo qđ laborauit aĩa eius, videbit, & ſaturabitur. Sed & Patrẽ ſibi obſtrictũ tenebat, cuius hęc
Pſ.2. » erat in Pſalmis ſpõſio: Poſtula à me, & dabo
» tibi gentes hæreditatẽ tuam, & poſſeſſionẽ
» tuã terminos terræ. Audiſtis eũ morte fuiſſe depreſſum, & hoſtium libidini expoſitũ: ſed vires & imperiũ quomodo reſumpſit, Paulũ
Ephe.1. » buccinantẽ audite: Potentiam virtutis ſuæ
» Deus operatus eſt in Chriſto, ſuſcitãs illum
» à mortuis, & conſtituẽs ad dexterã ſuam in
» cœleſtibus, ſupra omnẽ principatum, & po-
» teſtatẽ, & virtutẽ, & dominationẽ, & omnẽ
» nomẽ quod nominatur nõ ſolùm in hoc ſæ
» culo, ſed in futuro. Quã verò benedictionẽ in oẽs gentes deriuauit, ſatius eſt ab ipſo audire. Hæc eius ad diſcipulos, poſteaq̃ reſur-
Ioan.20 » rexiſſet, dicta: Pax vobis: ſicut miſit me pa
» ter, & ego mitto vos. Accipite ſpiritum ſan
» ctũ: quorũ remiſeritis peccata, remittuntur
» eis. Euntes in mundũ vniuerſum, prædicate
Euan-

Euangeliũ omni creaturę. Qui crediderit, & „ Mar.16
baptizatus fuerit, ſaluus erit. Cognoſcitis iã „
q̃d Chriſti reſurrectiõi debeamus, & quãtis
nos illã bonis gaudiiſq́; cumulauit. Illudq́;
verè à Chriſto tunc vſurpatũ fuiſſe, Conuer-
tiſti planctum meum in gaudium &c. & (vt
antea diximus) ad huius diei, immo Chriſti
gloriam illuſtrandam nõ incõcinne referri,
iuxta mecum intelligitis. Supereſt, vt quo-
modo idẽ Prophetæ vaticiniũ tum mulieri
illi, tum in vniuerſum nobis omnibꝰ, huius
diei ratione, adaptemus, doceamus. Quæ de
mulieris huius fide ac pietate, animiq́; pœni
tudine ſuperiorib. concionibus diximus, nõ
eſt hîc neceſſe multis repetere: rem paucis
perſtringam. A tergo Chriſti pedibus iacet
aduoluta, lachrymas tam vbertim ꝓfundit,
vt pedibus abluendis ſufficerẽt: maceratos
iam capillis tergit, identidẽ diſſuauiatur, vn-
gitq́;. Immanè quantũ hęc Phariſęus abhor
reret: ſubſtomachatur, quare Chriſtus hæc
patiatur, & publicũ propudiũ à ſe non amo
ueat. Ille adhuc ſilet. Animi interim pendet
illa, in quam partẽ Chriſtus tantã eius confi
dentiã, immo illuuiem criminũ ſit acceptu
rus: ſuperciliúmne Phariſæi ſit imitaturus,
an potius pietatis famã de ſe ſparſam cõſer-
uaturus: quod niſi facturũ crediđiſſet, nõ ve
niſſet. Quid multa? non eſt voto fruſtrata.
Chriſtus quũ aliquandiu, & iniquã Phariſęi

mentē,& feruidā mulieris deuotionē,tacitè percurriſſet,ſoluit tandē ſilentium:& hypocritæ illius ſuperbā cogitationē nō obſcurè defigens,cōmemorat,quę ipſe hoſpitalitatē profeſſus, impēdere ſibi officia neglexiſſet: nō curaſſet à via feſſo pedes ablui, nō excepiſſet venientē oſculo,nō alicuius vnguenti aſperſione exhilaraſſet.Quæ quum turpiter ab ipſo negligerētur,hęc mulier ſarcire ſtudebat.Pro aqua illi ſunt lachrymę,ꝓ mantili crines:& quod ille nō feciſſet capiti,hęc oſculis ac vnguento pedes deliniuit. Qua haud dubiè cōmemoratione creuit mulieri fiducia: ſed hanc Chriſtus ad eam cōuerſus, & alloquio dignat⁹, planè & ex omni parte
» confirmat.Remittūtur tibi,inquit,peccata.
» Conſummat verò, quū ſubdit: fides tua te
» ſaluā fecit,vade in pace. Iam nihil ad perfectam cōſummatamq; felicitatem illi deeſt. Hoc eius Phaſe,hic trāſitus ab impietate ad iuſtitiam : poteſtq; verè dicere,Conuertiſti
» planctū meum in gaudium mihi,cōſcidiſti
» ſaccum meum,& circūdediſti me lætitia.
Quanq eadē ratione illud nemo nō poteſt, qui criminū ſuorum à Deo gratiā percepit: Nam perinde atq; aīo ſcelerum conſcientia exagitato familiaris eſt metus,dolor,& cruciatus:ita nihil illo lætius,& ſerenius,quem poſt pœnitētię & culpę profeſſionē indulta abſolutio hāc ſarcina leuauit. Deinde quēadmo

admodum ille habet cur ꝑpetuò ſe plangat diſcrucietq́ue: ita habet iſte, quòd gaudeat, vultumq́; reſumat. Porrò ne mulieré illam tam citò dimittamus, volo quæ Eccleſia de ea canit, hoc loco referre. Multum dimittis „ multũ amanti, nec crimé poſtea repetenti. „ Dęmoniis eam ſeptem mundas ſeptiformi „ ſpiritu. A mortuis te reſurgenté, das cũctis „ videre prioré. Vel ex paucis his verbis, quãtis beneficiis hęc mulier ſit à Chriſto cumulata, & quàm nõ ineptè illi ſuperiora Dauidis verba attribuimus, liquidò cognoſcitis. Interim quæ tribus hiſce verſib. cópræhenduntur, à nonnullis ad Mariam Mágdalenã (de qua crebra in Euangeliis mentio) referuntur. Ab aliis porrò dubitatur, num quæ de nobili illa peccatrice hactenus diximus, ad Magdalenã pertineant: nam de reliquis conuenit. Marcus, eam ſepté dæmoniis, hoc Mar.16. eſt multiiuga peccatorũ ſorde (vt Gregorio placet) à Chriſto liberatam eſſe, apertè fatetur. Iam Euangeliſtæ oés nõ tantùm illi apparuiſſe Chriſtũ, verumetiã nunciam reſurrectionis ab ipſo miſſam, teſtantur: Marcus verò, hoc honore omnibus etiã prælatã ſcribit. Ibidem. Iam ſi verum eſt, qđ nos nõ negamus, mulieré illam nõ aliam q̃ Mágdalenã fuiſſe: tribus vicibus eius planctũ à Chriſto in gaudium fuiſſe conuerſum inuenimus. Primò, quũ ab illa ſepté dæmonia eiecit. Secundò

quũ eam patrocinio ſubleuat,& à cõſcientiæ carnificina ſecurá dimittit. Tertiò,quũ dolores illi oẽs, luctumq; acerbiſſimũ, quẽ ex eius paſſione & morte ceperat,viuum ſe exhibẽdo,abſtergit. Et ſanè poſtremũ hoc
Ioan.20 vt ad hunc diem propriè ptinet,ita à Ioãne non indiligenter fuit literis mandatũ.Nam q̃ prius odio & deteſtatione ſuorũ flagitiorũ ad pedes Ieſu amariſſimè fleuerat: poſtea eiuſdẽ amore tota deflagrans,affectioni tribuit,vt ſub cruce,atq; ad ſepulchrũ nõ min⁹ ſibi à lachrymis temperandũ duxerit. Nemo oĩm Euangeliſtarũ eſt,q huius mulieris ſub paſſionẽ Dñi non pclare meminerit: intantũ vt Matthæ⁹, Marcus,& Ioãnes,paſſionis narrationẽ ab ea inſtituãt:vt quę illi occaſionẽ dederit, p hoc qđ Iudas offenſus vnguenti perditiõe,quod illa in Chriſti caput ſuo more infuderat,inde magiſtri,q factum excuſabat,prodendi conſilium cœpit.Itẽ in paſſionis calce vbicunq; de mulieribus,quę Chriſtũ ſecutæ fuerant,agitur,hæc ſecundũ matrẽ Dñi prima memoratur:quæq; eo die à ſepulchro poſtrema receſſit.Nam poſtridie quòd feſti cauſa à religione otium erat, ſequẽti die primo diluculo comites aliquot ſecũ trahens,ad ſepulchrũ accurrit: in quo quũ dulces illas exuuias minimè repeiſſet, tam efflictim immoderateq; doluit,vt neq; ab hominib.neq; ab angelis cõſolationẽ ſibi adhi-

adhiberi haudquaq̃ pateretur. Porrò,in ho-
minib. q eam cõſolarentur nulli adeò erãt,
quũ ne Apoſtolis quidẽ ſua mens fideſq; cõ
ſtaret. Ab angelis verò tametſi ſpecioſa,nec *Luc.24*
ingrata audiret, tamen quia ſpem potius,q̃
rem ipſam,cuius deſiderio aĩo cõtabeſcebat,
oſtenderẽt,nihil de ſuo dolore remittebat.
Quòd Chriſtus à morte reuixiſſet,id ne leui
quidẽ cogitatione illi vnq̃ in mentẽ venit:
nã q̃ ille indigna ac humana paſſus erat, ita
illi mentis aciem perſtrinxerãt,vt illa omni
voto maiora neutiq̃ de ipſo ſperaret.Tamẽ
quũ aliæ mulieres iterũ dilaberentur,ipſa à *Ioan.20*
monumento non poteſt auelli,ſed perſiſtit
plorans.Quid eñ aliud ibi faceret,vbi eum
quẽ quærebat amiſerat? Audierat antea ab
angelo nõ eſſe ibi Chriſti corpꝰ,ſed vitę red *Mar.16*
ditũ inde ſe amouiſſe:ſed deſiderij impatiẽs
iterũ monumenti antrũ ingreditur,introq;
ꝓſpectat.Mox à duobꝰ angelis,qd ploraret
rogatur:Quibus reſpondet,Tulerunt Dñm ,,
meũ,& neſcio vbi poſuerũt eum. Vix verba ,,
finierat,quũ Chriſtus ipſe illi ponè aſſiſtit,
& fletus ac quęſitionis cauſam ab ea ſciſcita
tur.Illa,hortulanũ eum eſſe ratus,quum mi
nimè cognoſceret: Dñe,inqt,ſi tu ſuſtuliſti ,,
eum,dicito mihi vbi poſuiſti eum,&ego eũ ,,
tollam. Ibi Chriſtus tanto amantis affectu
delinitus,non potuit ſe diutius retinere:ſed
quum eam proprio noĩe cõpellaſſet,ſeſe illi

de

detexit. Quæ mox illi ad pedes aduoluta, tã inſperato gaudio ita abſorpta fuit, vt loquẽdi etiã facultatẽ amitteret. Iã omnis ille dolor euanuerat, ſucceſſerat verò hilaritas & lętitia incredibilis: quã tamẽ vt & aliis cõmunem faceret: Vade, inquit, ad fratres meos, &
» dic eis, Aſcendo ad patrẽ meum & patrẽ ve-
» ſtrũ, Deum meũ & Deũ veſtrũ. Itaq; hęc mulier, nõ ſolùm quãdo à dęmoniis leuata fuit, aut quũ illi peccata remitterẽtur, verũmetiã hoc ipſo dominicæ reſurrectiõis die verè de ſe teſtari potuit, Conuertiſti planctũ meum in gaudiũ mihi &c. Iam vt hęc tandẽ ad nos etiam referamus. Priusq̃ Chriſtus crucẽ pro nobis ſubiit, mortemq; in ea occidit, oẽs promiſcuè peccati, mortis ac diaboli tyrannide cõſpirationeq; premebamur. Quã noſtrę cõditionis miſeriam quũ pius quiſq; maximè cognoſceret, propiusq; ſentiret, quid aliud q̃ iuſtus dolor, & de tã dura captiuitate mœror oẽs inuaſit? Verũ enimuero poſteaq̃ pro
Apo. 1. nobis mortuus eſt Chriſtus, lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, mortem ipſam morti dedit, adeoq; hoſtẽ illum noſtrum fractum ac debilitatum imperio deiecit. Tanta quidẽ & tam pręclara ipſa moriẽdi infirmitate Chriſtus geſſit. At verò quum hãc noua reſurgẽdi poteſtate exornat, eo ipſo iuſtitiã, & vitã, libertatẽq; nobis inſtaurat: vt iã verè cũ Paulo dicere poſſimus, Iuſtificati ex fide,
pa

pacẽ habemus ad Deũ. Et, vt alibi, Viuo aũt, „ Rom.5.
iam nõ ego, viuit verò in me Chriſtus. Et ite „ Gal.2.
rum, Quũ eſſemus mortui peccatis, cõuiuifi „ Eph.2.
cauit nos Chriſto, & cõreſuſcitauit, & conſe „
dere fecit in cœleſtib. Et, Quum Chriſtus ap „ Col.3.
paruerit vita noſtra, tunc & nos apparebim⁹ „
cum ipſo in gloria. Adde & illud quod eſt a-
pud Iob: Scio quòd redẽptor meus viuit, & „ Iob.19
in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſim: & „
rurſum circundabor pelle mea, & in carne „
mea videbo Deũ &c. Hæc vt verè dicere poſ
ſimus, magnaq́; inde fiducia aĩum roborare,
præſtat nobis huius diei ſacramẽtum: quod
tum demũ verũ nobis Phaſe erit, ſi verè hęc
& ſanè dicimus. Proinde videtis & noſtrum
planctũ in magnũ gaudium p Chriſti reſur
rectionẽ nobis eſſe cõuerſum, ſaccũ mœro-
ris conſciſſum, lætitiamq́; vndiq; exorſam.
Quòd ſi iã cum muliere illa peccata noſtra
pœnitẽtia planximus, eadẽq; in Chriſti paſ-
ſione lachrymis deterſimus: nõ dubitemus
& nos in hac eius reſurrectione cũ ipſa itidẽ
audituros, Remittuntur tibi peccata, fides
tua te ſaluũ fecit, Vade in pace. Itaq́; nõ ab-
ſit à nobis gaudiũ, q nacti ſumus in Chriſto
ſolatiũ. Deo laudes ſoluamus, Chriſtoq́; gra
tias, & cõmunẽ de tãto bñficio ſuſtineamus
lętitiã: nec ceſſet in nobis ſtudiũ, ne eã amit
tẽdo patiamur detrimentũ. Qui em̃ mortui
ſumus peccato, quomodo adhuc viuemus in „ Rom.6
illo?

illo? Et ſi cõuiuificati ſum⁹ Chriſto,qd nos denuò morti obiicim⁹? Et quũ ſęui illius ty rãni manus ſemel euaſim⁹,quur illi rurſum
1.Cor.6. deditionẽ facere paramus? Ah chariſſimi fra
» tres,émpti eſtis precio magno: ꝓinde glori-
» ficate & portate Deũ in corpore veſtro. Am̃.

Feria ſecunda Paſchæ.

SERMO QVINTVS.

TAmetſi de euãgelicę illius pecca tricis hiſtoria,q̃ præcipua erant, ac præſenti tempori maximè cõ grua,iam antea decerpſimus: tñ illa q̃ adhuc ſuperſunt,quæq; minimè attigi mus,nõ in totũ duxi omittenda,quũ & ipſa multo ſenſu ſint onuſta, neq; ab huius tpis ratiõe aliena. Hęc aũt tria capita cõſtituunt: de fœneratore,de verbis illis Chriſti, Dimit
» tuntur ei peccata multa quoniã dilexit mul tum, deq; iis quibus hiſtoria illa clauditur,
» Fides tua te ſaluã fecit,vade in pace. Quę ne in medio reliquiſſe videamur, ſtatui de ſin- gulis pauca ſaltẽ verba facere. Et primo qdẽ loco de fœneratore,q duo non paria noĩa ha bebat,dicem⁹: qua nimirũ diſſertatiõe oẽm illã Dei miſericordiã,quã hactenus variis ar gumẽtis immenſam eſſe erga nos docuimus, ſpectandã ꝓponemus. *Duo,inquit,debitores erant cuidam fœneratori: vnus debebat denarios quingẽtos,& alius quinquaginta. Nõ habẽtibus*

illis

illis vnde redderēt, donauit vtriſq̃. Quis ergo eũ plus diligit? Et reſpondens Simō, dixit: Æſtimo quia is cui plus donauit. At ille dixit ei, Rectè iudicaſti. Hæc ſunt quæ ad hanc parabolā pertinent: quæ tametſi verbis eſt anguſtior, ex iis tamen ad Chriſtianam inſtitutionē non pauca colligimus. Et primò quidem, Deum eſſe, à quo nobis, quęcunq; bona ſunt proueniunt. Deinde, nos Dei offenſam peccando incurrere. Tertiò, neminem eſſe qui non ſit Deo peccato obæratus. Quartò, nō eſſe aliquē ſoluendo, q de peccato debeat. Quintò, diuinę eſſe bonitatis quòd nobis peccata relaxet. Sextò, eā relaxationē meritò à nobis debita gratitudine ac beneuolētia ꝓſequendam. Quæ quidē vitæ documenta quũ parabolæ ipſius cōmata penè ęquēt, eiuſcemodi tñ ſunt oĩa, vt in hoĩum memoria, maximè hoc paſchali tp̃e, cōtinuò ſit verſari neceſſe. Quum enim ſeriò animaduerſa hoc pręſtēt, vt nos ad gratias Deo referendas, de beneficiis q̃ primùm in genere ꝑ Chriſti paſſionē ac reſurrectionē, deinde q̃ priuatim per pœnitentiæ & euchariſtiæ ſacramenta percepimus, excitent, inſtigentq;: q̃ tam ſalubris & iſti tempori accōmodata cogitatio à nobis ſuſcipi poſſet? Quod quũ per partes declarare cœperimus, fiet lucidius. Inprimis nemo neget; per hunc fœneratorē nō alium q̃ Deũ intelligi: vt q, teſte Iacobo, dat omnib. „ Iac. 1.
af-

affluenter,& non improperat.Ipſius omnia ſunt,q̃ ad corporis neceſſitaté tuendá,ad vitę ſubſidia paráda,ad aíæ ſuſtentationē iam nunc accipimus: & q̃ in poſterum æterna
Ibidem „ expectamus.Omne datum optimũ (inquit idem) & oḿe donũ pfectum deſurſum eſt, deſcendens à patre luminũ.Cæterũ hæc ad vſuram planè nobis erogat,quã in propriæ ſalutis ꝓcuratiōe,in ꝓximi vtilitate,deniq; in ipſius veneratione atq; obſeruãtia collocatam cupit. Itaq; ſua dona ſorti nobis eſſe iubet, ipſumq; fœnus acerrimè eſt à nobis exacturus: quēadmodum in ea parabola,q̃
Mat.25. de hoc ꝓpriè loquitur,nó diſſimulauit ipſe. Secundo loco diximus,nos Dei offenſioné ꝑ peccatũ incurrere: vel quòd bonis acceptis abutimur,vel quòd etiam libidine inſtigati mala adiicimus. Cui multũ datũ eſt,multũ
Luc.12. quęretur ab eo:& cui cõmendauerũt multũ plus petent ab eo: ait Dñs apud Lucá. Quid
1.Cor.4 „ autē habemus quod nó accepimus? Si verò accepim⁹,ſed ex largitoris mēte nõ vtimur, illius certe bonitatē irritam⁹,atq; eludim⁹. Tertiò,quum debitorũ meminit,nos oēs in ære Dñi noſtri eſſe,quanq̃ alterũ altero grauius,apertè cõfirmat. Quēadmodum Deus dona ſua ad certã menſurã nõ omnib. diſtribuit,ita alius alio iis magis abutitur.Quãuis interim nec q pauciora accepit, nec q min⁹ abutitur,nõ etiã in ęre dñi ſui eſt,æquè atq; ille,

ille,q vel accepit potiora,vel nõ erogat prũ
denter. Vterq; debet,vterq; dicat, Pater di- » Mat.6.
mitte nobis debita noſtra. Et q̃uis alius alio »
leuius debet,neuter tñ parũ debet. Fortaſſis
vnus denarius nõ cõſtitueret debitorẽ. Sed
quid? Nõnne graue nomẽ eſt,qđ quinqua
ginta obæratur? Hoc tamẽ iſti fœneratori
altero leuius eſt: nam illud de quingentis
erat relatũ. Quid hoc, chariſſimi,aliud ſibi
vult,q̃,nos nõ obæratos eſſe tantùm oẽs,ve
rũetiã nemineẽ nõ grauiſſimè atq; multipli
citer. Delicta quis intelligit? ait ſanctus ille » Pſal.18
Propheta. Sapiens porrò ille,etiam iuſtum
ſepties in die poſſe cadere,apertè pnunciat. » Pro.24.
Quæ eò ſpectãt,vt varietatẽ,& multitudinẽ
criminũ noſtrorũ & diligẽter inueſtigare,&
própte agnoſcere diſcamus. Supereſt vt nec
magnitudinẽ diſſimulemus. Chriſtus ea de-
biti nomine cõpræhendit: quo etiã à nobis
cẽſeri debere,ſatis innuit, quum ita orandũ
nobis præſcripſit, Pater dimitte nobis debi
ta noſtra. Et certe peccatũ recte debitũ vo-
catur,quum eius deſignatiõe & cultum quẽ Mat.6.
Deo debebamus,obedientiamq; non ſolui-
mus: & morti,à qua aliena liberalitate iam
liberati eram⁹,nos denuò obſtringimus. Nã
verè Ezechiel, Anima q̃ peccauerit,ipſa mo Eze.18.
rietur. Quodã loco apud Matthæũ debebat Mat.18.
quidã decẽ milia talentorũ: grauiſſimis in-
numeriſq; peccatis obſtrictũ intellige. Et qs
hoc

hoc de ſe dictũ nõ metuat, modò nõ pigeat illi longiſſimè recordari, quãta primũ generalia Dei beneficia iã inde ab orbis incunabulis, quãta rurſus à puero propria ac ſingularia ſit expertus: & quãta viciſſim ingratitudine, ac maleuolentia, immo & pfidia hęc ipſa cõmaculare & retaliare laborarit? Quartò, facilè eſt ex iiſdem verbis colligere, in noſtra poteſtate nõ eſſe, debitum vt cõtrahere, ita diſſoluere. Nam facultates noſtrę vel nõ tãtæ ſunt, vel potius nullæ ſunt. Quid enim habemus, cuius, tanq̃ proprij, præſtatiõe nomẽ noſtrũ liberare queam⁹? Ipſius ſunt oĩa. Et ſi quid noſtrũ erat, id, quoniã ab ipſo profectum, iam antea illi debebamus. Si omnia debemus beneficiis acceptis, quid dabimus pro vitiis ppetratis? Chriſtus apertè neutrũ ſoluendo fuiſſe aſſeuerat: tam illum q quinquaginta tm̃ denarios debebat, q̃ qui quingentos. Et quis obſecro vel vnius teruncij peccatũ ꝓpriis copijs diluere poteſt? Ergo nõ pro omnibus omnium peccatis mortuus eſt Chriſtus. Verũ enimuero quòd mortuus
Rom. 5. eſt (vix enim ꝓ iuſto quis moritur) ſatis euidẽter hoc ipſo docuit, nullum cuiuſquã peccatũ alia ratione q̃ ſuę mortis interceſſione poſſe diſſolui. Quare q ex tam p̃cioſę mortis theſauro non ſtudet diteſcere, is fruſtra ſperat ſe poſſe debitũ diſpungere. Ex his chariſſimi, & debiti noſtri magnitudinẽ, Chriſtiq;
ſum-

ſumma illa erga nos merita, diſcamus agnoſcere: exhorrere illa, iſtũ amplecti. Quintò, per hoc quòd ſubiungitur, Non habentibus „ illis vnde redderẽt, donauit vtriſq;: intelligi „ dixi, Deũ ſola ſua innata pietate nobis peccata laxare. Exigit quidẽ à nobis vt pœnitẽtiam agamus, peccatum auerſemur, cõfiteamur etiam, imploremus ſedulò eius miſericordiam: ſed hæc, & alia multi laboris ac temporis vt faciamus, nihil tamẽ nobis adſcribitur, aut gratiæ detrahitur: cui vni peccatorum remiſſio, & integra debetur. Quid enim nobis à pœnitẽtia, quæq́; ad eam ſpectãt, pręſidij adeſſet, niſi ad hęc Deus ſuapte ſponte aĩum voluntatemq́; adiungeret, gratuitaq́; quadam beneuolentia ſe ita factur ũ antè ꝓmiſiſſet. Nõ ex operib. iuſtitiæ q̃ feci „ 2.Tim.3.
mus nos, ſed ſecũdum ſuam miſericordiam „ ſaluos nos fecit. verba Pauli ſunt. Iam & Da „ Pſal.50.
uid ita orat: Miſerere mei Deus, ſecundum „ magnã miſericordiã tuam, & ſecundũ mul „ titudinẽ miſerationũ tuarum. Poſtremò, parabolam hãc eò ꝑtinere oſtendit vt quò numeroſius debitũ nobis Deus remiſit, eò vehementiori amore tantą liberalitatẽ proſequamur. Id quum nullo nõ tempore ſummoq́; iure Deus à nobis requirit, & nos pręſtare eſt ęquũ: nunc vnicè, & maximè. Obtinemus hodie per Chriſtum gratuitã omnis impietatis, & ingratitudinis noſtræ aboli-

tionẽ: nónne par eſt,chariſſimi,vt hîc cum
ipſo amore & beneuolẽtia certemus?Immo
quãtopere nobis res illa cordi antea fuit per
continuas preces, per lamenta, & ſuſpiria:
tantopere iam voti compotes nos gratiores
declarare debemus. Et ſi in amplectẽda ex-
ercendaq́; pœnitentia nos totos ꝓfudimus,
iam in amoris exercitio ne ſegniores eſſe ve
limus. Enimuero horũ dierum ratio ita po-
ſcit. Sequamur pſalmographũ præeuntem,
Pſal. 17 „ accinamusq́;: Diligam te Domine fortitudo
„ mea, refugiũ meum, & liberator meus. Præ-
„ occupauerunt me laquei mortis: ad Deum
„ meum clamaui, & exaudiuit de templo ſan
cto ſuo vocem meam. Hęc ferè ſunt, quę pa
rabolæ illius occaſione, dicenda occurrerẽt:
quæ ſi in aĩmo recondere volumus, aſſeque
mur haud dubiè, vt non tam cito ad inge-
nium redeamus, oĩum quę nunc ſumma Ec
cleſię diligentia vobis ingeruntur obliti. Fi
nem facerẽ, ſed ob argumenti vicinitatẽ, de
„ verbis illis Seruatoris, Dimittuntur ei pec-
„ cata multa, quoniam dilexit multum: nunc
etiam ſatius videtur nonnihil dicere. Si in
cortice horum verborũ hęreas, illud dicere
videtur, eius magno amori debitũ ac datum
fuiſſe, vt multorũ criminum gratiam aufer-
ret. Quod ſi verum eſt, iam in aperto mẽda-
cio tenemur, qui peccatorũ remiſſionẽ vni
diuinę bonitati tranſcripſimus. Nam ſi illa
id

id amando ita obtinuit,vt ſi nõ amaſſet, nõ habuiſſet:quomodo ibi erit locus gratię,vbi eſt debiti cõfeſſio? Ad hanc quæſtioné non vno modo reſpondetur. Nonnullis placet, Chriſtum non hic loqui de peccatorum remiſſione,ſed de noxę,quę peccatis debetur, indulgentia: ſeq; ita circumuallant. Nemo poteſt Deum verè atq; efficaciter diligere, qui peccata necdũ ſibi remiſſa eſſe pro certo exploratoq; non habet: nam ex illa perſuaſione, naſcitur primùm, atq; ingrandeſcit amor. Tantiſper enim dum me alicui obæratum eſſe mihi ſum cõſcius,quomodo amare illum poſſem, cuius occurſum ſemper,ſi liceat,libens vitarem? quę quum ſola ſit cauſa quur eum habeã inuiſum, amabo certe faciamq; plurimi,hãc mihi ſi ſua liberalitate ademerit.Quare inuertunt iſti orationis faciem: vt quoniã illi Chriſtus antea peccata multa remiſerat,multum nũc eum viciſſim diligat. Quòd ſi hoc nõ admittis, ꝑ peccata quæ ei remittuntur,debitã peccato pœnam aſtruunt debere intelligi: vt ſit iſte verborũ eius ſenſus.Quũ tanta ſit huius mulieris gratitudo,tantaq; ardentiſſimi amoris atteſtatio,quòd debitũ illi, quo mihi obſtricta erat,omne liberaliter remiſi:ſanè & hoc meretur,quæ beneficiũ tantopere agnoſcit, vt nõ modò debitum illi remittã,ſed ne nomen quidé eius in rationibus meis amplius

 eſſe

eſſe velim: hoc eſt, vt non ſit tantùm à peccati morbo libera, verùmetiã conualeſcat ſine pœna. Sunt alij qui diſcrimen inducunt amoris, vt alius ſit qui remiſſioné peccatorũ præcedat, alius qui ſequatur. Illud conſtat, in hominis iuſtificatione binas eſſe Dei partes, hominis verò vnas. Deus & fundamentum iacit, & faſtigium imponit: homo interim nõ eſt ocioſus, ſed negociũ ſuum, quantum in ipſo eſt, prouehit. Interim eius eſt opus, qui fundamentũ iecit. At quomodò Deus iacit? Primò legis interminatiõe, quæ qd debeatur peccatis ſupplicij grauiter intonat, homini ſcrupulum iniicit: hunc rurſus Euangelij annunciatione, in quo omnibus per Chriſtum venia ꝓponitur, ita tollit, vt iam certa quadam pſuaſione ad credenda quę audiuit homo ille ducatur, neq; adeò deſperet, fore vt ſibi peccata remittantur. Qua porrò perſuaſione & ſpe quum magis magiſq; roboretur, ad tantam Dei bonitatẽ amandam ſenſim inducitur: iam auerſatur peccatum, iam diſplicet ſibi, iam cõfeſſione ſe incuſat, dolet, plorat, & vt ſibi reſtituatur ſupplicat. Quæ quum oĩa ad fidem, ſpem, & charitatẽ pertineant, tantò citius ad veniam indulgendã Deus propendet, quantò illa in pœnitentiæ actione neruoſiora exſtiterint.
„ Per hoc itaq; quod dicit, Dimittũtur ei pec-
„ cata multa, quoniam dilexit multum: fidei
ipſius

ipſius,ſpei, & amoris ſynceritatẽ vehementiamq; cõmendat:vt quę non à ſeruili quopiam timore,ſed à pura in Deum affectione erãt profecta. Porrò quum ſeruilem timorem nomino,facilè,vel me tacente,differentiam eſſe inter piorum & deſperatorũ pœnitentiam intelligitis. Dolebat hauddubiè Caino,Saüli,& Iudæ,quòd peccaſſent: ſed illud nimirum quòd in tantum diſcrimen ſe cõieciſſent. Certe & damnati qui iam ſunt, de pœnarum illa acerbitate nimis q̃ dolẽt: ſed hæc infructuoſa & ſera pœnitentia. Aliter pij dolent:nempe ob id,quòd tam bonũ Dñm,quẽ cultum adamatumq; oportebat, peccando tam grauiter offenderint:ab officioq; tam leuiter receſſerint. Qui verò affectus Deo tam gratus eſt,vt iam amplius offenſæ meminiſſe non queat:non quia peccatoris illud eſt meritum, ſed quia tale eſt eius,quo ſe pœnitentib.obſtrinxit,promiſſum.Hanc quã iam poſteriori loco aſſignaui reſponſionem,plures amplectuntur.Sed de his iam ſatis. Accommodatũ eſt ad noſtræ orationis finem,quod in fine huius hiſtoriæ Chriſtus mulieri ad firmitatẽ dixit: Fides tua te ſaluã fecit, vade in pace. Nam id nobis omnibus,æquè atq; mulieri illi dictum conſtat.At cui fidei? Chriſtũ pro nobis hominẽ induiſſe,pro nobis paſſum,mortuum, reuixiſſe iterũ, aſcendiſſe demum in

cœlum, inde miſiſſe vicarium ſpiritum ſanctum, cuius virtute atq; operatione, & peccatorum remiſſionem, & quę ſunt alia eius chariſmata, nobis in vera catholicaq; Eccleſia miniſtrari. Fides iſta confert nobis ſalutem, & animum metu anxietateque ſoluit. Inde pax ſequitur, non modò tranquillitas in animo, verumetiam ſocietas cum Deo. Conſultiſſimum igitur fuerit, chariſſimi, vt hanc pacem ita animo retineamus, ne mali iteratione, eaq; amiſſa inteſtinum iterũ diſſidium, cum Deo, cum nobis ipſis, cum religione ipſa concitemus. Gratia Dei cum omnibus nobis. Amen.

Feria tertia Paſchæ.

SERMO SEXTVS.

IAm continuis quinq; cõcionib. ab ipſo nimirum die Palmarũ, Euangelicæ illius peccatricis hiſtoriam, ad illa, quæ præ manib. erant ita accõmodaui, vt ad Domini paſſionem, & reſurrectionẽ ritè percolendam nõ minus documento ſeruierit: q̃ adhortationi ad pœnitentiam, ſacramq; communionẽ. Et niſi me mea fallit opinio, nõ ineptè ad rem faciebant, q̃ inde adduximus: niſi illud fortè quis improbarit, quòd in eius expoſitione queẽadmodum in Eſra fecimus, ordinem minimè ſecuti ſumus: argumentorũ nimirum di-

diuerſitate conſtricti: quibus ea tantùm delegimus, quæ oportuna viderétur. Et quidẽ quátuor illis primis diebus ſua quaſi capita erãt: heri verò, ne quid reliquiarum periret (quale erat Domini ad Apoſtolos pręceptũ) *Ioan. 6.* quæ reſtabant fragmenta ſeriò ſtudioſéque collégimus. Hic dies quandoquidem prioribus eſt connectendus, allegoriæ, quæ ſola reſtat, dabitur, idq́; q̃ potero pauciſſimis abſoluã, vt hic ſermo, quẽadmodum Paſchali prædicationi, ita & præſenti hiſtoriæ finem imponat. Allegoriæ porrò rationẽ non aliunde quàm ab Eccleſia ipſa petamus: quæ in ſacro hymno ita canit: *Hanc Chriſte proſelytam ſignas Eccleſiam, quam ad filiorũ menſam vocas alienigenã. Quam inter cõuiuia legis & gratiæ ſpernit Phariſæi faſtus, Lepra vexat hæretica. Qualis ſit tu ſcis, tangit te quia peccatrix, quia veniæ optatrix. Quid nam haberet ægra, ſi non accepiſſet, ſi nõ medicus adeſſet? Rex regum diues in omnes, Nos ſalua peccatorũ tergens crimina, ſanctorum ſpes & gloria.* Habemus in his aptiſſimæ allegoriæ ſummam. Certe quæ cũ illa muliere Chriſtus dixit & fecit, ita ad illam retulit, vt ab eorum commercio eam minimè excluderet, quæ ſimilibus officiis in finem vſq; mundi eum demereri nunquam deſineret. Quę porrò illa? Eccleſia eſt, ex gentibus collecta, q̃ ſeipſam hìc proſelytam, hoc eſt aduentitiam alieni-

Ioan.10. genamq́; appellat. Non enim ad ouile Iſraë lis pertinebant ethnici, ſed ab eo penitus a-
Eph.2. „ lieni, intantum vt illo in tempore eſſemus „ ſine Chriſto, alienati à conuerſatione Iſra- „ el, & hoſpites teſtamentorum, promiſſionis „ ſpem nō habentes, & ſine Deo in hoc mundo. Mulieris verò huius tam infamis vita erat, vitiisq́; tota ita obſorduerat, vt hoc nomine iam quaſi nobilitata eſſet. At poſteaquā Apoſtolica prædicatione Chriſtum didiciſſet, renunciauit priſtinæ turpitudini, totoq́; animo ad Deum conuerſa, quò plus antea luxui ac libidini ſeſe dedidiſſet, hòc ardentiori affectu ſuum redemptorem eſt amplexa: vt nihil eorum omiſerit, quæ de ſua peccatrice Lucas cōmemorat, & nos antea narrauimus. Chriſtum ſolum verū medicum animarū duxit, ad ipſum irrupit, illi lachrymas ſuſpiriaq́; profudit, ad eius pedes miſericordiam implorauit: immo pedes eius, quibus humanitas deſignatur, fidei palmis latiſſimè eſt amplexa, eſt exoſculata, irrorauit deuotionis lachrymis, amoris vnguento deliniuit: & hæc quidem iam inde à mille quingentis annis ita fecit, vt nec hodie facere vſquam ceſſet. Hęc illa mulier eſt quā Chriſtus Phariſæo attendendā demonſtrauit, cuius temeritatem quòd vbi accumbebat irrumperet, vel quòd peccatrix erat, non caſtigauit, nō reiecit: illa verò bene ac-

ce-

ceptam ſe recordata, tametſi ea filiorũ men
ſa erat, hactenus nõ eſt ſe paſſa auelli, ſed in-
ter conuiuia legis & gratiæ, vtroq; apparatu
pulchrè ſe paſcit, adeoq́; ſaginat. Legis ap-
paratus animæ palatũ excitat, vt ſapiat in-
ter bonum & malum, faſtidiat peccatũ, ne
ſibi tremendũ Dei iudicium accerſat. Porrò
gratiæ cibus, mera eſt, fidei, ſpei, & amoris
conditura. Cui ſanè conuiuio quum mulier
hęc vſq; nunc accumbat, rumpuntur Iudęi,
hæretici bacchantur. Certe phariſaicus ille
Iudæorũ faſtus ſe illi oppoſuit, & quũ eam
ſupercilio (vt putabat) facile ſua ipſorum
menſa prohibere non poſſet, ſtomachum in
Chriſtum exonerauit, quòd ethnicos canes
à mẽſa filiorum Dei minimè ſummoueret.
Meſſiæ promiſſum aduẽtum ad ſe vnos re-
uocabant, idq́; generis fiducia, quæ hoc me-
reretur: à quo quũ illi eſſent alieni, hac gra-
tia indignos iudicabãt. Immo & hodie perfi
diam ſuam hoc prętextu palliant: vt quum
Chriſtus in promiſſionis ſocietatem gentes
admiſerit, haud quaquam pro Meſſia ſit Iu-
dæis habẽdus, vt qui hos ſolos ſit agniturus:
quaſi Deus, Iudęorũ ſit tantùm, & nõ etiam
gentium. Hanc calumniam vſq; ſuſtinet Ec- Rom. 3.
cleſia, quæ eſt ex gentibus fidelis: ſed quum
ſua felicitate cõtenta tacet, Chriſtus ipſe e-
ius cauſam tuetur, patrociniumq́; contra Iu
daicam inſultationẽ interponit. Quod quũ
aliâs

aliâs ſæpe, maximè in parabola illa quæ eſt
Luc.15. de filio prodigo. In qua quum maiori natu
filio res indigna videretur, iuniorẽ illum de-
coctorẽ tam facilè in gratiam recipere: quid
» illi Pater reſpondet? Fili, tu ſemper mecum
» es, & omnia mea tua ſunt. epulari autem &
» gaudere oportebat: qa frater tuus hic, mor-
» tuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus eſt.
Quibus verbis quid aliud facit, q̃ quòd mu
lierẽ iſtam proſelytam à phariſaica procaci
tate liberat, nolitq; grauatã? Non diſſimilis
Mat.20 parabola eſt apud Matthæũ, de iis qui con-
ducto in vinea operabantur: vbi & illi, qui
primi ad opus venerãt, patrem familias ſug
gillant, quòd iis qui ſerò ſuperueniſſent, pa
ri ſecum mercede remuneraret. At ille: A-
» mice, inquit, nõ facio tibi iniuriam. Nónne
» ex denario conueniſti mecum? Tolle quod
» tuum eſt, & vade. volo autem & huic nouiſ-
» ſimo dare, ſicut & tibi. Aut non licet mihi
» quod volo facere? An oculus tuus nequam
» eſt, quia ego bonus ſum? Quid hoc patroci-
nio efficacius? quid nobis dulcius? Proinde
nõ poſſum; quin ad cõſolationẽ noſtram &
Mat.21. illam parabolã in medium adferam, quę eſt
de duobus filiis: qui ambo iuſſi à Patre, vt
ad faciendum opus in vineam abirẽt: alter
ſe facturum dixit, ſed minimè fecit: is verò
qui negarat, poſtea dicto audiens fuit. Iam
rogat Chriſtus, vter horum patri morẽ geſ-
ſit?

fit? Poſterior, inquiunt Phariſæi, & rectè: ſuo ſe interim gladio iugulantes. Certe legis promulgatione iniunctũ erat illis, vt in vinea Domini laborarent: dum fœdus icerent, ſpondent ſe oĩa facturos, quęcunq; ille iuſſiſſet: interim nihil minus faciebant, quũ nemo oĩm eſſet, qui legem ſeruaret. Ethnici porrò, ſemp diuinæ voluntati quaſi ex profeſſo refragabãtur: poſtea verò quàm in Dei notitiam peruenerunt, priorẽ ignauiam deteſtantes in Dei opere tam laborioſi diligentesq; fuerunt, vt Chriſtus ipſe publicanos ac meretrices prę Iudæis ad regni gloriã admiſſum iri, neutiquam diſſimularet. Audiſtis q̃ ſtudioſe gentilis Eccleſia contra Iudæorum calumniam à Chriſto ſit defenſa. Paulus in eandẽ ſententiam nõ rarò etiam diſſerit, maximè in duabus illis epiſtolis, quarum altera eſt ad Romanos, ad Galatas altera. In iis eodem ſanè loco, quòd ad peccati obligationẽ attinet, Iudęos ducit cum gentibus: neq; his nõ tam promptã exponit Dei benignitatẽ, q̃ illis. Oẽs, inquit, peccauerũt, ſiue Iudæi, ſiue Græci: & egent gloria Dei. Et alio loco, eiſdẽ ſuperciliũ detrahens: Exiſtimas hoc, ô homo, qui iudicas eos q talia agunt, & facis ea: quia tu effugies iudiciũ Dei? In quo enim alterũ iudicas, teipſum condemnas: eadẽ eĩ agis quæ iudicas. Et cõcludit: Tribulatio, & anguſtia in oẽm animam hoĩs operantis malum

Exo.24 Ioan.7. Mat.21. Rom.3 Rom.2

„ lum, Iudæi primùm & Græci: gloria autẽ &
„ honor, & pax omni operãti bonum, Iudæo
Rom.9. primùm & Græco. Alibi in hunc modum:
„ Oſtendit DEVS diuitias gloriæ ſuæ in vaſa
„ miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam:
„ quos & vocauit, nos: non ſolùm ex Iudæis,
Oſee.2. ſed etiam ex gentibus: ſicut in Oſee dicit,
„ Vocabo nõ plæbem meam, plæbem meam:
„ & non dilectam, dilectam: & nõ miſericor
„ diam cõſecutam, miſericordiã conſecutam.
Ro.10. „ Et proximo capite, Non eſt diſtinctio Iudęi
„ & Græci: nam idem Dominus omnium, di
Ioel.2. „ ues in omnes qui inuocant illum. Omnis
„ enim quicunq; inuocauerit nomẽ Domini
ſaluus erit. Hæc & multa alia ꝓ nobis à Pau
lo diſputantur: ſed iſtis poſſumus eſſe contenti. Supereſt, vt quemadmodum mulier
illa euãgelica nihil morabatur Phariſæi vultum, ſed ad pedes Chriſti immota reſedit,
pergitq; adeò perficere quod cœperat: dum
modo Chriſtum quod faceret ꝓbare, immo
& patrocinio ſe ſubleuare, intellexit: ita &
nos, ne tantillum quidẽ Iudaicum ſupercilium, liuorémue faciamus, ſed Chriſto, qui
authoritate ꝓ nobis intercedet, noſmet inſinuare pergamus. Quamdiu ad Chriſti pedes
nos acquieſcimus, nõ poterunt Iudęi nobis
non obtrectare. Immo quamdiu erit pecca
tor, qui ſe ad Chriſtũ conuertat, nõ deerunt
faſtuoſi hypocritæ, qui illum obliquis ocu-

lis nō deſigant: Iam Eccleſiæ non à Iudæorum tantùm arrogantia negociū faceſſitur, ſed lepra hęretica; aut potius leproſi hęretici eam quoq; vexare non ceſſant. Alluſum ſanè eleganter, ab eo qui huius ſacri carminis author eſt, ad huius Phariſæi cognomē, quod leproſo fuiſſe ex Matthæo & Marco Mat.26 eſt manifeſtū. De cognomine quidem tacet Mar.16 Lucas: verū in hoc cum illis cōſentit, quòd illi nomē Simoni fuit: illi inquam qui mulieris hanc audaciam tacitè arrodebat, & in cuius ædibus hæc geſta narrantur. Vt vel hinc ſatis liqueat, & in vna eademq; domo, & non niſi ab vna muliere geſta fuiſſe: q̄ Lucas de famoſa quadam peccatrice, Matthęus Luc.7 & Marcus de muliere quadam, quā non nominant, Ioannes de Magdalena Lazari ſorore, commemorant. Sed non hoc ago. Ioan.12 Similitudinis ſanè ratio in hoc aptè cōſiſtit, quòd is qui mulieris pietatem hanc ſuggillat, nō ſolùm Phariſęus, verumetiam leproſus fuerit: Eccleſia verò hactenus à triplici hoſtiū genere exercitata, appetitaque fuit: Iudæis, Tyrannis, & hęreticis: verùm ex his tyranni primi iam olim defecerunt. Iudæi verò ingenium adhuc obtinent, infrendent aduerſus hanc mulierem, non ferunt fidei nomen penes nos eſſe: & quamuis ita eſſe vix credunt, inuident tamen hanc nobis perſuaſionem. Iam vt triticum nō eſt abſq; zizaniis, ita Eccleſia

cleſia ſemp̄ patitur hęreticos. Hij nunq̃ ceſſant Eccleſiā oppugnare, ſi minus ſuccedit aperta vi, cuniculos agunt, & lepræ ſuæ venenū clancularió ſpargunt, afflantq́; incautis. Euoluat veteres hiſtorias q legere nouit, videbit quantū mali ab his ſępe Eccleſię eſt conflatū, dum morbum tam cōtagioſum ſanis pmiſti, ſimulatores ipſi peſſimi, adeò periculoſe circumferunt. Quanq̃ nō eſt quòd ad hiſtorias vos relegem: poteſtis ex horum temporū perturbatione, & quæ recenti adhuc memoria paſſa eſt Eccleſia, cognoſcere, q̃ multos huius morbi contagio inuaſerit, quanto cum diſcrimine etiamnum ſerpat: vt pro pace bellum, pro vnitate ſeceſſiones, pro religione licentiam, pro pietate nequitiam, pro inſtaurata libertate omnium rerum confuſionē inuexerit. Ah felicem Eccleſiam, priuſquā in eius corpore hæc lepra irreperet. Nunc infelix mulier vndiq; proſcinditur, ac iactatur: nam qui per ſe ſunt ex profeſſo hoſtes, in huius perniciem amici ſunt iuratiſſimi. Sed quid? ſecura eſt mulier, ne mouetur quidem illis ſibilorū p̄cellis, vt quæ morbum hunc in ſe minimè cadere poſſe cognoſcit. Scribant, ſtringant ſtilum, ad rauim vſq; clament, ducant partes, canant claſſicum, fingant mille nominum ac ſectarum portenta: illa ad IESV pedes, vbi ſe fixit, immota cōſiſtet. Tenui eum, nec dimit

mittã:ait in Canticis. Gratiæ ille locus eſt, » Cant.3
non patietur ſe auelli. Immo q illam mundam fecit,vt ſponſam caſtã haberet,non eſt paſſurus vt tam felix copula per adhæſionem lepræ ſcindatur. Et ipſa tametſi extra periculum ſe eſſe non ignorat, tamen vim vbi metuit,ſpongias imitatur,quæ quò vio lentius auelluntur,hòc firmius ſe affigunt: opponit preces,criminib. medetur,& quantum poteſt quicquid debile eſt, quod cito morbum duceret, ſolidare obducereq́; conatur.Et quid illi cõſultius,quàm quò magis infeſtatur, exploditur, irridetur, eò fidentius cauſam ſuam Deo committat? illudq́ue ſponſo ſuo identidem occlamet:
Qualis ſim tu ſcis,tango te quia peccatrix, »
quia veniæ optatrix? Paratum ſanè & im- »
penetrabile aduerſus hoſtiles machinationes omnes ſcutum hoc, quòd Deum habet cordis ſui conſiliorumq́; omnium cognitorem: vt q extra ipſum nihil illam quærere, omniũ ſaluti, etiam hoſtium,inſeruire velle,eò preces ac ſtudia conferre,perſpectiſſimum habet. Nam vt ſequitur: Quidnam haberet ægra, ſi non accepiſſet,ſi non medi »
cus adeſſet? Reſtat chariſſimi, vt hac in re illam ſedulò imitemur,accinamusq́;: Rex regum diues in omnes, nos ſalua peccato- »
rum tergens cuncta crimina,Sanctorũ ſpes »
& gloria. Hic ſcopus eſt, quò omnis hæc
hiſto

hiſtoria,noſterq́; conatus tetendit.Qualem Chriſtum ducere, & quid ab eo poſtulare debemus,paucis ibi comprehenditur. Rex eſt regum,vt tutò in illum fiduciam noſtrâ collocare poſſimus. Diues eſt in omnes,pietate ſcilicet,vt neceſſitatem illi noſtram nihil hæſitantes aut trepidantes aperire audeamus. Idem eſt ſpes & gloria ſanctorum ſuorum,quem nunquam deſeramus,in quo & huius & æternæ vitæ ſunt præſidia omnia conſtituta.Porrò duorum generũ ſunt, quæ ab eo petere habemus:prius,vt ſordes criminum noſtrorũ detergere ac inducere velit: alterum,vt quum hîc & animo & corpori bene eſſe iuſſerit, nos ſibi & æternum adiungat. Sanè vtrunq; hoc mulier illa ab ipſo petiit,& obtinuit. Quare & nos talia, ad ipſius honorem,noſtramq́; ſalutem continuis precibus efflagitemus:nihil eſt quod vel voto maius vtiliúsve optare poſſimus.

DEVS OPT. MAX. nos omnes eo ſpiritu imbuat,vt mulieris illius ardorem ita referamus,vt & quæ illa à Chriſto obtinuit, & nos obtinere poſſimus, Qui viuit Deus in ſæcula. AMEN.

FINIS.

QVADRAGEſimale alterum Ioannis Feri de filio prodigo: & ipſum Mogunciæ pro concione habitum.

De filio prodigo, FERIA .IIII. CINERVM: SERMO PRIMVS.

NEmo ita exiſtimet, Chariſſimi fratres, eam eccleſiaſtici muneris rationem, quo nunc ab hoc inde die ad Paſcha vſq; ſtudioſius & crebrius apud vos verba facimus, certo tempori ita eſſe aſtrictam, ac ſi alterum altero præſtantius ſit habēdum. Non ea Eccleſiæ mens eſt: cui nullum tempus, non ſanctum, & conſecratū eſt. Et quã ſi audierimus, quod hodie agimus, quod in ſacro die Paraſceues, quod in ſolenni feſto Paſchatis, id nullo non tempore, nullo non die agere debemus. Quod ne propheta quidem Eſaias tacuit, quum ait, menſem futu- *Eſa.66* rum ex menſe, & ſabbatum ex ſabbato. Sed & alio loco ita vaticinatur: Et qui redempti » *Eſa.35* fuerint conuertentur, & venient in Syon cũ » laude, & lætitia ſempiterna ſuper caput eo- » rum. Verùm quòd hoc tempore tam multi in docendo & exhortando ſumus, nó aliam

T cau-

cauſam habet,q̃ quòd illum Chriſtianæ inſtitutionis locum nunc ordine tractamus, quem carnalis homo,vetus ille Adam ſummoperè auerſatur,nec ſibi ſine maxima difficultate ſinit perſuaderi. At quem illum? Nempe qui agit de pœnitentia, hoc eſt, vitę correctione. Habent noſtræ philoſophiæ capita alia ſua quædam oblectamenta: quæ ſi minus habent propria, condiri tamen poſſunt: at pœnitẽtia veteri illi Adamo,qui corruptum vitio palatum habet (ſed cui ſanando illa adhibetur) ſemper pœnitentia, hoc
Gen.3. eſt,ſemper amara eſt.Odium illud quod aduerſus eam, quum adhuc in paradiſo eſſet, contraxit,necdum facilè deponit: immo & in poſteritatem oẽm tam inueteratũ tranſmiſit, vt ne tunc quidem quum ægri lecto decumbimus,aliqua iam parte præmortui, quum ad Chriſti tribunal nos iam rapi cernimus atq; ſentimus,eius recordationẽ patienter feramus. Adeò inuiſum eſt nobis illud,Emendemus in melius: tam odioſa vitę illa correctio,vt ea omnia nobis amara ducamus,in quibus antea voluptatem conſtituimus. Illud certe nemo diffitebitur, belli ducem aliquem,nõ tam lingua q̃ moribus barbarum,citius decem millia hominũ claſſico euocaturũ,& ſacramento obſtrictos vt nullum vitæ periculum effugiant, in aciem & oppoſitam mortem educturum: quàm con

cionator aliquis ſingula è ſingulis millibus capita,ad parandam animi tranquillitatem, ad pœnitentiam inflectat: quũ hìc non modò nullum periculum,ſed vitam,ſed ſalutẽ, ſed regnum, eaq; certa ac perpetua, proponamus. Vix aliquis noſtrum eſt,qui non latebras ac perfugium ſtudioſe perquirat, ne in huius temporis luce ad vitę mutationem propellatur. Vt de iis taceam,qui aperta defectione ſeſe tuentur : inuenias nonnullos, qui gladio fidei, qui illis hoc loco acutiſſimus eſt,pœnitentiam confodiant: alij ſcripturę locum aliquem, nempe ſenſui ſuo accommodatum,ſed detortũ,opponunt: atq; ita Gordianum illum nodum,quàm feliciter ipſi viderint,fortiter diſſoluunt.

In fidei noſtræ capitibus vel præcipuum eſt, donec erit Eccleſia hominibus peccata remitti. Qua ſpe ac fiducia niſi animus humanus fulciretur,quis non ſubitò debilitatus concideret,quum mortalium nemo ſit, qui ſe poſt baptiſmum nõ multa illuuione crebrò ſordidauerit? Si dixerimus,quoniam *1.Ioan.1.*
peccatum nõ habemus: ipſi nos ſeducimus,„ & veritas in nobis nõ eſt: ait Apoſtolus Ioannes. Iam ad peccatorum remiſſionẽ nequicq̃ aſpiramus,niſi pœnitẽtia præceſſerit. Quoniam ſic ſcriptum eſt, & ſic oportebat *Luc.24.*
Chriſtum pati,& reſurgere à mortuis tertia „ die,& prædicari in nomine eius pœnitentiã „

Act.2. „ & remiſſionē peccatorum in omnes gentes:
„ Verba ſunt Seruatoris noſtri: quibus Petrus
„ ita ſuffragatur. Pœnitentiam agite, & bapti
„ zetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu
„ Chriſti in remiſſionē peccatorum: & acci-
1.Ioan.1. pietis donum ſpiritus ſancti. Et Ioannes: Si
» confiteamur peccata noſtra: Deus fidelis eſt
» & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra.

Proinde quum in confeſſo ſit, pœnitentiam ad Chriſtianæ profeſſionis inſtitutionem cumprimis pertinere, eamq; in Eccleſia tradi oportere, vel Chriſti exemplo, qui Mat.4. euangelicā ſuam telam etiam ipſe ab illa eſt exorditus: ad hęc vnicā illam eſſe viam, qua poſt baptiſmi lotionem à peccatis emundemur: neceſſe eſt, vt etiam illi docendæ certū tempus præfiniatur, quo eam quanto laborioſius, tanto diligētius populo inculcemus. Etenim vbi illa omittitur, ibi Chriſti Eccleſiam haudquaq̄ repereris. Porrò quod anni tempus illi tradēdæ aptius accōmodaueris, quàm quod dominicam tum paſſionē tum reſurrectionē proximè antecedit? Nam vt inprimis paſſionis exemplo pœnitentia noſtra ſtabilitur, ita virtute & merito pēſatur. Deinde præſtat reſurrectio, ne animum deſpondeamus: quum hac ſpe nos ſuſtentet, vt ſi cum Chriſto per pœnitentiam carnem mactemus, fore vt cum eo in gloriam reuiuiſcamus. Quo haud dubiè conſilio à Patribus

bus inſtitutum fuit, vt ſub paſſionis & reſur rectionis dominicæ tempus populus Chriſtianus ad pœnitentiam erudiretur. Quòd verò illi rei non vnus, nó duo, non tres tantùm dies, ſed ſex totę ſeptimanę præſcriptę ſunt, datũ eſt (vt dixi) difficultati: quæ hîc, q̃ in cæteris Chriſtianæ inſtitutionis partibus, maior oboritur. Eôdem etiam pertinet, quòd in ea perſuadenda tanto amplius ſtudij præter morem impenditur: quum non tantùm ſermone, ſed quibus fieri poteſt ſignis & ceremoniis ſenſibus omnibus imprimatur. Quibus tamen omnibus quum nihil adeò apud pleroſq; proficitur: quid futurũ putatis, ſi de ea in totum ſileretur? Si huius ſæculi mores, corruptiſſimos illos & omnino peruerſos, ad eam vitæ ſynceritatẽ, quo vos perducere ſtudemus, ſedulò expenderitis: facilè ipſi iudicabitis, quàm foret perni cioſum, ſublata pœnitẽtia, vobis præter miſericordiam nihil occinere. O deplorãdam illorum cæcitatẽ & miſeriam, qui, quòd anguſtũ illum callem qui ducit ad vitam, tam latum ac ſpacioſum fecerunt, popularium ſuorum animis curam omnem ac religionẽ exemerunt. Veteres illi & orthodoxi Patres ſanè maturius deliberarunt: qui miſericordiam ita tradiderunt, vt pœnitentiam non omitterent: ſed ſuum certumq; tempus ſin gulis attribuerent. Pœnitentiæ verò quod

attributum fuit,id nunc præ manibus habe mus: in quo quàm ſtudioſè,immo & Chriſtianè illam ſuorum animis imprimere conati ſunt,ex ipſorum quæ adhuc ſuperſunt veſtigiis facilè eſt animaduertere. Principiò in ſignū abiectionis & humilitatis,poſteaq̃ caput cinere aſperſiſſent, proprio teſtimo-
Pſal.105 nio ſeſe impietatis damnabāt: Peccauimus
» cum patribus noſtris,iniuſtè egimus,iniqui
» tatem fecimus.Deinde ardentibus votis gra
» tiam à Deo quærebāt: Exaudi me Domine,
Pſal.68 quoniam benigna eſt miſericordia tua, ſe-
» cundum multitudinē miſerationū tuarum
» reſpice in me. Poſt hæc vera ac ſolida fide in Deum,certaque opinione de eius miſeri-
Sap.11. cordia armati,aiebant:Miſereris omniū Do
„ mine,& nihil odiſti eorum quæ feciſti &c. Poſtremò mutua ſe cohortatione ita confirmabant: Emendemus in melius,quæ ignoranter peccauimus &c.

Ad hunc modum ex Patrum inſtituto hodie pœnitentiam auſpicati ſumus: quem æquū eſt vt eccleſiaſtę omnes ſequantur,nec ad finem vſque Quadrageſimę vrgere deſiſtant. Quantum in me erit,pro veteri meo more id ſedulò agā, vt cohortatione noſtra ad pœnitentiā nunc ſeriò armemini:quandoquidē re ipſa experimur quotidie, Deum graui vltione in nos & peccata noſtra inſurgere: neque aliud nobis, q̃ extrema omnia pol-

polliceri poſſe,niſi iuſtã eius iram pœnitentia auertere inflectereq́; ſtudeamus. Alioqui nimisq̃ verum eſſe experiemur,quod Dominus in Euangelio ait: Si non pœnitentiam,, Lu.13.
habueritis,omnes ſimiliter peribitis. Porrò quò laxiorem campum, materiamq́; magis idoneam habeam de pœnitẽtia diſputandi, ſtatui parabolam illam,quæ eſt de filio prodigo apud Lucam,mihi pro argumento deſumere: vt qui minimè addubitem,me eius opportunitate de vera pœnitentia aptiſſimè dicturum. Nam quę ſit hominis conditio ac miſeria,quoad peccato eſt obnoxius: quomodo primùm ab illo ſurripimur: q̃ origo & via ad reſipiſcentiã: à quo petendũ præſidium:qua potiſſimũ ratione Deũ placemus: quid ab illo exſpectare debeamus: quãtum deniq; felicitatis eo placato cõſequimur:eorum oĩum tractationem vnica illa parabola cõpræhendit.Quanq̃ ad ea,quæ ſub Quadragesimæ finẽ de menſæ dominicæ cõmunione,de paſſione,& reſurrectione dicẽda ſunt, tantum habet cõmoditatis,vt non videam, quod aliud argumentũ huic tempori aptius & cõgruentius excogitare, vel optare queã. Faxit Deus,vt quæ audituri ſumus,intra penetralia pectoris noſtri ſic reponamus,vt cũ ipſo quanta ſit miſeria noſtra agnoſcere poſſimus,& abolendę quod ipſe præſtitit faciamus,hoc eſt,eadem fide, humilitate,ac pœ-

nitudine ad Deum cōuertamur. Quod ſi fecerimus, eadem cum ipſo facilitate ab optimo patre gratiam conſequemur. Enimuero idem nobis cum ipſo pater eſt: nos perinde atq; ipſe decoximus: & quæ ille in corpore dura ſuſtinuit, nos experimur in anima: hoc vnum ad omnimodam cōgruentiam deeſt, quòd noſtræ conditionis miſeriā non æquè ac ipſe perſpectam exploratamq; tenemus. Quamobrē Deum precibus laceſſamus, quò nobis mētis noſtræ oculos ſic aperiat, vt nos per illum adumbratos, immo deſtinatos potius: deinde Deum pro optimo atque indulgentiſſimo noſtro patre, ex animo cognoſcamus. Quod qui ex apta rerum collatione rectè perſpexerit, is in pœnitētię ratione illius exemplū ſequi neutiquā grauabitur. Sed iam parabolam ipſam, Chriſto referēte, audiamus: ea eſt apud Lucam capite. 15.

HOmo quidam habuit duos filios: & dixit adoleſcentior ex illis patri: Pater, da mihi portionem ſubſtantiæ, quæ me contingit. Et diuiſit illis ſubſtantiam. Et poſt non multos dies, congregatis omnibus, adoleſcentior filius peregrè profectus eſt in regionem longinquam: & ibi diſſipauit ſubſtantiam ſuam viuendo luxurioſè. Et poſtquam omnia con

ſum

ſummaſſet, facta eſt fames valida in regione illa, & ipſe cœpit egere. Et abiit, & adhæſit vni ciuium regionis illius. Et miſit illum in villam ſuam, vt paſceret porcos. Et cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis, quas porci manducabant: & nemo illi dabat. In ſe autē reuerſus, dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus: ego autem hîc fame pereo? Surgam, & ibo ad patrē meum, & dicam ei: Pater, peccaui in cœlum & corā te: iam nō ſum dignus vocari filius tuus: fac me ſicut vnū de mercenariis tuis. Et ſurgens vênit ad patrem ſuum. Quum autem adhuc longè eſſet, vidit illum pater ipſius, & miſeri cordia motus eſt: & accurrens cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum. Dixitq́ ei filius: Pater, peccaui in cœlum & coram te: iam non ſum dignus vocari filius tuus. Dixit aūt pater ad ſeruos ſuos: Citò proferte ſtolam primam, & induite illum, & date anulum in manum eius, & calceamenta in pedes eius: & adducite vitulum ſaginatum, & occidite: & manducemus, & epulemur: Quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit, perierat, & inuentus eſt. Et cœperunt epulari.

Ha-

HAbetis huius parabolæ priorem & potiorem partem: ad quam priuſquã ſermonem accõmodemus, inueſtigandum eſt, quid Chriſtum in eius narrationẽ induxit: ne ſi ipſius mentem initio non tenuerimus, diuerſum ſenſum illi affingamus. Id autẽ ex his quæ præcedunt, & ſequũtur, commodè faciemus. Initio huius capitis refert Lucas, quopacto Chriſti fama & doctrina iam diuulgata, etiam publicani & alij palàm infames, ad eum confluxerunt, vt docentẽ eum audirent. Quos quũ ille ob infamiam adeò non reiiceret, vt etiam in intimã amicitiam admitteret, ne menſę quidem cõmunionem deuitans: Phariſęis indigna res viſa eſt, quaſi Chriſtus eorum hominũ malitiam diſſimulando foueret. Quorum faſtum ac liuorem vt retũderet, tres Parabolas, de oue perdita, de denario amiſſo, & quam audiſtis de filio ꝓdigo, in medium adduxit. Vt Euangeliſta in ipſo exordio planum ſatis teſtatumq́; faciat, quid tribus hiſce parabolis ſeruator noſter innuere voluerit. Nimirum, nõ Deum ſolùm, ſed angelos etiã omnes, atq; electos, qui vnum idemq́; cum ipſo volunt & ſentiunt, ingenti gaudio & voluptate perfundi, ſi quando cõtingat deploratæ nequitiæ peccatorem ab impietate conuerti: atque adeò tali non exſpectata reſipiſcentia nihil Deo gratius accidere poſſe, quã præferat omnib.

om-

omnium Phariſæorum ſuperſtitionibus,& fictæ hypocritarum ſanctitati. Adhæc nemini viam ad ſalutẽ eſſe præcludendam,ſed commonſtrandam,cõplanandamq; potius: niſi & officio & ſenſu à Deo volumus eſſe alieni. Ad hunc ſcopũ tendunt omnes iſtæ parabolæ:quo nobis ad ſpẽ & conſolationẽ nihil vſquã reperias efficacius: Intãtum,vt quem iſta ad pœnitentiã non permoueant, nihil permouerit. Eſt tamẽ in ſingulis propriũ aliquid,quod ob narrationis diuerſitatem non habet cum cæteris cõmune. Vt in hac poſtrema,quę verbis & myſteriis eſt fuſior,iſta vel explicãtur palàm,vel obiter tanguntur: quomodo primùm peccator à Deo ſecedat, deinde qua via paret reditũ,& quo Dei affectu ſuſcipiatur in gratiam:pręterea peccatore nihil eſſe deploratius ac miſerius, quo iterũ,ſi reſipiſcat (quod nõ magno negocio cõſequi poteſt) nihil inueniri aut excogitari poſſe beatius. Quæ omnia in progreſſu latius explicabimus.Sed iam ad rem.

Homo quidam habuit duos filios. &c. Non indiget multa inquiſitione,quiſnam iſte ſit homo:quẽ vel Deum patrem eſſe,vel ipſum Chriſtum palàm cõſtat.Si placet Chriſtum accipere,iam nullo negocio humanã appellationem ei tribuimus,qui verè Deus & homo eſt. Si ad Patrẽ referimus:vocabuli nouitatem minimè formidamus: quum id in

ſcripturis ſit vſitatiſſimum, vt procliuè eſſet exemplis confirmare, niſi temporis rationē habendam putarem. Iam illum non modò Patrem, verumetiam patremfamiliâs vocari omnibus notũ eſt. Familiam eius, vel mundum ipſum, vel quę in eo cõſiſtit eccleſiam fidelium dixerimus. Porrò qui ſint duo eius filij, nõ eſt vna interpretum ſentētia. Quòd ſi allegorię inſiſtimus, per maiorem natu filium Iudæos, per minorem gentiles intelligimus. De quo ſub tractationis noſtræ finē latius. Alij filiorum nomine, Angelos, hominesque accipiendos putant. Nam quum homines Deus creaſſet, qui vacuata priorũ defectione loca occuparent, ſuo illos arbitratu viuere permiſit: bonorũ interim angelorũ ſibi voluntate ac cõſuetudine retenta. Quanquam ſimpliciter duo genera hoĩum deſignari putem, bonos ac malos, robuſtos & infirmos. Nam inter hos tale quiddam, quale hîc narratur, nõ raro vſuuenire ſolet, & fit adhuc hodie. Qui imbecilliores ſunt, facilè corrumpuntur, nec cupiditatibus reſiſtunt. Robuſtiores verò, non ita mouētur, neque tam facilè in ſuarum cupiditatũ poteſtatem concedunt. Sed vnde ſæpè ſupercilio armãtur, & miſeros illos ita præ ſe deſpiciunt, vt Deum non iuſtam vtriuſq; meritorum rationē habere credant, qui infidos illos tam facilè in gratiam accipiat.

Verùm non poteſt vtriq; nó æquus eſſe, qui pater eſt: & in quem vtriuſq; vel bene, vel male factum redundat. Porrò qua ęquitate vtrunque tractat, pòſt fuſius audietis. Huic indulgentior eſt, ne ſaluti deſperet: illum benignè admonet, ne ob præſtitũ patri obſequium inſoleſcat, nolitq; fratrem Dei pietate ſubleuatum. Vtrunq; interim habet pro filio: quare & fraternæ neceſſitudinis vocabulo eos conſtringit. Filij, non creatione tantùm, verumetiam reparatione: ita & natura non modò fratres, ſed fidei etiam coniunctione. In hoc duntaxat diſcrimen eſt, quòd alter altero viribus præſtat: ita quòd hic, ſi oppugnatur, facilè cedit: illo manum cum hoſte fortiter ac feliciter conſerente. Exempla è medio petere quum liceat, non eſt his immorari neceſſe. Quare pergamus.

Et dixit adoleſcentior ex illis patri: Pater, da mihi portionem ſubſtantiæ quæ me cõtingit. Principio è paucis his verbis liquet, noſtráne culpa, an aliena, in peccati præcipitium deuoluimur. Non legis, patrem ablegaſſe, aut extruſiſſe ædibus filium: ne illud qdem, Diaboli machinatione inuitũ illum, adeoq; violenter fuiſſe abreptum: ſed ipſum adiiſſe met patrẽ, ſeq; peregrinandi cupidum declaraſſe. Quod nó fruſtra dixerim: nam nobis nihil æquè familiare eſt, quàm ſicubi prolabimur, culpam ſtatim vel in Deum, vel in dia-

diabolum conferre. Et id quidē gentile ac natiuum nobis eſt: nempe à primis noſtris parentibus vſurpatum. Illi ſiquidem quum vnanimi conſenſu, ſuoq́; vicio, graui ſcelere ſe cōmaculaſſent: neuter culpam agnouit.
Gen.3 Serpens, inquit illa, me decepit. Maritus factum in vxorem, quæ tamē ſerpētis excuſatione iam ſe purgarat: vel potius in Deū, à quo vxorē acceperat, reiecit. Vxor, inquit, quā dediſti mihi: quaſi dicat, hanc niſi mihi dediſſes, præceptum tuum haudquaquā violaſſem. Quare meritò in culpa, quam non agnouerunt, hæſerunt. Diabolus artes ſuas & ingenium admouere illis potuit, ſed minimè vim: ita & ille vxorē acceperat, non vt morē gereret, ſed potius ipſe morigeraret.

Sanè erroris ſui cauſam nemo extra ſe quærat. In ſe autem quatenus hæreat, trifariàm ex antedictis verbis oſtenditur. Primò inquit, *adoleſcentior ex illis*. primum itaq́ue ætatis vitium intellige: Ætatem dico, non annis immaturā, ſed ſenſibus. Nō negarim interim, viridiorē ætatem ad vitia eſſe ꝓcliuiorem, tum cordatam minus, & rerum vſu detritam. Sed eſt vbi hoc fallat. Inuenias nonnunquā iuuenes, ingenij ac morum canicie cū quouis ſene conferendos: noti ſunt è ſacra hiſtoria, Ioſeph, Daniel, & Samuel. Contrà inuenias ſenes ingenio pluſquā puerili, quibus ſi perſonam, canos nimirum &

ru-

rugas detrahas, pupos dixeris: quales prophetarũ diſertiſſimus Eſaias, pueros centũ annorũ vocat.Itaq; hoc loco adoleſcentiam non annis, ſed moribus metimur.Iam ruditati & ignorantię magna pars erroris noſtri aſſcribēda eſt. Quomodo enim iis rebus acquieſcemus,quas,quales ſint,nó ſatis cognitas habemus? Propterea (inquit Propheta) populus meus ductus eſt captiuus,quia nó habuit ſcientiam. Et Pſalmographus: Neſcierunt,neq; intellexerũt, in tenebris ambulant, mouebuntur oïa fundaméta terræ. Si cognouiſſent (ait Paulus) nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Quod & Seruator noſter cruci affixus confirmat: Pater (inquit) ignoſce,quia neſciunt quid faciũt. Vnde & meliorẽ mentem ſuis comprecatur Moſes,quum ait: Vtinam ſaperent,& intelligerent,ac nouiſſima prouiderent. Et Dominus Hieroſolymitanis in Euãgelio:Quia ſi cognouiſſes & tu. Et alibi mulieri Samaritanæ: Si ſcires donum Dei,tu forſitan petiſſes ab eo.Quò etiam pertinet frequẽs illa D. Pauli comprecatio, vt fideles ſcientia à Deo impleantur. Nam verè, vt dixi,magnũ locum in vitæ noſtræ erratis obtinet ignorantia. Porrò ignorantiæ affinis vel coniuncta eſt oſcitantia, ſeu neglectus. Nam quorſum refert omnia tenere, ſi nó in loco meminerimus, quid de Deo ſperandum &

Eſa.65. Eſa.5. Pſal.81. 1.Cor.2. Luc.23. Deut.32. Luc.19. Ioan.4.

exſpectandum nobis ſit, quum ab illo ſtamus: rurſus in quas miſerias nos ipſi coniicimus, quando ab illo ad hoſtes tranſfugimus? Nemo facilè, arbitror, voluptate in peccando caperetur, qui ſatis ſciret, vel meminiſſet, quantã ſibi per hoc perniciem adferret. Aut certè nõ cunctaretur admiſſa corrigere, ſi diuinæ vltionis acerbitatem, & infernalis ſupplicij non finiendum cruciatũ, ita vt par erat, põderaret. Et quid cauſæ cur à Deo recederet, haberet, cui verè perſuaſum eſſet: ſe in illo quicquid boni voto optare poſſit cõſequuturum? Quod quũ Dauidem
Pſal.33. „ non lateret, Venite (inquit) filij, audite me,
Pro.9. „ timorem Domini docebo vos. Et Salomon: Si quis eſt paruulus, veniat ad me. Nã quò in huius vitæ tenebris nõ tam facilè impin-
Pſal.118. geremus, dedit nobis Deus verbũ ſuum, ad quod tanquam ad lucernam greſſus noſtros regamus: quemadmodum apud Ioannem Chriſtus ipſe ait, Quandiu in mundo ſum,
Ioan.9. „ lux ſum mundi. Vnde & Patris illud de Fi-
„ lio teſtimoniũ: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipſum audite.
Mat.17. Quò nimirum ſpectabat, quum per Ioëlem
Ioel.2. ſe nobis doctorem iuſtitiæ miſſurum ſpon-
Pſal.31. debat. Et quum in Pſalmo dicit: Intellectũ
„ tibi dabo, & inſtruam te in via hac quâ gradieris. Quare minimè mirandum eſt, quòd ad defectioné tam proni ſumus, qui Deum
nec-

necdum intus & in cute (vt aiunt) nouerimus, & qui Dei verbum vel non audimus, vel memoria non retinemus. Hæc igitur iunioris filij occaſione cogitanda & attendenda nobis ſunt. Nondum ad iuſtam maturitatem peruenerat, nec quid ſibi paterna educatio boni contuliſſet, poterat intelligere. Nec intellexit, quoad ſuo magno malo eſt edoctus. Iſtud nobis nimiſquam familiare eſt, vt nō niſi plagis emendemur: eoq; nos facilè à cupiditatib. noſtris tranſuerſos agi minimè obſiſtimus. Quin potius, chariſſimi, illud Dauidis crebris ſingultibus *Pſal. 12.*
Deo occinamus: Illumina oculos meos, ne „
vnquam obdormiam in morte. Et illud, Da *Pſal. 118.*
mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam, „
& cuſtodiam illam in toto corde meo. Et, „
iterum: Deduc me Domine in via tua, & in- „ *Pſal. 85.*
grediar in veritate tua. &c. Nemo ſiquidem „
vel rectè ingredi, vel ſolidè ſubſiſtere poteſt, qui de diuinis rebus ſyncerè non iudicat. Audiſtis iam, quid primo loco nos paterni imperij tam inſolentes faciat, quid ab eius conſuetudine & conſpectu abducat, quid in extremam calamitatem volentes impellat: nimirum ignorantiam, & mentis caliginem. Alias porrò cauſas in aliud tempus remittemus.

Gratia Dei cum omnib. nobis.

AMEN.

Dominica Inuocauit, SERMO SECVNDVS.

HAnc quam tractandam ſuſcepimus, parabolam de filio prodigo, ſuperiori ſermone ſpeculo ſimilem eſſe oſtendimus, in quo humanam calamitatē peccato cōtractam, iuxtà ac Dei miſericordiam liceat conſpicere. Deinde quæ in his ſunt regreſſiones: puta, à Dei pietate ad peccati miſeriam, rurſus à miſeria ad pietatem. Decoctor iſte filius exemplo fidem faciet. Educatus erat à patre honeſtè atque indulgēter, loco erat apud ſuos ob paternū ſplendorem facilè ſummo, in tanta opum affluentia nihil illi ad beatā vitam deerat. mox ſua ſtultitia à tantis bonis excidit, & ad ſummam calamitatem deuênit. Rurſus ab hac feliciter emergens, patris beneficio priſtinę dignitati & vitæ eſt reſtitutus. Notatis hîc geminum tranſitum: bonum alterū & laudabilem, vicioſum alterum & inhoneſtum. Feliciter ſe recipit, qui à peccandi conſuetudine ad Deum recurrit. Infeliciter verò, qui Deo deſerto ad peccatū tranſit. At malè habet, quòd, quæ noſtra fœdiſſima eſt veſania, maiori ſemper numero ſunt, qui turpi defectione à Deo ad peccatum deſciſcunt, quàm qui à peccato ad Deum honeſtè tranſ

fugi-

fugiunt: fiuntq́; quamplures è bonis mali, pauciſſimi boni è malis.

Cauſam ſi quæritis, quur multò maior pars hominum tam non grauatè pro æternis bonis conſectetur caduca, mundum potius quàm Deum, pietatem eius & gratiam peccato poſthabeat: &, quod inde conſequitur, certam mortem ſtudioſius eligat, q̃ nó dubiam vitam? Attendite quæ in initio huius parabolæ de ambobus filiis à Chriſto dicũtur. Erat vterq; eodem, hoc eſt, ſummo apud patrem loco: nihil illis apud illum ad gratiam, apud domeſticos ad gloriam, apud ſemetipſos ad voluptatem deerat: veruntamen adhuc non conquieſcit alter, dura illi nimium res eſt ſub iugo eſſe, vult ſuo more viuere: proinde quantum ad ſe facultatum redibat, numerari ſibi poſtulat. Fortaſſis venia dignus fuerat, ſi neceſſariarum rerum aliquid ei apud patrẽ defuiſſet, aut duriori patris imperio, ſeu fraternæ gratiæ prærogatiua fuiſſet depreſſus: ſed nihil horum. nam ne illo quidem tempore, quo rem tam improbam poſtularet, vel ſupprimere nomen patris, vel deprimere potuit. Quid igitur illum mouebat? Ea omnino tria erant. ab ætate erat ſtolidus, ab ingenio ferox, ab animo temerarius. Quibus vitiis quum obnoxius eſſet, iactauit paternum iugum, neque illi cum patre conuênit.

Certè ſtoliditatis erat, quòd in oculis hõminum atque in foro verſari ſpecioſius duceret, quàm domi omnibus bonis frui apud patrem: quòd non perpenderet, apud alienos, vbi ſuum prodegiſſet, aut mendicatò, aut mercenariò debere viuere, quum pater domi nihil nõ liberaliter ſuppeteret: quòd,
Gen.25. inſtar Eſau, qui primigeniorum ius vili pulmento tranſcripſit, integram hæreditatem creuerit, nec ne, nihil eſt ſollicitus: portio illi ſatis magna eſt, qua in libertatẽ ſe aſſerit: quaſi libertatem zona ſequatur, non zonam libertas. Deinde quia feroculus erat, frænumq́; morderet, excuſſit tandem habenas, ſeq́; præcipitat. Nam quandiu apud patrem erat, quoniam ex alieno arbitrio penderet, non videbatur ſui iuris eſſe: qualis eſſet, ſi cũ mente pedes quòuis liberè tranſferret, ac ſuopte ingenio viueret. Tertius cõſultor accedebat Temeritas, quæ non patiebatur illum domi, tanquã in ſtabulo, ex demenſo viuere: eam ætatem atque indolem poſſe ſuo Marte rem facere, ac ſibi præſcribere: nihil amplius opus eſſe capiſtro. &c̃. Tales ille adhibuit audiuitq́; ad defectionẽ conſultores. Quid etiam nos hodie aliud facimus? Principiò certo certius eſt, nos nulla Dei iniuria, nulla imperandi acerbitate, nulla vindictæ cupiditate cauſam habere, aut prętendere poſſe, cur ipſius conſuetudini

tudini ſpontaneū exilium præferamus. Quî obſecro, poſſemus à patre omnium optimo & clementiſſimo? Quomodo ipſe in nos durior vel inhumanior erit, qui cæteris patribus præſtat hunc affectum, vt ſuos complectantur? Quod quoniam à natura nobis eſt cognitum, ad eoſdem nos relegat, vt de ſuo affectu vel inuiti iudicemus, quum ait:
Si vos quum ſitis mali, noſtis bona data dare „ *Luc.11.*
filiis veſtris, quantomagis pater veſter cœ- „
leſtis dabit ſpiritum bonum petentibus ſe? „
Et apud Eſaiam: Nunquid obliuiſci poteſt „ *Eſa.49*
mulier infantem ſuum, vt non miſereatur „
filio vteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, ego ta- „
men non obliuiſcar tui. Deinde & hoc con- „
ſtat, quòd Deus ex ædibus ſuis neminē exturbet, neque vlli penitus ſui copiam neget, niſi fuerit ipſe vltro deſertus ac faſtiditus.
Si quæſieritis Dominum, inuenietis: ſi autē *2.Para.15*
dereliqueritis, derelinquet vos. ait Propheta „
quidam ad Aſa regem Iuda. Tertiò mani- „
feſtum eſt, in domo ſeruitioq; Dei omnium rerum lętiſſimā copiam affluere. Nam apud ipſum quopacto nō omnia abundanter exuberarent, qui in quorumcunque iuſtorum ædes gloriam ac diuitias (Pſalmographi te- *Pſal.111*
ſtimonio) benedictione deriuat? Hinc alibi apud eundem legimus: Iunior fui, etenim *Pſal.36*
ſenui, & nō vidi iuſtum derelictum, nec ſe- „
men eius quærens panē. Quare nō eſt, quòd „

aliquis egeſtatis prætextu à Deo ſeſe ſubdu-
cat,aut alibi meliori conditione ſe futurum
ſperet. Quin potius illum hortanté ſequa-
Pſal.33 » mur: Guſtate & videte,quoniam ſuauis eſt
» Dominus: beatus vir qui ſperat in eo. Et
» paulopoſt: Accedite,& illuminamini,& fa-
» cies veſtræ non confundentur. Timete Do-
» minum omnes ſancti eius, quoniam nó eſt
» inopia timentibus eum.

Quòd ſi rogas, quid igitur tam multi in Dei partibus eſſe recuſant,vt vbiuis eſſe ma lint,quàm apud ipſum merere,adeò eius bo nitate & munificentia non tanguntur? Iam antea dixi,non vnam eſſe cauſam,ſed tripli cem: nimirum ignorantiam vel ſtoliditaté, ferocitatem, & temeritatem. Putatis, quia ſi ſciremus,quantũ nobis in Deo,eiusq; domeſtica familiaritate boni reconditũ eſſet, vllo nos tempore ab eo ſineremus auelli?
Pſal.72. Nemo quidem. Sed potius cum Propheta
» diceremus, Mihi adhærere Deo bonum eſt,
» ponere in Domino Deo ſpem meam. Norat ille,quàm benignè & humaniter ſuos fa miliares Deus tractaret: vnde nihil tam ardenter,& tam crebrò optat,q̃ vt eius contubernio & iucundiſſima conſuetudine poſſit
Pſ.26 » indefinenter vti. Vnam (inquit) petij à Do
» mino,hãc requiram,vt inhabitem in domo
» Domini omnibus diebus vitę meę. Et alibi:
» Quid mihi eſt in cœlo,& à te quid volui ſu

per

per terram: Deus cordis mei, & pars mea „ *Pſal.72*
Deus inæternum. Et iterum: Quàm dilecta „
tabernacula tua Domine virtutum? concu- „ *Pſal.83*
piſcit & deficit anima mea in atria Domini. „
Cor meum & caro mea exultauerũt in Deũ „
viuum. Beati qui habitant in domo tua Do „
mine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te. „
Quæ autem longo adhuc locorũ interuallo
diſiunctus, familiaris tamen, ab eo beneficia
conſecutus fuerat, in ſpem meliorum ſe eri
gens, alibi ſic recenſet: Benedic anima mea „ *Pſ.102*
Domino, & noli obliuiſci omnes retribu- „
tiones eius. Qui propitiatur omnibus ini- „
quitatib. tuis: qui ſanat omnes infirmitates „
tuas: qui redimit de interitu vitã tuam: qui „
coronat te in miſericordia, & miſerationi- „
bus: qui replet in bonis deſiderium tuum, „
renouabitur vt aquilæ iuuentus tua. &c̃. „
An nõ Deo familiariter fuit vſus, & domus
ipſius morẽ optimè tenebat, qui tam ampla
beneficia, quæ cõſecutus eſt, gratiſſima me-
moria & recolit, & celebrat? Quare in alio
pſalmo ſpei plenus, ac gaudio erumpens, in *Pſal.43*
hæc verba eructat: Domine nõ diſcedimus „
à te, viuificabis nos, & nomen tuum inuo- „
cabimus. Et iterum: Bonum eſt confidere *Pſal.117*
in Domino, quàm confidere in hoĩe, quàm „
ſperare in principibus. Sed de hoc iam ſatis „
multa: alios etiam teſtes de cœleſtis patris
benignitate, & domus ipſius opulentia au-

Ioſue.24 diamus. Certè vir illuſtriſſimus Ioſue, non bellandi tantùm gloria clarus, quum optionem ſuis feciſſet, malléntne Deo cœli ſeruire, an idolis: non dubitauit de ſe ita profiteri, quem ipſi, nosq; omnes ſequeremur: „ Ego, inquit, & domus mea ſeruiemus Do- „ mino. Qua in ſẽtẽtia D. Iob tam confirma-
Iob.13 „ tus erat, vt diceret: Etiamſi occiderit me, in ipſo ſperabo. Quid D. Petrus? per tranſen-
Mat.17 nam dumtaxat gloriã domus Dei inſpexe- „ rat, & exclamat: Domine, bonum eſt nos hîc eſſe. Et alibi, prædicatione modò Seruatoris
Ioan.6 noſtri accenſus: Domine (inquit) quò ibi- „ mus, verba vitæ æternæ habes? At quis eſſet orationis finis, ſi ſingula, præſertim quæ apud Paulum ſunt, perſequi vellemus? Libet tamen vel vnum locum ex ipſo decerpere.
Rom.8 Quis (inquit ad Romanos) nos ſepa- „ rabit à charitate Chriſti? Certus ſum, quia „ neq; mors, neq; vita, neq; angeli, neq; princi „ patus, neque creatura alia poterit nos ſepa- „ rare à charitate Dei.

Iſtos verè filios Dei dixerimus, non morigeratos tantùm, verumetiã gratos: qui vt norant, ita non diſſimulant, quæ ſit illius patris benignitas, quæ gloria domus, quæ familiæ beatitudo. Atqui cæci filij Adam ab his ſedulò oculos auertunt: & quoniam ea non vident, neq; cognoſcunt, nulla illis Dei & diuinorũ cura, facilè aliena cõmoda & alienas

amicitias ſectantur: non retinentur vlla me moria ampliſſimorũ bonorum, quæ vel acce perant iam, vel in poſterũ accepturi eſſent. Iam tametſi in Deo concathenatio quędam bonorũ eſt, & ſumma perfectio: nos tamen, vtpote quibus faſtidio eſt ſatietas, partibus magis capimur. Quò fit, vt ſimulatque in mundo aliquid, quod animo adlubeſcit, videmus, inuolamus illud protinus: non recor damur (vt tamen verè bonũ ſit, quod ſequimur) in ſterquilinio gemmam: quum ibi & idipſum ſit, tanquã membrum in corpore, quod plena beatitudine in ſe eſt perfectum. Nõ abs re igitur optat D. Petrus, vt impleamur cognitione Dei, quo modo omnia no- » 2. Pet. 1
bis diuinæ virtutis ſuæ, quę ad vitam & pie- »
tatem, donata ſunt, per cognitionẽ eius qui »
vocauit nos ꝓpria gloria & virtute, per quæ »
maxima & precioſa promiſſa nobis donauit. »
Quis, vel eorum dumtaxat bonorũ, quæ per Chriſtum reparationis beneficio conſecuti ſumus, non immemor, vnquam cõmittere vellet, vt ſineret eius muneris fructum ſibi interuerti: & nõ magis adlaboraret, quæ illi à natura eſt dignitatem apud eos tueri, qui & ſoli hoc munere perfruuntur, & tamen iuſtæ fruitionis vberiora adhuc præmia exſpectant? Proinde an non rectè dixerim, chariſſimi fratres, ignorantiam & ſtoliditatem noſtram in prima parte cauſæ eſſe, quur

hæc

hæc minimè præſtemus?

Secundo loco recenſui ingenij noſtri ferocitatem,ſeu philautiam malis. Hæc in primis parentibus nata,magnum etiamnum in nobis ius obtinet: nam vſquequaq; arroganter ſe effert,nõ ſinit ſe impediri,ſed cum impetu graditur, & obuia quæque proſternit. Continuerat illos Deus (protoplaſtos dico) modica quadam pręceptiuncula,in ſuę erga ipſum voluntatis argumentũ:ſed obluctantur ſtatim,nimis durum erat,quibus proprij arbitrij ius erat,imperio aſtringi. Vidit, in-
Gen.3. „ quit ſcriptura,mulier,quòd bonum eſſet li-
„ gnum ad veſcendum,& pulchrũ oculis &c.
Videte obſecro,q̃ non grauem cauſam præfigat ſuæ cupiditati : nempe philautiam,& parendi inſolentiam. His conſultoribus inſtigata,ſuæ concupiſcentiæ morem gerit:ne tantillum quidem,in quam partem id Deus acciperet,ſollicita. Ad hunc planè modum etiam hodie ab his nobis imponitur,vt quę voluptate ac licẽtia omnia metiantur:quas peſtes quum domus Dei non agnoſcat, nimirum in cuius limine pro ſymbolo ſcriptũ
Mat.26 eſt,Non ſicut ego volo,ſed ſicut tu: minimè mirandum eſt,ſi homo carnalis,qui concupiſcentia ſua tanquã indomito equo fertur, ibi morari non ſuſtinet. Concupiſcentia ſiquidem liberũ campum quærit,nullas præceptorum metas nouit,vult quę libent liceant,

ant, hoc tãtùm pro bono ducit quod amat, nihil probat niſi quod ſentit: vt non abſurdè, cruentam beſtiam, vocarit D. Bernardus. Nam quid vſquam tam ſceleratum ac nefarium, quod illa non audeat aggredi? Nec mirum ſanè: vt quæ iugum nullum agnoſcit, creaturaſque omnes in eandem libertatem, quantũ in ipſa eſt, præcipitare ſtudet. Quan quàm ſeruitutẽ verius dixerim: etenim quẽ vnquam imperãdi finem facit? Quo vnquã loco conquieuit? Nam quũ forſan in mundo non eſt amplius, quod inexplebili voracitate deglutiat, Deum ipſum flagitio petit. Quî ſic, ais? Sanè quum è medio ſublatum cupit, quum rerum imprudentẽ, quum exarmatum: quid aliud q̃ cum Deo pugnat, & ſi queat iugulat? Proindè alteram inobedientiæ noſtræ cauſam in ferocitate ſeu philautia, vel quæ vtrunque complectitur, con cupiſcentia, ſtatuimus.

Tertia cauſa eſt, Temeritas: qua nobis ſtultè de ingenio, viribus, ac dexteritate placemus. Prudentiores nos ducimus, q̃ quibus Dei præceptis, tanquã pædagogo, opus eſt. Quid mihi cum traditionibus, ritibus, & exemplis? quur quietem meam crebris precationibus interrumpã, quem fidei cõmunio iam familiæ Dei aſſcripſit? Quid hoc aliud eſt, quàm, Pater ſine me meis bonis quæſtũ facere, mihiq; præſcribere? Ah, ſtulta nimis

& fallax præſumptio. Fefellit Adamum, fal
lit & quàm multos. Contrà clamat Apoſto
1.Cor.10 lus: Qui ſtat, videat ne cadat. Et iterũ: Fide
Rom.11 » ſtas, noli altum ſapere, ſed time. Et Sapiens:
Pro.28 » Beatus homo, qui ſemper eſt pauidus. Porrò
Apo.3. » Dominus ipſe in Apocalypſi: Dicis, diues
» ſum, & locupletatus, & nullius egeo: & ne-
» ſcis, quia tu es miſer, & miſerabilis, & pau-
» per, & cæcus, & nudus. Porrò quæ ſint eius
hominis, qui ſuo arbitrio relictus eſt, facul-
tates, quid, quantúmve conſequitur: aliâs
declarabimus. Quomodo verò Deus cum
tam ſtupidis, intractabilibus, ac temerariis
ſe gerat, nunc audiamus.

Et diuiſit illis ſubſtantiam. Quam ſubſtan
tiam? Hunc ſingulari ingenio, iſtum rara
quapiam induſtria, illum ornat diuitiis, &
ſic alios aliis. Ipſe quidẽ mallet ſingulis ſo-
lidam hæreditatem ex aſſe tradere, ſed illi di
uiſam volunt. Quiſque ſuis capitur ſtudiis:
ægrè tamẽ in vna ciuitate duos reperias, qui
per omnia gaudeant iiſdem. Deus verò no-
ſtrarum voluntatum non rector, ſed arbiter
eſt: relinquit vnumquenq; ſuo arbitrio, ne-
mini apud ſe vt maneat vim adhibet. Of-
fert quidẽ ſui, ſuorumq; copiam omnibus:
ſingulorum haberi, & optat dici pater: neq;
etiam non ægerrimè, quẽ ſemel familiæ in-
tulit, dimittit: ſi quis tamen miſſionem po-
ſtulat, non obſiſtit, Inuitũ (inquit ille) quis
ſer-

ſeruare laboret? Quare per Pſalmographũ Pſal.80
ita loquitur: Non audiuit populus meus vo »
cem meam: Et dimiſi eos ſecundũ deſideria »
cordis eorum, ibunt in adinuentionib. ſuis. »
Et Iudæ quidẽ proditori, quòd inſanabilem »
videret, Quod facis (inquit Chriſtus) fac ci- Ioan.13
tius. Deus homini in medio propoſuit, vt Sapiens quidem ait, aquam & ignem, vitam Eccl.15
& mortem, bonum & malum: & vt Moſes, Deut.30
vitam & bonum, benedictionem & maledictionem: ad quod volueris (inquit ille) porrige manum tuam. Interim nemo culpam iuſtè in Deum deriuarit, quòd is ſtultitiam filij, qui rem ſibi parum vtilem depopoſciſſet, compeſcere & caſtigare debuiſſet. An nõ ſuo munere egregiè defunctus eſt, qui poſt̃q nos creauit, reſtituit, ſcripſit hæredes, admiſit in familiam, nulla noſtra ingratitudine, proteruia, defectione intantum permoueri poteſt, vt illum in nos affectũ mutet: quin ſemper ad mentẽ redeuntes ſuſcipiat libentius, quàm ægrius dimiſerat? An id poſtulatis, vt recuſantes ac nolentes retineat? Non faciet. Nam fores eius perinde vt ſemper apertæ ſunt aduentantibus, ita & recuſantibus diutius ibi manere.

Porrò ne nullo fructu hęc audiamus: reddamur obſecro, proterui illius filij caſu & exemplo prudentiores. Audiſtis, q̃ malè ſibi conſuluerit, à qua dignitate in quantã miſeriam

ſeriam exciderit: qui peregrè mendicare, q̃ domi in ſplẽdore eſſe maluit. Audiſtis, quibus conſultorib. eam ſtultitiam commiſit. Per viſcera Chriſti obteſtor vos, hęc vobis in vitam & mores conuertite. Quàm multos in errorem abducit, ignorantia diuinorum bonorum? Quàm multò plures, animus intractabilis & ſibi ſeruiens? Nec ſanè paucos temeritas & inconſiderãtia. At vt has Sirenes tutò prӕterlegas: contende ardentibus precibus apud Deum, vt mentis oculos tibi aperiat, quò ſemper in huius vitę caligine, ipſius voluntatem clarè perſpicias: id autem cõſequêris facilius, ſi conciones ſacras diligenter frequentes, legas ipſe crebrò aliquid ac mediteris diuinum. Inde petes tibi antidota, quibus imperitas illas & pueriles, puta ab ignorantia profectas, cogitationes depellas: prӕclareq́; bonorũ illorũ memoriam renouabis, quӕ in dulciſſima patris cõſuetudine habes repoſita: amplificãda certè malorum comparatione, quę ab illa dilapſos ſequuntur. Porrò ſi inſolentia te nõ ſinit eſſe quietum: iterum ad precandũ te remitto, vt tibi cor nouũ ac ſpiritũ nouum (quemadmodũ
Eze.36. eſt apud Prophetã) largiatur: & vt alius ait,
Pſal.118. carnem tuam timore ſuo ita configat, vt nõ declines à via mandatorum Dei: ſed paternum eius nomẽ in te tuiſq́; actionibus ſanctificetur, teq́ue eius regno iam ita pares, vt nun-

nunquã diſiunctam ab illo voluntatem habuiſſe inueniaris. Si tertius conſultor tectis artibus te aggreditur, coneturq; perſuadere iam cõfectum eſſe bellum, remouendas excubias, & in aperto agendum: ne te illi fidas, ſed caue te ab illo: hoſtis eſt, quicunq; te ab hoſtibus vult eſſe ſecurum. Vt aliquando finiam: quandiu in partibus es Dei, omnia te habere, & conſecutum eſſe firmiter tibi perſuade: etiamſi multorũ inopia ſe ringi caro queratur. Quæ eadem (vt eſt hoſtibus tuis propenſior) vt bene ſibi eſſe dicat: ne credas vnquam bene tibi eſſe poſſe, donec ſine Deo fueris. Quare ſaluberrima ea cogitatio fuerit, vt diuinorum erga nos beneficiorum ſedulò recordemur, deque amplectendo eius contubernio voluntatẽ confirmemus. Gratia Dei cum omnibus nobis. Amen.

Dominica Reminiſcere, SERMO TERTIVS.

QVÆ ſuperiori concione de filio prodigo tractauimus, eò ſpectabant, chariſſimi, vt oſtenderem q̃ inſigni diuinæ erga nos Chriſtianos voluntatis prærogatiua, id præ cæteris gentibus conſecuti ſimus, vt Deum in patrem habeamus, itaque à nobis haberi & dici velit. Oſtendimus etiam, eius amicitiam ac domum obſeruantibus, nihil

vſ-

vſquam ad vitæ,corporis, ac animæ ſuſtentationem,ad voluptatem atq; delitias vſq;, deeſſe poſſe: tantorũ tamen bonorum obliuione tam facilè nos capi,atque ab eo reddi alienos: idq; ſæpe leuiſſimæ,immo & fœdæ voluptatulę cauſa,quã pluris facimus atque omnem illam tot ſæculorum, vtrocunq; te vertas,indulgẽtiam ac pietatem. Indignum facinus,mecũ dicitis: & eſt enimuero. Quod indè proficiſci diximus,principiò quòd Dei erga nos voluntatem nõ ſatis perſpicimus, quàm multis bonis quotidie nos afficiat, q̃ multa antè iam contulit, & quibus illa adhuc ſit cumulare paratus: aut certè ſi perſpicimus, diſſimulamus. Deinde quòd corrupto adulatione arbitrio noſtro plus ſatis tribuimus: & nullius imperium moderatè qui ferimus,illius tyrãnidem etiam nutriamus. Tertiò quòd intra vnam virtutem noſtram omnia claudamus, & magnum aliquid nobis eſſe videamur,quum reuera ſimus nihil: clauum animi noſtri nulli melius,quàm no-
Gal.6 bis ipſis gubernandum committimus: nec prius homines nos eſſe meminerimus,quàm caſus aliquis feroculos illos oppreſſerit,fregeritque: qui vbi omnium iudicio, noſtro etiam,ſed in poſtremis accedente,miſerrimi ſumus, tum demum nuſquam quàm apud patrem tutius nos eſſe, ac haberi indulgentius,vtinam non ſerò, fatemur.

Vera

Vera eſſe quæ dicimus, acolaſtus ille ſuo malo confirmat. Ignorabat ille quid eſſet in patris tutela viuere, quoad fame periclitaretur. Fugiebat miſerum quantam perniciem adfert parendi impatientia, donec in extremas vitæ ſordes ſeſe conieciſſet. Nec prius ſciuit, nunq̃ ſine Dei miſericordia eſſe nos poſſe, q̃ ſua omnia abligurirèt. An non ſtultè, proteruè, & temerariè loquitur, qui dicit, Pater, da mihi portionem ſubſtantiæ quæ me contingit? Sanè q̃ ſtolidè hoc poſtulet, q̃ iactanter ſibi ſumat, q̃ temerè vſurpet, ſi minus nunc in aperto eſt, pòſt erit omnium confeſſione certiſſimum.

Enimuerò ad noſtram cautionẽ hoc ſcriptum eſt. Non parum ſiquidem ad periculi euitationem valet, quòd iam anteà alios ibi impegiſſe (multò magis, ſi nos ipſi) cognoſcimus. Si hucuſque parùm te attentum habuit patris immodica in te pietas & indulgentia, vel nunc cògnoſce: aperi vel nunc oculos: qui ſi caligarint tenebrarum aſſuetudine, incende faculá verbi Dei, & ſic perſpice. Si te ineſcauit concupiſcentia, & exaſperauit ferocia: exindè cótunde iſtam modeſtia, illi paternú pectus oppone. Et quum hactenus nimium tibi tribueris, quod malis tuis cauſam dedit, teq; debilitauit: poſthac præſidium tuum omne in Deo compara, & cum Pſalmographo loquere, Deus fortitu- *Pſal. 30.*

„do mea & refugiũ meum es tu. Educes me „de laqueo quem abſconderunt mihi, quo„niam tu es protector meus. Et iterũ: In Deo
Pſal.107 faciemus virtutem, & ipſe ad nihilum deducet inimicos noſtros. Et de his quidem in veſtibulo parabolæ ſatis. Nunc q̃ feliciter ſibi cõſuluit ille, ex ſequentibus audiamus.

Et poſt non multos dies, congregatis omnibus, adoleſcentior filius peregrè profectus eſt in regionem longinquã: & ibi diſſipauit ſubſtantiam ſuam viuendo luxurioſe.

Ex his verbis intelligimus, q̃ infeliciter illi ceſſerit cõſilium imprudenter, ſuperbè, ac temerè ſuſceptum. Quid rei faciant, videtis, qui à Dei amicitia ſeſe auertunt. Clarè perſpicitis, q̃ ingenij ac corporis dotes omnes nihil valeant, quibus ſi extra Deũ fidas. Videtis in quam miſeriam abeat homo, qui ſibi eſt relictus: puta, vt indies ſceleratior euadat, reddaturq́; deploratior. Videtis quopacto peccatũ in homine ſenſim quaſi coaleſcit, quoad totum inficiat, occupetq́ue. In ſumma videtis grauiter admodum ac ſeuerè de iis pronunciari, quos Deus emancipat, ſibiq́; relinquit. Non deſunt fortaſſis, qui illud ad gratiã referrent, quòd pater filio tam non grauatè obſequitur, & de patrimonio concedit: quin potius erat iniquæ ſtultæq́; poſtulationis iuſta debitaq́; animaduerſio. Quemadmodum homine illo nihil felicius,

quem

quem Deus tuendum cõſeruandumq́ue ſuſcepit: ita è diuerſo illo nihil ærumnoſius, à quo curam ille animumq́ue auocauit. Quo enim alio præſidio aduerſus peccatum, mortem, & quæ mille alia ſunt diſcrimina, tuti ſumus, atq; ſolius Dei? Quod ſi verum eſt: an nõ ſe illis omnibus nudum exponit obiicitq́; periculis, qui ſua culpa committit, vt extra Dei clientelam fiat? Sed hæc exempli collatione clarius patebunt. Nunc ad verba: quæ ſingula momenti plurimum & ſignificationis habent.

Inprimis quum dicit, *Et poſt non multos dies*: id ſignat, quod ſuperius dixi: hominẽ, ne ad exiguũ quidem temporis, ſuis, vel præclaris dotibus conſtare ſibi poſſe, quũ à Deo receſſerit. Nam vt Hieremias, Cor hominis prauum & inſcrutabile. & alius: quaſi mare feruens quod quieſcere nõ poteſt. Certè diabolus ſimulatq; hominem extra Dei curam poſitum videt, arma expedit, nec potiundi hoſtis occaſionem amittit. Et cum hoc in iniquũ certamen iam deſcendat neceſſe eſt, qui eò temeritatis proceſſit, vnde ſe recipere, niſi accepto detrimento, non poteſt. Horum fidem vel ex primis parentibus petite. Ad imaginem Dei conditi erant, ingenio erant perſpicaciſſimo, imperium acceperant ampliſſimũ: ſed quàm citò concidit omnis illorum felicitas, poſteaq̃ illam ad ſuum ar-

Hier.17

Eſa.57.

bitrium reuocarunt? Immo quàm non indormiuit ſuæ occaſioni Diabolus, vt quos ad defectionem iam propendentes videret, conſilio impelleret?

At poſt non multos dies quid fecit iſte? *Congregatis omnibus profectus eſt in regionem longinquam.* Videbatur ſecũ prçclarè actum, & patris humanitatẽ prædicabat, qui illum in numerãdo tam facilem habuiſſet: & ignorabat miſer, certiſſimã hanc eſſe offenſi paterni animi ſignificationem, magnoq́ue ſibi malo & detrimento ceſſurum. Quid tum, ſi ingentem ſummam, nec modicum cenſum conficias, modò extra familiam agas patris? Satius eſt, vel tenuem eſſe cum Deo, q̃ ampliſſimas habere facultates ſine Deo. Quod
Pſ.36 „ Pſalmographus apertè ſic expreſſit: Melius
„ eſt modicum iuſto, q̃ diuitias peccatorum multas. At quis hoc mundo perſuaſerit? Enimuero ne ille quidem credidit, niſi malo edoctus. Corradebat ad ſpeciem & oſtentationẽ omnia: beatum iam ſe prædicabat: nihil erat quod nõ poſſet: in tanta felicitate nihil erat quod poſſet nocere: nihil vnquã ſibi defuturũ credebat. Sed quid conſecutũ eſt? Mox animum ad ſplendorem, arrogantiamq́; adiecit, neceſſe fuit vt plumas pauonum inſtar explicaret. Quare nõ contentus patris authoritatem & gratiam violaſſe, ſeq́; curaſſe emancipari (qui eſt primus ad interitum

ritum

ritum gradus) ne veteris quidẽ familię conſpectum amplius ſuſtinuit, ſed collectis ac conuaſatis omnibus viſum eſt exteras regiones petere,& licentiam impunitatemq́; peccandi quærere. Et hic ſecundus gradus eſt, quò inferior,hòc morti propinquior. Nam vt aliquis perperam agat,etiã crebriuſculè, nec ab animi virtute ſatis ſit firmus: certè quoad in patris eſt poteſtate,cui vni ſtat aut cadit,non eſt difficilis curatio. Nam vt ille,
„ Iuſtus quum ceciderit non collidetur, quia Pſ.36
„ Dominus ſupponit manum ſuam. Cæterũ quum ſaucius patris manum nec implorat, nec agnoſcit: quî fieri poſſet,vt nõ vulnere intabeſcente intereat? Diuum Petrum, & Iudam illum Iſcariotẽ,vtrunq; Apoſtolum, vtrunque ſingulari gratia in intimam familiaritatẽ aſcitum,vobis proponite. Nónne Petri caſus fœdiſſimus, qui Dominũ ſuum non ſemel,ſed iterũ & tertio ſummo ſcelere abiurauit? Verùm quòd infirmitatis hoc potius fuerit,quàm conſilij,neq; patri per hoc apertè rebellauit: nõ modò illi damnoſum non fuit,verumetiã vtilitatem nõ modicam attulit. Ego (inquit Chriſtus) rogaui pro te,
„ Luc.22
„ vt nõ deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus,confirma fratres tuos. Poterat & Iudas eodem modo reſtitui: verùm ille in totum ſe abalienauit à Chriſto,& paternã neceſſitudinẽ abrupit,ſeq́; ad illos qui vtriuſq;

erant ex profeſſo hoſtes recepit: vt minimè mirum ſit, peſſimi conſilij infelicem fuiſſe euentum. Quod peccator omnis in exemplum ſibi vertat, ne ob vllorum admiſſorū magnitudinem viam ſibi ad reconciliationē interclusam putet: quum palàm è ſcripturis conſtet, Dei miſericordiam à nobis peccãdo exhauriri haud poſſe. Sed vt ad inſtitutū redeamus: poſteaq̃ ille recedendū ſibi à patre conſtituit, peregrè profectus eſt: neque, qui iam ſemel cadere inceperat, prius in pręceps abire deſiit, quàm ad fundi imum peruênit. Et profectus eſt in regionem longinquā, nimirum à paternis ędibus quàm maximè diuerſam & ſemotam: qui tertius eſt ad mortem gradus. Rogas, quænam ea regio eſt, & vbi ſita? Id licebit ex Pſalmographi his verbis depræhendere: Appropinquauerūt (in-
Pſal.118. quit) perſequentes me iniquitati, à lege aūt „tua longè facti ſunt. Et paucis interpoſitis: „Longè à peccatoribus ſalus, quia iuſtifica-„tiones tuas non exquiſierunt. Quid longius à Deo, quàm illo deſerto dare ſe in ſeruitutem diabolo? Quid remotius à lege, quàm ſine lege viuere? Quid à domo Dei alienius, quàm cõtempta pietate, famam probro, vitam flagitio conſpurcare? Quid tam procul diſſitum à virtute, quàm virtuti apertè nuncium remittere? Quid deniq; à veritate, luce, & iuſtitia tam procul poſitum, quàm in men-

mendacio, tenebris, & improbitate verſari? An non rectè dicitur in regionē longinquā procul à paternis ædibus ꝓfectus, qui, quantum in ſe eſt, imaginem Dei in ſeipſo deformat & extinguit? qui filium Dei conculcat, Heb.10
& ſpiritui gratiæ contumeliā facit? qui non ita viuit, quemadmodū apud patrem eſt inſtitutus? ſed quum ab aliis filiis pater laudetur, ab hoc infamia aſpergitur? quū illi integritatem, vitæque ſanctimoniam ſectantur, iſte omni libidine ac turpitudine ſe deformat? aliis, ieiunio, vigiliis, orationibus carnem macerantibus, præſentem calamitatem deplorantibus, & ad portum æternæ quietis piè anhelantibus, iſte genium curat & Bacchanalia viuit?

Proindè in longinqua regione, & procul à patria agit is, qui modò par Angelis, nunc brutum, ſi nō dixerim, diabolum, cui ſimilis eſt, induit: qui antea ciuis & hæres cœli, nūc factus eſt ſeruus peccati. Niſi fortè longinquam regionem dixerimus, in qua minimè ad patrē quicquid deſignaret permanaturū ſperaret, nec in ſupplicij metu verſaretur. Rectè ſanè, ſi aliquid tam remotum eſſet à Deo, vbi ſenſu non pertingeret. Apud Hieremiam ita legimus: Putásne Deus è vicino Hier.23
ego ſum, dicit Dominus: & nō Deus de longe? Si occultabitur vir in abſconditis, & ego non videbo eum, dicit Dominus? Nunquid

„ non cœlum & terram ego impleo, ait Domi
nus? Aut impunitatem tibi polliceris, quòd
hactenus vindictam effugiſti, & in omnibus
euênit proſperè? Sed apud Eſaiam quid lo-
Eſa.42 „ quitur Dominus? Tacui, ſemper ſilui, pati-
„ ens fui: ſicut parturiens loquar. Et in Pſal-
Pſ.49 „ mo: Hæc feciſti & tacui: Exiſtimaſti iniquè
„ quòd ero tui ſimilis: arguam te, & ſtatuam
„ contra faciem tuam.

Sed iam q̄d ille peregrè egerit, audiamus. *Diſſipauit ſubſtantiam ſuam viuendo luxurioſe.* Sic ſolet, qui habenas diuinæ voluntatis excutiunt. Sic nihil prodeſt, neq; petulantiam noſtrã remorari poteſt, quicquid extra Deũ poſſidemus. Nam vbi vitæ atq; actionum ratio ſibi non conſtat, nihil à cæteris rebus ad bene viuendum adiumenti habueris. Quomodo enim ſibi rectè prȩſcribet, qui ne Deo
Luc.11 „ quidem ſeruat fidem? Qui non eſt mecum,
„ inquit Chriſtus, contra me eſt: & qui nõ col
„ ligit mecum, diſpergit. Nihil cõferunt diui
tiæ, nihil artes, nihil induſtria, aut quicquid
præterea mirantur homines: niſi Deus ad
Hier.10. partes acceſſerit, obſecundaritq;. Stultus fa
„ ctus eſt omnis homo à ſcientia ſua: ait pro-
Sap.9. pheta Hieremias. Et Salomon: Si quis erit
„ conſummatus inter filios hoĩum, ſi abfuerit
„ ab illo ſapiẽtia tua, in nihilum cõputabitur.

Ad hunc modum miſer peccator poſteaq̃ à Deo recedit, oẽm facultatem, quamcunq;

ad bene viuendū obtinuerat, ſibi eripit,atq; interuertit.Hoc conatur Chriſtus menti noſtrę inſculpere,& tanq̃ in ſpeculo ob oculos nobis opponit. E quo qui nō perſpicit quò miſerię ſe abijciat,qui vitā flagitiis contaminatā ducit,ille vel in cœlo ſolem quæſierit: ſeq́; volēs it perditū. Nos melius,chariſſimi, nobis conſulamus.Fortaſſis inamœnū & ingratū ſpeculum eſt,quod præter hulcera & tubera etiā minimos næuos repręſentat:ſed ſedulo contemplatū plurimū vtilitatis attulerit. In hoc primus eſt ad reſipiſcentiā gradus. Quandiu enim nō ſatis certū exploratumq́; eſt homini,quantum poſt ſe malorū peccatū trahat, minus illud horret : id verò vbi perſpexit,ad mentē ſe colligit, & errorem pœnitētia caſtigat: maximè quum per hāc omiſſa ſarciri,& interciſa reparari poſſe certò intelligit. Donet Deus, vt in omni vita noſtra malorū ac bonorū momenta tam clarè perſpicere queamus, vt illa vitare,hęc amplecti poſſimus. Amen.

Dominica Oculi,

SERMO QVARTVS.

QVibus progreſſibus peccator ab initio defectionis,ad malum,& ad mortem tendat,poſteaquam à Dei gratia & benignitate impudenter ſe auertit; poſtrema

concione, acolaſti noſtri exemplo, ſatis eſt oſtenſum. Deſciſcendi verò conſilium ſumit, vel ab ignorantia, quę illi mentis aciem obtundit: vel ab animi inſolentia & proteruia: vel à temeritate, quæ illum ad ſui periculum faciendum impellit. Nam ſimul atq; vel horum vni aurem animumque aduertimus, certum peccato, quæque illi debetur morti fundamentum locamus. Illud verò vbi vel paululum in nobis conualuit, agit, rapit nos quocúnque libuerit: nec ceſſat, quòuſque nos ex feliciſſimis reddiderit omnium miſerrimos: quéadmodum de illo ex propoſita parabola ſatis audiſtis: quem poſtquã in præcipitium ſemel adduxit, nõ deſtitit miſerum tam diu impellere, quoad eum ad peccati ac malorum profundum detruſiſſet. Ante omnia obedientiam, quam patri debebat, abrupit: voluit ſuo more viuere, neque ſuſtinuit alieni imperij moderationem ſuſcipere. Deinde proripit ſe è patris familia, vt liberioré ſui obſequendi campum nactum, nullius pudoris vel reuerẽtiæ metus coarctaret. Sed neq; hoc furenti ſatis: ad remotiſſima loca profectus eſt, vbi ignotus liberius ſcilicet peccaret, & quum patris cõſpectum falleret, impunè ſibi fore quicquid delinqueret ſperaret. Hanc fecerat ille ſuarum cogitationũ & conſilij ſummam: neq; dubium, quin, vt ſibi videbatur pru-

prudenter admodum: nam quid vſquã erit voluptatis & delitiarum, quod ſibi, à zona tam inſtructo, non promitteret? ſed poſt nõ multum temporis didicit, quò ſe inopię redegit. Didicit, quãto ſit tutius & honeſtius amantiſſimi patris liberalitate ſuſtentari, q̃ apud exteros victum in incerto quærere. Pater nunquam auocat à filio curam, illius omne eſt quicquid cura ac labore cõuerrit: omnia ei neceſſaria ſuppetit, ſibique potius detraheret quod filio largiretur. Apud exteros, ſi præſidia vitæ in crumena nõ habet, deſeritur ab omnibus: nemo miſerum tecto menſáve dignatur. Ne illi quidẽ, cũ quibus ampliſſimi patrimonij cenſum abſumpſerat, quiq; ex eo depauperato & fructum & voluptatem maximam perceperãt. Sed iuſtum hoc peccati ſtipendium, vt poſteaquã peccator à Deo receſſit, & bona quæ illi à patre obuenerunt dilapidauit: non ſolùm maneat rebus & dignitate priſtina exutus, verumetiam luxus ac prodigalitatis ſuæ incommoda patiatur. Qualia verò illa ſunt, ex his quæ in contextu parabolæ ſequuntur, audietis.

Et poſtquam omnia conſummaſſet, facta eſt fames valida in regione illa: & ipſe cœpit egere. Et abiit, & adhæſit vni ciuium regionis illius. Et miſit illum in villam ſuam, vt paſceret porcos. Et cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis, quas por-

porci manducabant: & nemo illi dabat.

Hic iam iacet miſer ſuis vinculis irretitus: neq; ſibiipſi conferre aliquid poteſt, neque alienorũ aliquis qui id faciat miſericordia mouetur: Quomodo igitur nõ ter miſerum dixerim, quem priſtinę vitæ recordatio duriſſimè affligit, & præſens neceſſitas acutiſſimo ſenſu flagellat? Nimirũ hunc capiunt conſilij ſui fructum, qui Deum in patrem habere recuſant: vt quum illius liberalitatẽ cõtempſerint, apud exteros ab egeſtate peſſimè & ignominioſè accipiantur. Quis vnquam illi, omnium rerum copia apud patrẽ affluenti perſuaſiſſet, futurum vt ſpecioſum illud conſilium tam infauſtum exitum haberet? Quod ne de nobis etiam dicatur, ab huius potius euentu, quàm à plagis experientiã petamus. Nihil enim aliud ſpectauit Chriſtus, quàm vt huius periculo cautiores redderemur. Notum eſt illud: Felix quem faciunt aliena pericula cautũ. Nihil ſiquidem illi accidit, quod nobis etiam metuere non debeamus, ſi pari contumacia paternæ neceſſitudini renunciemus. Vtinam id plærique noſtrum, non etiam propriis periculis edocti eſſemus: vt quàm apud patrem extra omnem neceſſitatem lętiſſimè viuimus, tam ſumus foris ab omni neceſſariarum rerum copia imparati. Sed hæc ex propoſitis verbis liquidius cognoſcemus, in quibus va

riæ

riæ peccatoris ærumnæ admodum graphicè depinguntur.

Primò ait famē validam in tota regione illa graſſari cœpiſſe. Et quando in cōmuni vita hoc non accidit, vt poſt intemperantiam & luxum, annonæ caritas ſequatur? Quam enim aliam ob cauſam oīum rerum precia hodie ſic increuiſſe putatis, q̃ quòd Apiciorum plena ſunt omnia, & conuiuationibus comeſſationibusq́; paſſim fœdiſſimè indulgeatur? Nam quod Salomon ignauis, & deſidia torpentib. prædixit, vt opprimeret eos quaſi viator egeſtas, & pauperies quaſi vir armatus: aliquantò certius decoctoribus & helluonibus condixeris. Sed ne in cortice verborum hæreamus, nō poſſunt non fame ringi, qui panem verbi Dei nō habent. Nam præter hunc, etiamſi aliis rebus abundes, nihil eſt qđ exſaturare te poteſt. Quod innuit, quū ſubiungit, *Et cœpit egere.* Certiſſimam nanq; egeſtatem lucrifacis, ſimul atque à Deo receſſeris. Eius enim capacitatis, immo & ingluuiei eſt cor humanū, vt quò plus illi aggeſſeris, hòc inhiet pluribus, minusq́ue queat copia reſtingui. Non ſaturatur (inquit Sapiens) oculus viſu, nec auris auditu. Qui verò cordis cupiditatem terminat, ſolus eſt Deus: qui replet in bonis deſiderium tuum, ait Pſalmograph. Et qui, teſtimonio Deiparę virginis, eſurientes imple-

Pro.6
Eccl.1.
Pſ.102
Luc.2

pleuit bonis, & diuites dimiſit inanes. Ex quo animæ humanæ indolē generoſitatēq; licet perſpicere,vt nullius rei fruitione con tineri,multò minus ſedari,niſi in ſolo Deo, poſſit.Contrà prauitatē noſtram ex eodem conſidera,qui hoc ſcopo neglecto, nunquā non mentem ad ea quæ ſub ſenſum cadunt dirigimus. Et, quod maximè ſtupendum ac dolendum eſt, tametipſi non raro infeliciſſimè nobis ceſſerit, non emendamur tamen: & animi ſedem,quòuis potius, quàm ad Deum traducimus.

Cœpit,inquit, *egere*.Neque ſanè mirum: qui ſe bonis omnibus,quæ erāt paternæ vo luntatis inſignia,ſpoliaſſet:& ab eius domo alienaſſet.Quod nō temerè adiecerim.Nam in domo Dei nullo defectu laboratur, ſed ſuppetit rerum copia vberrima.Quid enim ibi defuerit, vbi Deus ipſe gubernator eſt: ipſe,vtpote paterfamiliâs,domus curam ad ſe recepit: præbet ſuis neceſſaria ad vitam, alimenta ad ſalutem: paſcit verbo, nutrit ſacramentis,vegetat ſpiritu,ſolatio,pace,lętitia,& omnis boni certitudine ſuſtentat? Quò ſpectat,quòd non dicit abſolutè famē factam: ſed factam ait per totam regionem illam,in qua ille ſpontaneum exilium ſuſti nebat. Etenim qui ab illa paternæ domus opulentia,in eam incidit calamitatem, quā ſuprà demonſtrauimus; ille ad fulciendum

ani-

animæ robur nihil ſibi reliqui fecit, quum nec verbo Dei paſcatur,nec refocilletur Sacramentis, nec ſpiritu ſubſiſtat: vnde nec in animo pacato veram pacem,nec à ſecura conſcientia lætitiam, nec ab exſpectatione meliorũ ſolatium vllum conſequitur. Porrò an non dira fames eſt,quum id deeſt,ſine quo animam intercidere neceſſe eſt? Si ob corporis famem leuandam tantoperè laboratur ab omnibus,eiulatur,ploratur,miſcentur ſacra prophanis,nec à vi parcitur,neceſſitudines violantur:quid ob hãc æquum eſt facere,quæ omni ſucco pietatis exarefactis, nihil præter metum,anxietatem,inquietudinem,deſperationem,& mille alios id genus morbos relinquit? De qua fame loquitur Dominus per Amos Prophetam: Ecce *Amos.8*
dies veniunt,dicit Dominus,& mittam fa- „
mem in terrã: non famem panis,neq; ſitim „
aquæ,ſed audiendi verbum Domini. Hanc „
in homine excitat alitq; peccatũ: vt quum omnium bonarũ rerum,maximè diuinę miſericordię & opitulationis ſit egentiſſimus, idem ne ſubleuetur prę̨ſtet:& quum paſſim remediũ quærat,idem ne inueniat efficiat.

Rogas,quid ergo tam miſera fame enectus amplius facit? Nimirum quod Acolaſtus noſter: qui inedia cõpulſus,illius terræ incolæ cuipiam operam ſuam in paſcendis porcis addixit,vt vel ſic vtcunq; eſſet quod

ede-

ederet. Vide quò illum improba fames adegerit. Qui ſi ſanū conſilium ſequi voluiſſet, ſtatim vt errorem ſuum depræhendiſſet, cogitationem ad reditum reuocaſſet: & quidduis potius maluiſſet apud patrem tentare, q̄ ibi tàm illiberalem ſeruitutem pati. Sed patris memoriam iam ille procul reiecerat: & vt præſentem habuiſſet, pudor eum facilè à redeundo impediret: malletq́; ibi extrema pati, quàm errorem leuitatemq́; apud patrē profiteri. Fortaſſis erat etiam, quòd iuſtam patris indignationem metueret, quem tantoperè læſiſſet: atq; ita qui fame admonitus retrocedere ad patrem debuiſſet, longius ab eo auulſus eſt. Et ſanè ſuo merito hoc illis accidit, vt qui graue putant benigniſſimi patris monitis parêre, dura ſeruitute ab alienis premantur: & qui dulce iugū Dei ferre non ſuſtinent, in perpetuum piſtrinū à diabolo relegentur. Hanc conditionis varietatē expertus eſt ille. experiūtur quotidie & illi, qui eius exemplo à Deo deſciſcunt. Quos quum inopia meritò ad mentem, adq́ue patris pietatem implorandam reduceret, & ad pœnitentiam exacueret: pudore ſcilicet occupantur: ducuntq́ue ſatius, extremis malorum caſibus duriſſimè conflictari, quàm obſtipatam ſemel ceruicē optimo patri inflectere, & admiſſum erratū vltronea confeſſione delere. In aliis animi magnitudo ſuccum-

cumbit,dum ex facti ſui turpitudine patris iram metiuntur,putantque eum ad miſericordiam nulla ratione poſſe inflecti. Quę opinio poſteaquam apud illos inualuit, non deſperant ſolùm de reditu,verumetiam indies longius ſeſe abducunt,ſeq; peccato totos permittunt: &,tanquam ſi in ferrũ ruerent,nonnunquã viui volentesq; in diaboli nomen poteſtatémq; concedunt. Huius rei typum adumbrarunt olim filij Iſraël,quum à fame compulſi ſunt,non ſolùm apud exteros peregrinari, verumetiam in operibus luti & lateris grauiſſima ſeruitute occupari. Ita fit,vt quum peccator à Dei miſericordia excidiſſe ſe viderit,ad leuãdam inediam nullum diſcrimen adire recuſet. Gen.46

Intelligitis iam magna ex parte,quid hoc ſit: *Et abiit,& adhæſit vni ciuium regionis illius.* Ciuis iſte,vnum aliquod peccatum eſt, cui ſe plus cæteris implicuit. Erat quidem illi conſtitutum ſingula crimina ſic delibare,vt ex omnibus mixtam quandam & conſemineam voluptatẽ colligeret: ſed id quia forſan minus licet,vni alicui præ cæteris afficitur,eiq; in ſeruitutem ſe tradit. Qua autẽ ſpe,& mercede? *Et miſit illum in villam ſuam, vt paſceret porcos.* Meritò ad porcos paſcendos extruditur, qui iam porcinam naturã, quæ ſordibus maximè capitur,iisq; pro delitiis inuoluitur,induitur. Sed & cibum cũ

porcis capere gaudet, qui tam fœdum, tam abominandum excogitare nihil potuit, in quo voluptatem non quæreret, ſibi'que permitteret: atq; ita demum diabolus eum medium tenet, ſibi'que in intimam ſeruitutem aſtringit. Quid iam reſtat, quò minus & ipſe apud eius regionis homines ius municipij inuenerit: qui non errore aliquo, aut credulitate ſeductus, ſed certa cõfirmata'q; voluntate hanc cum illis ſocietatem contraxit, fidem'q; vel duriſſimis conditionibus obſtrinxit? Quem mihi ex omnibus hominibus dabis, qui non aliquando à patris domo ad exteros ſeceſſit? veruntamẽ aduenam tantùm aut hoſpitem, non ciuem dixerim, quandiu de ſede ibidem figenda nó deliberauit, & infirmitate magis q̃ voluntate ſeceſſit: omni'q; cura in reditum incumbit, ſimulatq; ſeceſſionis ſuæ errorẽ animaduertit. Et tale quidem diſcrimẽ intereſt inter humana errata, & admiſſa diabolica. Humana voco, in quæ imbecillitatis noſtræ conditio quotidie nos mittit, ſed affixi non manemus: atqui hæc Babylone hoſpites nos modò conſtituunt, vel inquilinos. Diabolica ſunt, quæ & certa voluntate deſignantur, nos'q; perpetua obligatione obſtrictos tenent: quales à diabolo, ad quem ſumma regionis illius reſpicit, ciuitate donantur, & pro ciuibus habentur. Illi ſedem amplius non mutant: peregrinus patriam

triam reſpicit,& ſicubi opinione longius hæſerit, mox moram illam feſtinandi diligentia recuperare ſtudet.

Porrò tametſi nunc primùm adhærere alienæ regionis ciui dicatur: nõ id vult dicere,quòd nõ & antea adhæſiſſet,ab eo nimirũ tempore quo à patre primùm deſciuit: ſed quòd iam ſe totũ illi permiſit, factus ſeruus peccati,ita imperata facturus,vt pudore nullo moueatur,nec ſceleris alicuius magnitudine terreatur. Nimirum Sardanapalicum illud,quod eſt apud Prophetã,in animo verſabat: Edamus,& bibamus,cras enim mo- » riemur. Et illud: Percuſſimus fœdus cum » morte,& cum inferno fecimus pactũ. Quid » verò illud,quòd eum ſtatim in villam ablegat? Vt eſſet,vbi nulla legũ ſeueritas,nulla diſciplina,nulla honeſti ratio eum ad mentem reduceret: ſed vbi propoſita licentia & impunitate, nihil non quod liberet liceret. Quanq̃ ne ad ingenium aliquãdo rediret,honeſtæ ablegationis ſpecie ac munere impeditum illum reddit,quaſi ipſius fidei ac diligentiæ villam ſuam committeret: ſed mox porcis,hoc eſt, fœdæ ac brutali voluptati eũ admouet, à qua videlicet difficilius ſe expediat. Nec hoc ſatis: etiam ſiliquarum deſiderio eum tingit: hoc eſt,id efficit,vt nullã ille iam turpitudinem ſubterfugiat,aut ſibi ignominioſam ducat; immo nihil concupi-

Eſa.22
Eſa.28

ſcat,dicat,agat,quàm quod cum beſtiali delectatione eſt coniunctum. Interim tametſi ventrem ſiliquis explere cupiebat, Nemo, inquit, illi dabat. Non modò ſe illis nõ exſaturat: ſed quantaſcunq; vorat, famem magis eliciunt q̃ extinguunt. Ah quò miſeriarum ſeſe abijcit peccator, qui Deum deſerit.

Pſal.48 Vt verè de eo dictum ſit in Pſalmis: Homo quum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Quod vt apud animum diligentius expenderent, ait per Hieremiá: Sci-

Hier.2 gentius expenderent, ait per Hieremiá: Sci-
„ to, & vide, quia malum & amarum eſt reli-
„ quiſſe te Dominum Deum tuum, & nõ eſſe timorem eius apud te. Quò etiam ſpectant

Baruch.3 iſta quæ in libro Baruch legimus: Quid eſt
„ Iſrael, quod in terra inimicorum es? Inue-
„ teraſti in terra aliena, coinquinatus es cum
„ mortuis. Subnectit cauſam: Dereliquiſti fon
„ tem ſapientiæ. Nam ſi in via Dei ambulaſ-
„ ſes, habitaſſes vtiq; in pace ſuper terram.

Ex his intelligite, chariſſimi, quàm noxia fames ſit, quę hominẽ in has anguſtias protrudit. Ah quàm nullam habet homo dignitatis ſuę, immo & ſanguinis & mortis Chriſti rationem, qui turpium voluptatum gratia ſe in peccati ſeruitutem tantoperè inuoluit, vt operã ſuam diabolo in fœdiſſimis rebus locare cogatur: nec interim aliam mercedem aufert, quàm vt porcorũ, quibus inſeruit

ſeruit, ſiliquis famē non niſi malignè depellat. Quid hac demùm conditione miſerius, atque adeò miſerabilius? Confer cum hac, ſi placet, prioris vitæ gloriam, ſplendorē, opulentiam, libertatem: non poteris eum non ſtultitiæ, immo & inſaniæ damnare. Viuebat antea ſub patris cura, nunc Dominum, vel tyrannum potius patitur crudeliſſimū: prius erat liber, nūc ſeruit fœdiſſimè: antea affluebat diuitiis, & omnium rerum copia, nūc omnium nudus eſt: antea apud patrem in honore erat, nunc degit inter porcos: frequentabat olim domū Dei, nunc incolit villam diaboli: paſcebatur tunc pane angelorum, nunc ſiliquis porcorū veſcitur, & quidem infra ſatietatem. Eſtote animo ac ſenſibus in his, chariſſimi, ne vnquā vos à Deo auelli patiamini. Quiſquis es peccator, qui te extra domum Dei agere depræhendis, & quòd optimum patrem dereliquiſti, miſera fame conſumeris: attende hæc, & rebus tuis nondum deploratis, conſilium cape. Pœniteat te ſtoliditatis, damna arrogantiā tuam, dole temeritatem tuam: quibus conſultoribus huc es prolapſus. Intende fugam quàm primū potes, potes omni momento: reſpice ad patrē, neq; tam longā cum filio prodigo morā necte: nō eſt quòd pudor confeſſionē culpę impediat: multò minus de patris in te pietate ambigere noli, qui nunq̄ pater eſſe
 de-

deſiſtit. Quare abrumpe cogitationẽ illam, qua factum tuum ſupra eius miſericordiam exaggeras: intra illã conſiſtunt omnia: noli committere, ne in deſpectionem periculi, & peccati, deſperatio te adducat: néue in diaboli ius poteſtatemq́; concedas, qui, vt aliud ſimulet, hoc vnum tamen ſpectat, vt perpetuæ damnationis calamitate ſententiaq́; te feriat, ſecumq́; inuoluat. Patiens, benignus,
Ioel.2. miſericors, & præſtabilis ſuper malicia, eſt Dominus Deus tuus, ad quem te reuocam⁹. In ſumma, relinque ſiliquas porcis, & redi ad panem vitæ, in quo ſolo vita conſiſtit. Quod nobis omnibus largiatur, qui viuit Deus in æternum. Amen.

Dominica Lætare, SERMO QVINTVS.

HActenus ad mentẽ Chriſti ſermonem noſtrum in propoſitę parabolæ explicatione ita attemperauimus, chariſſimi fratres, vt ex ea peccatoris miſeriam tanquam in pergula ſpectãdam vobis proponerem. Et id quidem ad mentem, vt dixi, noſtri Seruatoris: cui operá in hoc col locare nõ eſt viſum inutile. Ab hoc ſiquidẽ limine ad pœnitentiam proceditur: habetq́; ad peccati deteſtationem, vitationemq́; prę ſentiſſimos aculeos. Nemo verò ad vitandũ

relin-

relinquendumq́; peccatū morā rectè interpoſuerit, ne poſtea etiamſi poſſit non velit. Nam ſæpè vſuuenit, vt poſtq̄ peccator aliquis diutius aſſueuerit, cōtemnat redire, nō ferat manum ſibi adhiberi, ſed bene monentibus, quin & ipſi Deo liberè oppedat. Quā calamitatem vt à nobis auerteret Chriſtus, hac parabola admonitos nos voluit, vt ſi minus à peccando nobis temperauiſſemus, ſaltem ne ſalutem noſtrā deſperatione proderemus: quum decoctori iſti poſt tantam ingratitudinem, petulantiam, improbitatem, reditum ad gratiam patuiſſe cognoſcamus. Enimuero eam, inquam, ob cauſam tam graphicè omnia nobis expreſſit, quem ille con ſilij ſui habuit progreſſum, quem exitum: quomodo illud deniq; pœnitentia caſtigauit: vt quum eum tam feliciter reſtitutum audiamus, de nobis etiam certiſſimā ſpem conciperemus: fore, vt ſi ex animo reuertamur, nō minus facilem patrem habituri ſimus. Hoc voluit Chriſtus ex hac parabola peteremus: hac conſolatione & ſpe erectos confirmatosque nos voluit. Pro.18.

Interim diligenter à nobis cōſiderari debet, herilis filij dignitatem, poſtquā peccato operam dedit, ad ſubulci functionē, qua nulla inhoneſtior, à Chriſto relegari: neq; voluptatem illam omnē, quam peccator per tot pericula ſectatur, quaque ſe ingurgitare ac

inebriare tantopere ſtudet, nõ alio nomine q̃ ſiliquarum fuiſſe dignatũ. In vtroq; eum rationem ſequutum, & verum dixiſſe doce-
Gen.1. bimus. Inprimis conſtat, ad Dei imaginem & ſimilitudinem creatos nos eſſe, ab eoq́; habere quòd intelligimus, quòd diſcernimus, quòd comminiſcimur, cæterasq́; animæ functiones, quæ, quòd ſingulares ſunt, homines nos cõſtituunt. Iam quòd Chriſtiani ſumus,
Gal.4 ex ſpiritus fit cõmunione, quẽ in baptiſmo patris munere per Chriſtũ accepimus. Hæc quidem ita ſe habent. Verùm enimuero vbi eò inſaniæ procedimus, vt nec rationẽ, nec ſpiritum ipſum audiamus, ſed libidinem & concupiſcentiam, quæ, quòd per ſe ſordida eſt, pro ludo habet volutare in cœno & ſterquilinio: iam priſtinas illas nominum dignitates amiſimus, neque aliud meremur dici q̃ ſues: quas paſcimus, quum cupiditati noſtrę nulla irritamenta voluptatũ negamus. Senſibus etiam bruta reguntur: his verò peccato vitiatis quum morẽ gerimus, nihilo iam brutis pręſtamus, quibus ſeruimus, immo in quorum nomẽ moremq́; tranſiuimus. Huc non incommode retulerim, quod apud Mat-
Matth.8. thæum legitur, de dæmonibus, qui ex hominibus fugati, permiſſu diuino obſederũt porcos. Expulſi ex hominibus dæmones, animabus noſtris per Chriſtum vindicatis, porcos inuaſerunt, concupiſcentiam intelligite
quę

quę obſcœnis gaudet,neq; tamen eorũ frui-
tione exſaturari vnquã poteſt. Quod D. Pau
lus ne de ſeipſo quidem tacuit: Condelector Rom. 7
(inquit) legi Dei ſecundum interiorem ho „
minem. Video autem aliam legem in mem- „
bris meis, repugnantem legi mentis meæ, & „
captiuantem me in lege peccati quæ eſt in „
membris meis. Intelligitis iam quid ſit por
cos paſcere: videtis quãtopere à paterno ſan
guine degeneretis, quum corpus (quod vna
litera tranſlata porcus ſonat) ita paſcitis, vt
cupiditatibus eius omnibus ſubſeruiatis. Pa
ſcis porcos, & interim imaginẽ Dei occidis.
Curas vt corpori bene ſit, & animam macie
fameq́; confectam extinguis. Sed quid ma
gni, obſecro te, conſecutus es, ſi porcos bene
paſcis, ſi corpus nitet, ſi cupiditatibus ad vo
luptatem nihil ſubtrahis: quum interim ni-
hil aliud q̃ porcos paſcis, nempe animal bru
tum, ſordidũ, inuiſum, & quod cœno nutri-
tur, cœno gaudet, cœnoq́ue ſuperbit? Quid
prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lu- Mat. 16
cretur, animę verò ſuę detrimentũ patiatur? „
ait Chriſtus in Euangelio. Certè tota ſalutis
noſtrę ratio ab anima depẽdet: ab hac hoĩes
ſumus, & vocamur, eãdẽ illa immortales ſu-
mus. Sed hęc quia remota ſunt à mẽte pecca
toris, ſtuduit Chriſtus hac ratione adducere.
Quòd verò totum illud quod peccando
ſectamur, dulce illud peccati merum quod
pala

palatum noſtrũ tantoperè titillat, excitatq́;, ſiliquarũ nomine nimis, vt videtur, ruditer perſtrinxit: vel Ioannis teſtimonio verum
1.Ioã.2 „ dixit: Omne, inquit ille, quod in mundo eſt,
„ concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia
„ oculorũ, aut ſuperbia vitæ. Certè his tribus nominibus, voluptatis, ſuperbiæ, & ambitionis, omnia comprehenduntur, quę mundus tam glorioſè oſtentat, & quorũ gratia à mũdi amatorib. ita tumultuatur, belligeratur, palpatur & ſæuitur: quæ tamen Chriſtus nihil aliud dixerit quàm ſiliquas: ob eam ſanè cauſam, quòd ventrem tantùm onerant, nõ ſaturant. Id autem exemplo cõfirmabimus. Nihil ferè eſt, quod omnes promiſcuè homines ita ſectantur, atq; in edendo & bibendo voluptatem. Sed hæc, obſecro, qualis eſt? In deſiderio forſan longa eſt, ſed in experientia q̃ breuis? Simulatq; cibus à lingua in gulam tranſmiſſus fuerit, quod puncto ferè tẽporis abſoluitur, non modò deſinit eſſe voluptas, ſed corpus iam grauedine & torpore afficit, vt ne dicam quòd ſæpenumero valetudinẽ tentat, mortemq́; inducit. Sunt alterius generis voluptates multę, quę quum maximo parantur, puta fortunarũ, honoris, vitæ, immo & animæ diſpẽdio: quid tamẽ iis aliud, q̃ dolorem ac pœnitentiam tibi lucrifacis? Idem dixero de ſuperbia, de ambitione: quę verè ſiliquarum inſtar onerant, non ſatiant.

Quod

Quod tamen vt falſò:quis rebus tam incertis fidat, quas non rarò quum hodie habemus,cras amittimus? Immo quis tam infidis ſe credat,quæ tantarum calamitatũ homini ſunt authores? vt tolerabile eſſet, ſi non prodeſſent, modò non nocerent. An nõ igitur ſummoperè deplorandum venit, quòd his rebus, quæ falſò bonorum nomine nobis blandiuntur, tantum tribuimus: & interim verorum bonorum promiſſione ne commouemur quidem? Nec ad mentem reuocamus,quis nobis imaginũ à Deo ſplendor, quæ à Chriſto natalium gloria, in quæ bona vocamur,& q̃ parata victoria? Viſum fuit,chariſſimi,his perſequendis longius vacare,vt tandem aliquando perſpicere poſſemus,quàm miſerabili cæcitate,quàm indignis artibus, à peccato diaboloque circumuenti tenemur, quaq; nos cõtumelia,quoq; detrimento affecerint. Nam quoad in hac parte hallucinamur, certũ eſt nos à ſiliquis iſtis minimè iri abductum,ſua illa ſpecie ac oſtentatione voluptatis: quũ reuera nõ ſint illæ humanus cibus,ſed merè porcinus.Sed iam ad reliqua perſequenda pergamus.

In ſe autem reuerſus, dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus: ego autem hic fame pereo. Ad pœnitentię iam doctrinã tranſimus.Hactenus audiuimus quid hominem abducat,copuletq; peccato:nunc

in eum locum commodùm deducimur, qui eſt de peccatoris reſtitutione, & felici cum Deo recōciliatione. Quæ tametſi à Chriſto non multis verbis aſſignantur, efficaciſſimis tamē, ampliſſimiq; ſenſus: quemadmodum pro modulo noſtro declarare curabimur. Principiò nō temerè dictum eſt, In ſe reuerſus. Ex quo genere ſermonis licet animaduertere, peccatorē ab ebrio & mente capto haud abſimilem à ſcriptura haberi. Nam de talibus ita dicere ſolemus, Non eſt apud ſe: quòd, quum vel potu obruti ſunt, vel furore exagitātur, multa eos & dicere & facere videmus, quę minimè dicturi, facturíve eſſent ſi integris ſenſibus vterentur. Quod quum aſſequuntur, mentisq; ſunt compotes, ad ſe rediiſſe, vulgò dicimus. Hanc porrò ſermonis faciem quū Chriſtus decoctori iſti nunc accommodat: an nō apertè dicere videtur, eum qui tam improbè à patre ſeceſſionē fecit, ſeq; in extremam calamitatem prudens cōiecit, nihil ab hoīe temulento, furioſo, & lymphatico diſcrepaſſe? Quod de illo non ſolùm verè affirmaris, verumetiam de omnibus iis qui eius exemplò patrē relinquūt.
Luc.23 Sanè Chriſtus, & qui illum morte & patien
Act.7 tia proximè eſt inſequutus, Stephanus, hoc teſtimonio peccatores ſubleuarunt, quòd haudquaquam ſcirent quid facerēt. Tu igitur, quum aliquem ebrietate aut furore cor

reptum turpiter indigneque ſe gerentem vides, ad teipſum cogitationem reuoca: teq; multò turpius ab animo furere crede, quoties fœdas illas voluptates intemperanter exhauris. Planè ad eum finem permittit aliquoties Deus, vt proximos noſtros tam horrendis miſerãdisq; modis agitari videamus: quò de noſtro ſtatu vicino exemplo erudiremur, atque apud animum ita nobis loquemur: Dura quidem illa: neq; ego verò aliter me cõcerpo, quum verbo Dei neglecto, cupiditatibus obſequor. Et perinde vt iſte miſerabilis omnibus, neque ipſe ſui miſeretur, neq; pudore tangitur: ita credere poſſum, neq; me miſeriam meam, neq; ignominiam, quam tamẽ in omnium ora & oculos pono, neutiquã perſpicere. Ah bone Deus, ſi corpus, quod poſſidet Diabolus, tam miſerè & horribiliter accipit: quid illum in animam meam facere, quum admitto, me credere par eſt? Si tam ridiculum ſe prębet, qui largiori tantùm potu, mox ſibi reſtituẽdus, intellectum obruerit: quo ludibrio ego ſum malignis ſpiritibus, quum me voluptatibus ingurgito? Si maior homini infelicitas obuenire non poteſt, quàm ſenſibus eſſe orbatum: an non infinitis partibus infelicior ero, ſi gratiam, nomen, denique verbum Dei mihi inutilia reddidero?

Huiuſmodi cogitationes complures cre-

are ex verbis illis, Et reuerſus in ſe, nobis poſſumus. Felices quidem illos, qui excuſſa mentis temulentia, ac depoſita peccati inſania, ad ſe aliquando reuertuntur. Accidit illud quidem rarius, nec ſine inſigni Dei pietate: interim eſt nobis neq; deſperandum, neque deſidendum. In Deo certè nulla erit mora, aut difficultas: quin & oportunitatē ſæpè miniſtrat, operamq́; pollicetur: ſed à nobis eſt vitium. Sed agite chariſſimi, & ab Acolaſto noſtro quod ſequamur petamus.

Poſſumus verò duas cauſas reddere ipſius reſipiſcentiæ: & quòd miſeriæ ſuæ ſenſum percepit, & quòd paternę familiæ memoria pulſatus eſt. Ab illa habet, quòd diſplicere ſibi incipit, ſuumq́; damnare conſilium: per hanc erigitur in ſpem, ne deſperatione ſubſidat. Impellebat eum neceſſitas, ſpes alliciebat: atq; ita factum eſt, vt his adiutorib. in ſe reuerſus, ea odiſſe inciperet, quæ antea amarat: ea amare, quę antea odiſſet. Ego hîc fame pereo: neceſſitatem audis quæ illum premebat. Et felicem neceſſitatem, quæ panem ſubtraxit, ſed mentem reddidit: quæ niſi fuiſſet, certum erat de eius ſalute actum fuiſſe. Ita ſolet nos Deus plagis nonnunquā & verberibus à ſtulticia reuocare, & quidem inſigni teſtificatione ſuæ in nos miſericor-
Eſa. 28. diæ: nam vt verè Propheta, Sola vexatio dat
„ intellectum auditui. Quēadmodum ſimili

exemplo temporib. Heliæ populum Iudai- 3.Re.18.
cum, immiſſa graui fame, ad Dei cultum re-
uocatum legimus.

Familiare Deo eſt, minis & terroribus primùm peccatoribus ſcrupulum iniicere, deinde in peccati cognitionẽ inducere: quibus viis ad pœnitentiam peruenitur. Hoc
conſilium ſequebatur Ioannes Baptiſta: in Mat.3.
peccata grauiter inuehitur, neque interim à minis temperat: quum in exciſionem infœcundæ arboris, & ſecurim & ignem adhi-
bitum iri dicit. Sequutus eſt & Petrus, ita vt Act.2.
cócionante illo edenteque miracula, fieret omni animæ timor: rogarentque quid illos
facere iuberet. Ita adductus eſt ad fidẽ Pau- Act.9.
lus, ab equo in terram violenter deiectus.
Immo ne legem quidem Deus alio conſilio Exo.20.
promulgauit, quàm vt illam, per quam ducimur in cognitionem peccati, quæque nos minis & diris, & iactatione iudicij à peccando abſterret magis, quàm retrahit: medicati Euangelij faceret eſſe anteambulonẽ & miniſtram. Atq; hinc, vt dixi, ſternitur via ad pœnitentiam. Nam ante omnia neceſſe eſt vt peccati naturam probè cognitam habeamus, & quodam metu futurorũ tangamur: priuſquã rectè pœnitentiam egerimus. Sed ſterni viam dixi, nó rem ipſam iam ſuſcipi. Nam ad hoc plura requiruntur, quæ ex ſequentibus erunt manifeſta.

Quàm

Quàm multi mercenarij in domo patris mei abundant panibus. Iam à præſenti miſeria ad patris benignitatem ſe confert: alioqui fruſtra ſemper dixiſſet, ego hic fame pereo: qđ eum in deſperationem citius cóieciſſet: niſi ſolatio paternæ domus memoriam ſibi adhibuiſſet, in qua etiam mercenariis bene & cómodè eſſe liceret. Et alterum hoc ad pœnitentiam pertinet. Non enim ſatis eſt, peccati, diuiniq; iudicij cognitione nos eſſe inſtructos, earumque rerum graui metu percelli, lugere, plorare, & frãgi: verùm neceſſe eſt, vt iuxta hæc ſpem firmiſſimam de Dei in nos voluntate & facilitate alamus: alioqui oporteret nos in vicinam deſperationẽ incidere. Hinc (vt paulò antè dixi) legis ſeueritatem ſubſecuta eſt Euangelij gratia.

Ioan.1 Et Ioannes quidem poſteaquam proſciſſis vitiis peccatores grauiter perculiſſet, Chriſtum illis demonſtrat, qui ſanandis illis gratuitum medicũ profiteretur. Ecce (inquit) „ agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.

Act.2 Petrus itidem poſtquã inſontis Chriſti mortem Iudæis, q Meſſiam ſuum agnoſcere debuerant, opprobraſſet, imputaſſetque: mox ad conſolandum eos orationẽ flexit. Neque

Act.9 illud non & in Paulo accidit, quem deiectũ & conſternatum, ſurgere & ad ciuitatẽ pergere iuſſit, fore vt ibi de ſua voluntate cognoſceret. Fieri enim non poteſt, vt quum

duo hæc, cognitio peccati, & certa de Dei miſericordia opinio,metus & ſpes ſimul iun guntur: quin ſequatur peccatorum depulſio,vitæq; emendatio: quod vel ex ſolo hoc Acolaſto liquere ſatis poteſt.

At vtrunq; Deo deberi,nec nobis aſſcribi poſſe,certum eſt. Nemo in cognitionem cri minum ſuorum venire poteſt,niſi Dei beneficio: nemo veram de illo opinionem concipere,niſi idem ipſe dederit. Enimuero nō alius erexit Paulum,quàm qui deiecit:neq; alius deiecit, quàm qui erexit. Non ſumus 2.Cor.3.
ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi „
ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt: „
ait idem. Cognitionem criminū accipimus Rom.3.
à lege: eadem arguuntur à ſpiritu: vt manifeſtum ſit nos metum & ſpem non aliunde Ioan.14.
conſequi quàm ab ipſo Deo: metum,q calcaria ſubdat: ſpem,quæ propoſita rei facilitate inuitet. Sed forſan iam dicit mihi aliquis: Si totum Deo debetur, quid igitur à me exigis? quomodo ergo imputare mihi potes,quòd peccandi finem non facio: quū ſcriptum legimus, Non volentis,neque cur Rom.9.
rentis,ſed miſerentis eſt Dei? Adferunt hęc „
quidem in ſui purgationē delicatuli homines: ſed nihil agunt. Quibus oppono quod in Apocalypſi legimus: Ego ſto ad oſtium & Apo.3.
pulſo: ſi quis audierit vocem meam,& ape- „
ruerit mihi ianuam,intrabo ad illum. &c̄. „

Deus pulſandi nullum finẽ facit: nunc pul ſat verbo, modò mouet affectus, modò inſtruit exemplis, interdum etiam excitat flagellis. Cõmonitiones quædam ſunt, quibus pietatis ſuæ copiam nobis obtrudit: vt per illum ſtare, quò minus reſipiſcamus, nemo rectè dixerit. Quum in omnibus ferè ſcripturæ paginis tam multa mentio eſt diuinę pietatis & miſericordię, adhuc ignorare poſſumus quò imbecillitatem noſtram referamus? Ex illa cognoſcimus paratam immo obuiam nobis eſſe ſemper ipſius miſericordiam, idque vt imbecillis manum porrigat: quare negligimus facultatẽ? quare non vtimur neceſſario, ſed oblato remedio? Quid

Ezech.18 his teſtimoniis apertius? Nolo mortem pec catoris, ſed magis vt conuertatur, & viuat.

1.Tim.2. Et, Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionẽ veritatis venire? Quæ quoniam de Dei voluntate certiſſima ſunt, ex eadem ſcriptura manifeſtum eſt, Deum nõ alia re tam grauiter commoueri, quàm vbi ſuæ pietati ab ocioſis & ingratis illudi videt.

Matt.23. Hieruſalem, Hieruſalem (ait Chriſtus) quo-
„ ties volui cõgregare filios tuos, quemadmo-
„ dum gallina congregat pullos ſuos ſub alas:
„ & noluiſti. Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Eodem ſpectant illa Pſalmo-

Pſal.108 graphi: Dilexit maledictionem, & veniet ei:
„ noluit benedictionẽ, & elongabitur ab eo.

Et

Et quod Paulus Iudæis obiecit: Vobis (in- Act.13.
quit) oportebat primùm loqui verbum Dei: „
ſed quoniá repellitis illud, & indignos vos „
iudicatis æternæ vitæ: ecce cõuertimur ad „
gentes. Ex quibus facilè eſt depræhende-
re cauſam, quur alij ad Dei voluntatem ſe
colligant, alij minus. Quemadmodum Sol
omnibus quidem lucet, ſed non omnibus
conſpicitur: ita Miſericordia DEI offert
quidem ſe omnibus, ſed non omnes ample-
ctuntur. Ad quam qui ſtudium animumq́;
adiungunt, nõ difficulter ſeſe à peccatis ex-
cutiunt: aliis interim præſentem calamita-
tem æterna morte cumulantibus. Proinde Pſal.12.
cum Pſalmographo Domino dicamus: Illu- „
mina oculos meos, ne vnquam obdormiam „
in morte: ne quando dicat inimicus meus,
pręualui aduerſus eum. Quód pręſtet nobis
qui eſt DEVS in ſæcula benedictus. Amen.

Dominica in paſſione,

SERMO SEXTVS.

QVibus cogitationibus ſe ad pœnitentiam confirmarit Acolaſtus noſter, poſteaquã Dei beneficio verũ cernere cœpit, hinc inopiam ſuam indignamq́; calamitaté, inde paternæ domus opulentiam: ſuperiori concione à nobis, ni fallor, dictum meminiſtis. *Quàm multi*, inquit, *mercenarij*

in domo patris mei abundant panibus: ego autem hic fame pereo. Quæ eius querela magnam habet ſtultitiæ ſuæ miſeriæq; teſtificationē, quam nūc primùm infuſa luce cognoſcere ac deteſtari occepit, quum ſe Diaboli artibus tam miſerè captum videt.

Omnino triplici numero ſunt, quos diabolus in poteſtatem ſuam traduxit. Quorū qui primi numerantur, hos prę iudicio quodam præter ipſorum voluntatem poſſidet: vt ſunt pueri, qui necdum baptiſmum perceperunt: quos non iudicij peruerſitas, ſed
Eph.2. paternę labis origo, nempe natura filios irę, damnauit. Alios ita voluntarios poſſidet, vt quum deliberata voluntate ſeſe peccato dediderunt, in eo volentes conſeneſcunt: & tametſi reſipiendi facultatem nonnunquā agnoſcunt oblatam, tamen vti recuſant. Tertios quauis ratione in ſuam poteſtatem redactos, infidos patitur: vt qui fugerent, ſi poſſent: vnde & irretire ita eos ſtudet, vt omnem illis euadendi facultatem prę cludat. In horum claſſe erat filius ille prodigus, & quicunque peccati ſeruitutem cum meliori libertate libenter commutarent. Sed cui rei quum difficultatem magnam obiici vident, in hæc verba nonnunquam ſuſpirant: O q̄ multi mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo. Alios verò quum vident, quos minoribus nexi-

nexibus implicatos putant: deplorát apud ſe, quòd eorum hominum prudentiam nō ſunt ſecuti: felices eos ſuo patre, conſcientiaq́; arbitrantur: quum quòd ab hac quieti ſunt, tum quòd ille panis copiam præſtet. Ita illi quidem alienam felicitatem magni æſtimant: interdum etiam nimio fortaſſis: quandoquidem fieri poteſt, vt quos ipſi pro filiis ſuſpiciunt, nō aliud quàm mercenarij ſint, qui non perpetuum paternæ beneuolentiæ fructum, ſed diurnam modò mercedem, hoc eſt huius vitæ commoda ſpectent. Nec hos tamen nō ille felices ducit, ſecumq́; præclarè actum crederet, ſi vel horum conditione apud patrem eſſe liceret: ita illum habet fames ſollicitū, tam libenter ſeſe explicaret: iam ſuo iudicio nemo viuit miſerior, nemo inopia maiori ringitur, nullius conditio poteſt eſſe deploratior: alienā felicitatem vbique in oculis circumfert, præſtantiores illos, & ab animo tranquillos credit: optat vel abiectiſſimi mancipij loco apud patrem eſſe: quod ſibi ſi contingeret, nihil voto amplius cōſequi poſſet. Sint mercenarij, ſint mancipia: certè præ ipſo hóc felices ſunt, quòd pane abūdát, quòd aliena induſtria vitā ſuſtentant: ego autē (inquit) hîc fame pereo. Ad hūc modum miſer peccator (ſed qui iam incipit eſſe felix) in animo diſcerpitur, ſuſtinet ex infelicitatis ſuę

conſideratione indicibilem angorem: eoq́; maiorem, quòd quaſi de tanto caſu attonitus, oculos ad fundum peccatorum quò recidit deflectit: nõ ad cœlum, vnde illi præſidium & ſolatium venire debet, attollit.

Sed hoc loco negligendum nõ eſt, vt intelligamus, non omnes familiæ diuinę aſſeclas & vernas ꝓ filiis ſtatim haberi: nam quàm diu operam ſuam ita locant, vt non in poſterũ ſolidam hæreditaté ſpectent, ſed eam quotidiana mercede carpere malint, quiduis eos potius dixeris quàm filios. Immò citius mihi dederis decem, qui caduca tantùm pro labore depoſcunt, vel qui metu tantùm officium præſtant: quàm vnum qui laborem ſuum non ad mercedem, ſed ad gratiam conferat, quíque ſolius beneuolentiæ impulſu opus faciat. Proinde nõ continuò beati ſunt, qui aliquopacto in DEI familiam irrepſerunt: quia ſeruus (ipſius Christi teſtimonio) non manet in domo inæternum: filius manet inæternũ. Studeant ergo filiorum loco eſſe & haberi, qui domus huius conſuetudine delectantur. Quanquam præſtat vel mercede illi patrifamiliâs officium vendere, q̃ ſe reddere ab eo penitus alienum. Illi enim habent interim, quo ſe ab inopia tueantur: quum miſer ille foris tantùm non enectus ſit fame. Sed hoc mihi potius conſiderate: ſi ne mercenariis quidem,

Ioan.8.

quos

quos nulla beneuolentia,ſed vel metus,vel præmatura quædam auiditas ad ſeruiẽdum impellit: non omnia abundè adeſſe nolit: quid filiis facturum creditis, qui cõtempto ſtipendio in ſola eius pietate acquieſcunt? Quid deerit filiis, vbi etiam mancipia ipſa neceſſariis abundant?

Hactenus audiuimus,quid Chriſtus vocarit,In ſe reuerſus: nunc verò quid poſtea id illi cõtulerit,explicabimus. Primum diuinæ pietatis donũ, eſt lucis qua videre incipimus,infuſio. Et quidem primo loco illi referendum eſt,quòd diſplicere ob ſtultitiã ſibi cœpit, malueritque inopia omnium rerum ibi peſſimè flagellari,quàm ad patrem repedare, vbi ne mercenariis quidẽ deeſſet, quo largiter ſe paſcerent. *Surgam* (inquit) *& ibo ad patrem meum,& dicam ei: Pater,peccaui in cœlum & coram te:iam non ſum dignus vocari filius tuus : fac me ſicut vnum de mercenariis tuis. Et ſurgens vẽnit ad patrem ſuum.* An non feliciter in ſe reuerſus eſt, qui tam deploratis initiis tam ſalubre cõſilium ſubnectit,nec antè quàm pfecerit ceſſat? Hanc prudentiam,circumſpectionẽ,immo &prouidentiam non aliunde quàm è ſacris literis petieris. Sed quid hinc ſequitur?Vt ingenio valeas, vt rerum vſu, cognitioneq; literarũ ſis exercitatiſſimus, certè negabit te Chriſtus apud te eſſe, niſi ad hunc modum tecũ

ratiocinatus fueris, teq́ue ad ſalutem tuam collegeris. Quid prodeſt, ſi vulgò nihil fallere te poteſt quod nó acutè perſpicias: quū interim in iis, quæ animæ tuæ negotiũ tangunt, pro ebrio, bardo, & inſano te geras: nõ dignoſcas pium ab impio, honeſtum ab indecoro, lucem à tenebris? Potes aliis de iure ſucceſſionis, de capiendo legato, rectè cõſulere: & tibi nó cõſulis, vt qui Deo ſcriptus es hæres, tam luculẽtam hæreditatẽ minimè amittas? Apagete mihi cũ iſta iuriſpruden-
Eccl.30 tia. Rectius conſulit Sapiens: Miſerere (in-
„ quit) animæ tuæ, placens Deo.

Immo qui hactenus Acolaſtum noſtrum ſtultitiæ damnauimus, iam ab eo prudentiæ normam petamus. *Surgam*, inquit. Qui ſe velle ſurgere dicit, declarat quòd antea ceciderit: alioqui nó eſſet opus ſurgere. Quid præterea? *Ibo.* nam hactenus quidem ſubſtiterat, aut verius retrogreſſus fuerat. Iturús ne vbi melius habebit? immo inquit, *ad patrem meum*: cui antea cum implacabili tyranno fuerat negotium. Ex his procliue eſt diſcere, illum ad ſe iam verè rediiſſe. Non ſuſtinet diutius peccato operam dare: ſatietas illũ cœpit peregrini moris: nó fert amplius grauiſſimum diaboli iugum. Surgam, & ibo ad patrẽ meum. O ſanctũ conſilium, ſancta cogitatio. Hac via itur ad pœnitentiá, ad gratiam, ad ſalutẽ, ad patrẽ deniq;. Deliberatio qui-

quidem ipſius erat propria: ſed cum coope-
rante Dei gratia. Totum quidem conſilium
ab ipſo depẽdêre videtur: ſed reuera Dei eſt.
Quando ſiquidem peccator eam mentem,
vel ex ſe caperet, vel oblatam ſuſciperet?
Nónne multos iam annos diuerſis malis ad
pœnitentiam quaſi protrudimur, & adhuc
ægrè expedimus? Si nulla neceſſitas vrgeat,
quotumquenq; vanitatis ſuæ, libidinis, am-
bitionis tæderet? Quem extera regio, puta
mundus iſte, à quo tamen toties malè acce-
pti ſumus, non capit, non tenet, non ægrum
ægrè dimittit? Cui demùm pudori eſt, quòd
tam diu diabolo ſubulcum egerit, & turpi
guloſitate ventrem ſiliquis infarſerit? Pro-
indè rectè dixero: non caro & ſanguis, ſed Mat.16
pater noſter cœleſtis hæc illi reuelauit. Car-
ni & ſanguini debetur, quòd præfracto ani
mo contra Deum rebellamus: ſed quòd eo-
dem demiſſo ad pacificationem quum reſpi
cimus, tum redimus, ſoli Deo ferendum eſt
acceptum. Perditio tua, Iſrael: tantummo- Oſee.13
do in me auxilium tuum: ait Dominus per »
Prophetam. Quo pacto verò ad præſidium
peccatori ferendum procedit, ex hac hiſto-
ria ordine docebimus.

Primò quòd oculos illi aperit, vt quo lo-
co tunc iaceret miſerè proſtratus, tam diſſi-
mili ab ea conditione qua apud patrem fue
rat videret: ſanè gratiæ erat diuinæ: eamq;
præ-

præuenientem vocant. His verò perſpectis, quòd non neglexit: accipit gratiam, quam dicunt incitantem: quę illum de propoſito iam confirmat, vt diutius ibi morari nolit, circumſpiciatq́; quî inde ſe recipere, ſibíque conſulere poſſit: nequeatq́ue non grauiter ferre, ſi lógius ibi morari cogatur. Quo propoſito confirmato, non ceſſat eum Deus vlterius prouehere: verùm vt piè cogitata ad rem conferat, gratiam cooperantem illi indulget. Poſt hanc ſequitur ea, quam iuſtificantem vocant, nimirum qua cóciliata Dei voluntate in gratiam recipimur: quod illi accidit, quãdo à patre humaniter exceptus, amplexu, oſculoq́; reſtitutus eſt. Vltima eſt, quam conſummantem ſeu perficientem dicimus: qua præditus fuit, quum eum pater priſtina dignitate & gloria apud ſe eſſe iubet, iteratæ in poſterum defectionis ſecurũ. Quę ob id hoc loco dixerim, vt totum reſipiſcentiæ noſtræ ac ſalutis opus, Dei beneficiũ eſſe: illi ſoli, non noſtris, vel induſtrię, vel ſagacitati, vel viribus, vel arbitrio, tribuendum eſſe, intelligatis. Non quòd noſtri arbitrij per ſe nullæ ſint in hoc partes: eius nanque eſt, accommodare ſe diuinæ gratiæ, ſequi ducentem, promptitudinẽ ac gratitudinem declarare: ſed quòd ægrè vel nunq̃ ad mentẽ rediremus, niſi Deus qui tam ſalubris cõſilij principia mouet, etiam poſtrema

ma cōfirmaret. Alioqui veriſſimū eſt quod D. Auguſtinus de arbitrij noſtri acceſſione ſcribit: Qui creauit te ſine te, non iuſtificabit te ſine te. Quod ita D. Paulus: Nō ego, 1. Cor. 15
ſed gratia Dei mecū. Itaq; Acolaſtus noſter „ quum Dei gratiam incitantē ſenſiſſet, adiicit quod ſuum eſt: Surgam, inquit, & ibo ad patrem meum. Nihilne amplius? *Et dicam ei: Pater, peccaui in cœlum &. &c.* Attende, quòd primo loco nominat patrē. Qua enim alia fiducia ſeſe ſuſtentat, quàm quòd ad patrem rediret? Si Ieſus affectum exueret, iam pater nō eſſet. Quo conſilio docuit nos Chri Matt. 6.
ſtus, vt Deum oraturi, ſtatim paterni nominis compellatione nobis eius beneuolētiam compararemus. Neq; multis aliis locis hoc nomen inculcare nobis ceſſat, vt quum eum hac appellatione gaudere ſcimus, minus dubitaremus illi neceſſitatē noſtram aperire. Pater, inqt, amat vos. Et alio loco: Scit pater Ioan. 16
veſter, quia his omnibus indigetis. Matt. 6

Iam videndum eſt, quod illi conſilium, q̄ oratiōis facultas ac vis illi à fide ſuggeratur. Dicam ei: Pater, peccaui: neq; id vulgariter, ſed grauiſſimè, ſed in cœlum à quo excidi, & quod teſtē meæ ſtultitiæ feci: nō diſſimulo factum, nec poſſum: immo mea ipſius ſententia nō me habebis in poſterum pro filio: fateor me tanta gratia indignū: hoc tantùm precibus abs te contendo, vt liceat mihi in

ali-

aliqua parte familię tuę hærere,& inter operas numerari. Hac oratione propoſuit ille patrem ad miſericordiā inflectere: quæ ſanè nō erat hominis inuentum aut excogitatū, ſed fidei ac diuinæ pietatis conſilium. Quid enim ab hominis natura tam alienū, quàm culpæ profeſſio? Quem vnquā eò libentem perducas, vt ſe peccaſſe fateatur, vtq; ſe noxæ dedat? Enimuero ſi naturam ille in conſiliū adhibere voluiſſet, fallor, aut huiuſmodi oratione illum inſtruxiſſet: Lapſus ſum, pater, non iudicio, ſed errore & vitio ætatis: nihil minus cogitabam quàm te offendere, proindè æquum eſt, vt me in priſtinum locum reſtituas: mihique potius beneficij tui fructum reddas, quàm vt à mercenariis iſtis exſugi te patiaris. Naturæ fuiſſet hoc conſilium, & ſpecioſum: ſed quia patri graue, ipſi inutile. Sanius & ſalubrius quod à fide petiuit. Longè quidem alia res eſt, cauſam apud Deum orare, q̃ in foro, vel coram iudice. Hîc facinoroſo nulla alia certior ſalutis ratio, q̃ factum negādo, diſſimulando, extenuando, deriuando: quum ſi in te recipias, ex cōfeſſione plectêris. Vt mirum non ſit, à talibus veritatem vulgò tormentis extorqueri: quis enim id libenter fateatur, quòd illi non dubiam perniciē adferat? Cæterùm apud Deū nihil vtilius, neq; ſalubrius, q̃ ſtatim in reatū venire, culpamq; agnoſcere, ſeq; etiam præiudi-

iudicio grauare:quod quò fiat demiſſius,magiſq; ex animo,eò celerius abſólueris. Neq; id ſanè Acolaſtum noſtrum præteribat,qui iam pro filio ſe haberi amplius indignũ iudicabat, ſed orat vt vel inter operas hærere poſſit. Dextrum profectò cõſilium,nec tam vtiliter cogitatum,q̃ ſalubriter impletum.

Et ſurgens venit ad patrem ſuum. Quid profuiſſet patris aditus callere,qua oratione demulcendus eſſet ſcire,piè aliquid concipere: ſi non ſtuduiſſet ſtatim exſequi,neq; vtilitatem in mora conijcere? Certè in his rebus ſemper verum eſt,Periculum in mora. Proindè quiſquis es,qui ad componendam cum Deo gratiam aſpiras,noli tantæ rei moram interponere, cuius opportunitatem an cras habiturus ſis,neſcis: ſed ſequere hunc,& facta ſtatim cum cogitatis compone. Ambulate (inquit Chriſtus) dum lucem habetis, *Ioan.12*
» ne vos tenebrę compręhendant. Et Paulus:
» Dum tempus habemus,operemur bonum. *Gal.6*
» Nouiſſima enim hora eſt: ſubdit alter. Eódem nos Eſaias vocat: Quærite Dominum *1.Ioa.2* *Eſa.55.*
» dum inueniri poteſt,inuocate eũ dum propè eſt. Fidei erat quòd cõſilium illud ſuſcepit:fidei eſt quòd exſequendum duxit.Qua enim fronte patri ſeſe obijcere auſus fuiſſet, niſi certa perſuaſione de patris clementia & pietate ſe cõfirmaſſet? Quid illi hanc fidem creauit? Primò quòd hanc opinionẽ de pa-

tre

tre non ſparſam ſolam vulgò, verùm multorum experientia certam haberi ſciret. Deinde quòd etiam mercenarios ipſos tam humaniter tractaret. Tertiò quòd plurimũ fiduciæ in hoc quòd pater eſſet, collocaret. His rationibus confirmatus erigit ſe in pedes, ſpe ac fide animum ſuſtentat, audetq́ue dicere: Ibo ad patrem meum.

Quis ignorat quàm nó ſint in poſtremis ſpei partes in peccatoris conuerſione? Nunq̃ enim ſeſe erexerit, niſi illa fulciatur. Et vt maximè ſe erigat, renuncietq́; peccato, quóuis potius curret quàm ad Deum: quemad-
Gen.3 modum Adam in paradiſo. Proindè neceſſe eſt vt ſpem fidei ſociemus, dicamusq́ue cum Acolaſto: Surgã, & ibo, non in deſperationé, neque ad quemuis, ſed ad patrem, neque cuiuſuis, ſed meum. Porrò ex iis quę paſſim in ſacris literis ad eliciendã ſubleuandamq́; pœnitentiã largiſſimis pollicitationib. ſcripta legimus, nulli difficile eſt ſpem fidemq́; roborare. Quid ſiquidé illi Deus non conceſſurum indulturumq́; promittit? q̃ facilem reddit, quàm breuem, modò temporis longitudinem fidei feruore arctauerimus? Mallem vt ipſi potius me verũ dicere ex ſcripturarũ cognitione, vel ſciretis iam, vel diſceretis in poſterum: non grauabor tamen vnum atq; alterum locum in medium proferre. Apud
Ezech.18 Ezechielem ita loquitur Dominus: Si impius

plus egerit pœnitẽtiam ab omnibus pecca- „
tis ſuis: omnium iniquitatum eius quas ope „
ratus eſt, non recordabor. In iuſtitia ſua quã „
operatus eſt, viuet. Nunquid voluntatis meę „
eſt mors impij, dicit Dominus: & nõ vt con „
uertatur à viis ſuis, & viuat? Et apud Hiere- „
miam: Repentè loquar aduerſum gentẽ, & Hier.18
aduerſus regnum, vt eradicem, deſtruam, & „
diſperdam illud. Si pœnitẽtiam egerit gens „
illa à malo ſuo, quod locutus ſum aduerſus „
eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo „
qđ cogitaui vt facerem ei: & ſubitò loquar „
de gente & regno, vt ædificem & plantem il „
lud. Apud Zachariam verò ita: Cõuertimini Zach.1.
ad me, dicit Dominus exercituum: & ego cõ „
uertar ad vos. Ex his & aliis ſcripturæ infinitis locis confirmate vos, chariſſimi, & ingenti ſpe nec minori fide ſuffulti, pergite cũ hoc Acolaſto ad patrem: non terreat vos magnitudo criminũ: ſed aptate illis magnitudinem confeſſionis, & dicite, Pater, peccaui in cœlum & coram te. &c. Nihil certius, q̃ vos ab illo benigniſſimè iri ſuſceptum: & ſi quid vſpiam paternum eſt, in illius affectu & voluntate erga vos erit: quemadmodum ex ſequentibus latius declarabimus.

Gratia Dei nobiſcum. Amen.

Dominica Palmarum, SERMO SEPTIMVS.

NON

NON ignoratis,chariſſimi, nos proximè de filio prodigo ea dicere cœpiſſe,q̃ pòſt geſta ſunt, q̃ diabolo in paſcendis porcis operam fidemq́; locaſſet:quomodo euidenti Dei beneficio reuocatus,pacificationi animum intendit. Eoq́; hac via progreſſus eſt: primò conſilium ſuũ improbare,arguere, ac deteſtari cœpit, quòd violato deſertoq́; optimo & humaniſſimo patre,alienam ſeruitutem,idq́ue fœdiſſimè in paſcendis porcis, experiri maluiſſet: à quo hactenus nec hoc quidẽ ſe reuocauit,quòd quum apud patrẽ etiam mercenarij ipſi ſatis indulgenter haberentur,ſibi nec ſiliquarum ad repellendam famem hîc ſatis eſſet.

Hoc illi ex conſideratione, partim eius calamitatis qua premebatur,partim ampliſſimæ conditionis qua apud patrem fuerat, ſalutis initium.Vix enim aliter fieri poteſt, vt quum peccator hæc ad mentem reuocauerit,præſentis fortunæ tædio nõ capiatur, ſeque ad Deum conferat.Sed vtrunq; alterum conſequi debet: nam ſi ex contemplatione & miſeriæ in quam nos abiecimus,& animaduerſionis quam à iuſto Dei iudicio nobis metuimus, timorem tantùm conciperemus: non eſſet hæc vera & vtilis Contritio,& quæ nos citius in metum quàm in amorem Dei coniiciat. Exemplo nobis eſſe po-

poteſt Iudas ille, qui Seruatorem noſtrum Mat.27
non prodidit ſolùm,verumetiam vendidit:
grauiter ille quidem ob factum angebatur,
ſed qui angor ex turpiſſimi ſceleris conſide
ratione natus, quòd nulla miſericordiæ di-
uinæ ratione fulciretur, miſerum in deſpe-
rationem impulit, ſibíque manum adferre
coëgit. Verùm poſtquàm iuxta hunc Dei
pietatem componimus, neq; id iam vnum
angimur, quòd per peccatum iam cõmeriti
ſumus perpetuùm à Deo relegari, ſed hoc
præcipuè quòd tam pium patrem offendi-
mus, cuius facti indignitate magis moue-
mur,quàm omni illo dolore quẽ è ſupplicij
metu cõtrahimus: tum demùm vera ſucce-
dit contritio,ſeruilis ille metus in reueren-
tiam quæ filiorũ propria eſt tranſit, immo 1.Ioan.4
charitas foras mittit timorem. Hactenus ſi-
quidẽ intra ſeruilem metum conſiſtis,quã-
diu ob id tantùm peccatis infenſus es,quòd
ſeuero iudici puniendum prodiderunt: quũ
niſi hoc metueres, peccatum non odiſſes.
Porrò vbi erga patrem reuerentia ac chari-
tate impulſi in luctu & metu ſumus, inge-
nuitatis ille affectus eſt,nec paternæ volun
tatis ſenſu deſtitutus : quo ſubleuatus au-
det dicere,Surgã,& ibo ad patrẽ meum.&c̃.
Quæ fiducia niſi contritionem ſequatur, vt
perpetuò in ſqualore viuas, tibiq; etiã præ-
cordia erodas,ne hilum quidem profeceris.

Quin potius quum hæc te cogitatio deiicit, ita tecum: Immo & ſurgam, & ibo ad patrẽ meum. Totius enim pœnitẽtiæ & reconciliationis ſummam hoc pacto abſolueris, vt primùm dolore errorẽ tuũ proſequutus in pedes te erigas: deinde confirmato fide animo ad patrem repedes, paratus nõ inficiari ſed vltro in te recipere culpam, & quàm potes demiſſe ac humiliter confiteri: ne deprecari quidem meritam pœnam, niſi id in patris voluntate conſtitutum crederes: poſtremò ab eo nihil non exſpectes, maioraq; votis præſtiturum nihil dubites, non quòd tu ita merearis, ſed quòd ille conſuetudinis ſuæ atq; ingenij ſit rationem habiturus. Ita

Pſal. 50 Dauid eũ deprecabatur: Miſerere mei Deus: » at quo reſpectu? ſecundum magnam miſe-

Dan. 9 ricordiam tuam. Et Daniel: Neque enim in » iuſtificationibus noſtris proſternimus pre- » ces ante faciem, ſed in miſerationibus tuis multis. Neque ſanè aliter illi orandum eſt, qui obtinere à Deo miſericordiam ſtudet. Neque ille cor quod ad eum modum con-

Pſal. 50 tritũ eſt, ſeque demittit, omnino eſt deſpecturus. Quod me nõ falſò vobis promittere, ex iis quæ filio prodigo pòſt acciderũt, eſtis audituri. Sequitur:

Quum autem adhuc longè eſſet, videt eum pater ipſius, & miſericordia motus eſt: & accurrẽs cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum.

Hîc

Hîc tandem profert ſe Deus: fitq́; manifeſtum, & quid animi ad peccatoris conuerſionem habeat, & quàm totum negotium illi potiſſimùm ſit ferendum acceptū. Non quòd hactenus nihil egerit: nā quando vnquam errorem miſeriamq́; ſuam peruidere potuiſſet, ſi Deus oculos illi nō reſtituiſſet? quando tam ſalutari populo animum reſumeret, niſi à miſericordia diuina incitatus. Cæterùm huc uſque non patuit, quod agebat. Quotuſquiſque noſtrum voluntatem ſuam à Deo excitari, adeoq́; confirmari ita ſentit, vt nobis vel ignauis vel remiſſis ille in opere & ſollicitatione ſit: quum in vitæ noſtræ cognitionem delabimur, aut in melius mutare proponimus? At quum palàm occurrit redeunti, complectitur medium & oſculatur, voluntati ſuæ ac ſtudio clariſſimam lucem affert.

Tunc autem Deus peccatori redeunti occurrit: quum manum porrigit, hoc eſt, facultatem præſtat, vt quod ſalubriter concepit, incunctanter perficiat. Ex quo ſatis liquet, id vocari occurſum, quod aliâs diximus eſſe gratiam cooperantem. Quid porrò amplexu atq; oſculo aliud ſignari dicemus, quàm gratiam iuſtificantē, qua deterſis criminum ſordibus in priorem locum reponimur? Nam quem Deus complexu oſculoq́; dignatur, nō in hoſtium numero habet, ſed

 fami

familiarium: filiorum,non ſeruorum: piorum,nō ſceleratorum. Nec eſt quòd homo arctioris beneuolentiæ argumentum à Deo exſpectare poſſit,q̄ quòd eiuſcemodi animi teſtificatione locum amici,gratiam filij,dignitatem iuſti recuperaſſe ſe intelligit. Rogas,quibus hominis meritis tribuatur,quòd Deus reuertentem tam benignè excipiat? Noli mihi merita cōmemorare: totū quod audis diuinæ eſt pietatis & munificentiæ. Collegerat ille ſe quidē prudēter ad captandam patris gratiam,ſtatuerat paternam correptionē confeſſione culpæ præuenire, nihil non facere ac pati erat paratus,quò pro patre ſaltem dominum placatum haberet. Sed quid factum eſt? priuſquam vel verbū emitteret,immo priuſquam ad patrem ſupplex accederet, aut videret etiā: immò quū adhuc procul ab ædibus eſſet, pater omnes irarum cauſas ſuſtulerat, & indicibili in filium pietate incitatus obuiam procurrit. Non præſtolatur domi accedentem: nō ſe ſuſtinet, vt videret quis eſſet orantis habitus,quis vultus,quæ oratio: nō rogat in criminis exprobrationem,quid ſibi velit:quod alioqui ex eo quo ſe offerret ſchemate ignorare non poſſet: nō exſpectat, donec petēti annuat,faciatq́ue beneficio locum: ſed præuenit potius ipſe,& inuolat venientem. Ex quibus ſignis quid aliud intelligimus,quàm

meræ

meræ eſſe pietatis,neq; aliud eſſe quàm miſericordiam, quòd tanti temporis emanſores iterum filiorũ loco dignatur admittere. Quod vel me tacente animaduertere poteſtis,ex ipſo genere ſermonis & pondere verborum,quo Chriſtus hoc loco eſt vſus. Quapropter nihil ita decet vel gratitudinem noſtrã,vel beneficij æſtimationem,q̃ vt totum illud reſtitutæ ſalutis negotium Deo tranſſcribamus. Dei donum eſt, inquit Paulus, non ex operibus : vt ne quis glorietur. Et Hieremias:Miſericordiæ Domini,quia non ſumus conſumpti. *Eph.2.*

Interim nõ eſt nobis nihil agendum: neceſſe eſt,vt odio ac dolore admiſſa noſtra ꝓſequentes animum de ſarciendo confirmemus,deinde ad obtinendam eorum gratiam non grauemur ea humili confeſſione agnoſcere,diuinamq́ue indignationem precibus auertere. Quanquam nec contritio,nec confeſſio, nec deprecatio, nec exterior illa pœnitentia,etiamſi duriſſimo vitæ genere carnem noſtram penè mactaremus, nullumq́; faceremus vel cõfeſſionis,vel orationis modum: valere aliquid poſſent,niſi obſtrictam nobis Dei fidem teneremus,& niſi à meritis Chriſti, quorum fructum liberaliter nobis confert,rata illa & grata haberentur. Vnde pœnitentiam auſpicantibus etiam atq; etiã videndum eſt,quo fundamento nitantur.

Nihil enim eorum quæ audiſtis, temerè à Chriſto dictum eſt. Et primò: Quũ adhuc longè eſſet. Proin conſtat, nec ſupplicis deprecationi, nec aſpectui tributum eſſe, vt in gratiam reciperetur: nam procul adhuc aberat. Quin pater obuiam currit venienti: ipſe etiam iam metuens, ne filius facti conſcientia & metu perterritus aut conſilium mutaret, aut animo cōcideret: quod alioqui his rebus ſtipato, facilè accidere potuiſſet. Nam tametſi nihil illi certius eſſet, q̃ cogitata ad exitum perducere: tamen nec hoc poterat niſi Dei fauore accedēte. Quod dolens refero: nimiſquam familiare nobis eſt, boni operis curſum intermittere. Nec ceſſat diabolus remoram aliquã intertexere, vt ne conſilij quidem noſtri, ſi poteſt, fructum nobis relinquat. Animum modò ſpe ac fiducia obfirmauimus, mox rapimur in deſperationem: ex qua ſi etiam emergimus, rurſus à confidentia periculum: vt nuſquã nõ ſit periculum. Sed occurrit pius pater, qui obuiam ire feſtinat, priuſquam à medio tramite virtutum ad vitiorum metas abripiamur. Nec hoc ſolùm, inuolat venientis adhuc collum, genasq; oſculo diſtringit: quorum illud paterni pectoris, iſtud reconciliatæ voluntatis certiſſimum eſt indicium. Quî verò potuiſſet amãtius & indulgẽtius? Et quid illum, obſecro, permôuit? Vidit vel

emi-

eminus venientem. Forſan vis erat multa in ſermone vel geſtu venientis. Nulla adhuc: quandoquidem paternas ædes necdum in conſpectu habebat. Miſericordia tamen motus eſt pater.

Sed iam hæc etiam in nobis locũ habere, oſtendamus: maximè quando in complexũ & in oſculum ruit. Inter caput & corporis truncum, medium eſt collũ, quod vtrunq; connectit: qua ratione fidei ſymbolum habere dixerimus. Fides eſt quæ nos capiti, Deo ſcilicet, vnit: quã quum ab ipſo, cuius eſt donum, accipimus, collum nobis ſtringere dicitur. Et facit id quidem perlibẽter: nam fide noſtra capitur, vt qua re maximè. Nam mulieri peccatrici, & Cẽturioni ita lo- Matt. 8
quitur Chriſtus: huic, Sicut credidiſti, fiat Luc. 7
tibi: & illi, fides tua te ſaluã fecit. Vbi iam „
fidei confeſſionem adiicimus, Deus affectu noſtro delectatus etiam oſculo nobis conſeritur. Oſculi verò ſignificatio in hoc eſt, quòd nobis promiſſorum fidem implet, & quæ Chriſti erant merita, eorũ nos fructu & gratia amplificat. Quò pietatis nihil aliud eum vocat, quàm quòd ad extremam inopiam redactos nos videt. Quomodò miſe- Pſal. 102
retur pater filiorum, miſertus eſt Dominus „
timentibus ſe: quoniam ipſe cognouit fig- „
mentum noſtrum: ait Pſalmographus lucu „
lenter, vt oĩa. Et Dominus per Ezechielem: Eze. 36

Non propter vos ego faciam domus Iſrael, ſed propter nomẽ meum quod polluiſtis in gentibus. Sed quid multis opus eſt? Facilè nos à cura plura cóquirendi hac de re teſtimonia, vnicũ illud Chriſti verbum liberat: Et miſericordia motus eſt. Hæc autem perpetuò vobis ob oculos verſari volo, chariſſimi, vt hinc animum conſolatione, ſpe ac fiducia muniatis: non enim alia, quàm veſtra cauſa ſcripta ſunt, idq́ue ne triſtitia, vel deſperatio vos abſorbeat. Quid enim miſericordiæ & pietatis vel ad gratiam affingere Deo aliquis poſſet, quod hìc ita vt à veritatis ore prolatum eſt, ampliſſimè non legis? Nónne (quod paulò ante hanc parabolam

Luc.15. Chriſtus præmiſerat) ingens gaudium eſſe in cœlo, & angelis Dei de peccatoris conuerſione: eius lætitiæ ſignificatione, quam pater exhibuit, optimè confirmatur? Cauete igitur chariſſimi, ne vlla diaboli calliditas hanc vobis fiduciam extorqueat. Et huius exempli, & ampliſſimorum Dei promiſſorũ certa & indubitata eſt fides. Olim Nouatiani tam ſeuerè cum peccatorib. agendum cenſebant, vt ne eos quidẽ qui metu tyrannorum à fide diſceſſerant, ad communionẽ Eccleſiæ, quacunque excuſatione & pœnitentia ſuffragante, recipiendos in poſterum iudicarent: ſed diuino iudicio, vt qui à gratia exciderant, oportere relinqui. In cuius

ge-

generis homines ſi vel nunc incideritis, qui pœnitẽtiam ſuperuacaneam, & à lapſis fruſtra ad gratiam aſpirari, aſtruere conantur: ne credatis illis, quicquid de ſcripturis blaterant: Nec illis deerant ſcripturæ teſtimonia, maximè ex Paulo, quibus opinionẽ ſuã ſe tueri poſſe arbitrarentur: ſed per hoc non effecerunt, quò minus ab Eccleſia hæreſeos damnarentur. Chriſtus diſertè præcipit Apoſtolis, iam ad patrem rediturus, prædicari in nomine eius pœnitentiam & remiſſionẽ peccatorum in omnes gentes. Idem fratrũ erratis non ſepties tantùm, ſed ſeptuagies ſepties ignoſci voluit: idque vel vno in die ſepties. Audiſtis iam quæ meritò ampliſſimo ſolatio nobis eſſe poſſint. *Heb.6. & 10.* *Luc.24* *Mat.18* *Luc.17*

Sed quid? ergò integrũ nobis erit fiducia diuinæ miſericordiæ quiduis deſignare, quũ ſolatij tantũ reſipiſcẽtibus ſemper ſuperſit? Aut nõ erit neceſſe orandi, cõfitendi, & pœnitẽdi aſperitate illa nos fatigare? Acolaſtus noſter hæc nos optimè docebit. Enimuero quid fecit, poſtq̃ à patre tam humaniter fuit acceptus? Nullum in patre offenſi animi ſignum deprehendit, qui etiam ab auſteritate verborum ſibi temperaret: immo qui non ſecus ſe proferret, q̃ ſi à filio nunq̃ læſus fuiſſet: vt nulli dubium eſſe poſſet, quin nullius offenſæ meminiſſet amplius. Neq; tamen ille recedendum ſibi à propoſito putauit,

uit,tanq̄ quod eſſet paternę grauitati graue, aut ſaltem ſuperuacaneum: ſed q̄ poteſt abiectiſſime: *Pater* (inquit) *peccaui in cœlum, & corā te: iam nō ſum dignus vocari filius tuus.* Ah q̄ diuerſum ſapit & ſentit nunc mundus ab hoc Acolaſti facto. A nobis ne tunc quidem veram confeſſionem extorſeris, quum in diuinæ vltionis argumentum plagis atterimur, quū ad dicendam cauſam iam ad tribunal rapimur: & facturos putatis Deo vltro voluntatem nobis adferente,& reconciliato? Ille nó ita: vt qui noſſet, Deum cumprimis humilem confeſſionē à nobis requirere:idque eò iuſtius,quò ſe ipſe faciliorem præberet atq; adeò ad debitum Deo honorem ſpectare,vt ad eius iuſtitię & bonitatis illuſtrationem,iniquos nos & peccatores fa
Ioſ.7. teamur. Ita ſanè & Ioſue Achan compellabat: Fili mi,da gloriam Domino Deo Iſrael & confitere,atq; indica mihi quid feceris,ne abſcondas. Quanq̄ Acolaſtus noſter poterat videri feciſſe ſatis,quòd anteà apud ſe errorem confeſſus & deteſtatus fuerat,atque ita apud patrem facere conſtituerat: feciſſetq; initiò,niſi pater,cui de eius animo ſatis conſtabat,præueniſſet. Tamē iuſtum viſum eſt illi cum patre paria facere,& hanc beneficio quaſi gratiam habere: adeoq; illud cōſequi, vt quum ſe proprio ore iugulaſſet, patris etiam præclaro teſtimonio abſolueretur.

Atque iſtud ipſum non parum apud nos incitamenti ad confitendum habere debet. Quid enim refert illud, in quæſtionē vocare, à Deo inſtituta ſit confeſſio, nécne: quum planum ſit ex hoc loco vtilem eſſe & piam, Deo acceptam, nec minus honeſtam. Vt ne ſileam, plurimū ad parandam animi pacem conducere, nos ſacerdotis ſententia palàm abſolui. Quæ quū ita ſint, quid eſt quòd tantopere à cōfeſſione reſilimus? Eſt quòd iudicem cognitorem horreas: apud quem ſi ſcelus confeſſus fueris, gulæ periculo feceris. Apud Deum porrò quur id dubites facere, quum non ſit ad gratiam alia via certior vel facilior. Illud autem videte, vt fidem in confitendo veram retineatis. Et Iudæ cum Acolaſto cōmune fuit dicere, Peccaui: ſed quia non addidit Pater, immo ne profeſſus quidē eſt apud patrē, atq; per hoc fides illi defuit, periit deſperatiōe abſorptus. Deinde verax, ſyncera, nec ſui honoris ſtudioſa oportet ſit confeſſio. Pater, peccaui, inquit iſte: atque adeò in cœlum, & coram te. Tametſi enim peccatum in iniuriam tendat omnium promiſcuè creaturarum, maximè tamen Dei. Vnde Dauid: Tibi ſoli peccaui, & malū coram te feci. Proinde nō ſufficit, ſi cum illis tantùm in gratiā redeamus, niſi cumprimis illam & cum Deo ſarciamus. Tertiò curandum eſt, vt aīum fractum ac demiſſum præſtemus

Mat. 27

Pſal. 50

ſtemus: Non ſum (inquit) dignus vocari filius tuus. Sed quum antea patrem Deum vocarit, quur ad miſerationem non ſe quoque filium eius appellat? Atqui hac in re maluit patris honori conſultũ: ac ſi diceret: Meritò te patrẽ voco, qui quod tui muneris fuit nihil omiſiſti: neq; nunc etiã te penitus omiſſurum ſpero. Aſt ego qui nihil dignum filio geſſi, non ſolùm non debeo nomẽ vſurpare ſed nec locum repetere. Nihil in hac cõfeſſione contumax aut ſuperbum: quare non potuit non eſſe Deo gratiſſima.

Illud verò quærendum nobis eſt: quum antea in animo orationem ita formarat, vt à patre mercenariorum loco haberi obſecraret: quur id nunc reticendum putarit. Fortaſſis non incommodè dicemus, illud tunc timori datum fuiſſe, quando vtram in partem factum ſuum à patre acciperetur adhuc ignoraret: at quũ videt ſpem ſuam tam incredibili pietate ſuperari, tacet hoc quod tã longè infra eius animũ videretur, mauultq; eum ſuæ liberalitati relinquere. Quis neget iam, totum humanę reſipiſcentię negotium hoc Acolaſti facto abſolutè compræhendi? Quare quum illud teneatis, date operã, chariſſimi, vt illud ſequẽtes, excutiatis vos è cœno peccatorũ, recurratiſq; ad Deum, iam mutuo ſenſu patrem: apud quem doloris veſtri, erroriſq; magnitudinẽ ita declarate, vt cum

hoc certam veniam reportare poſſitis. Quod velit ipſe, qui eſt Rex in æternum. Amen.

Feria quinta in cœna DOMINI, SERM. VIII.

NImis ignauum & turpe meritò videri poſſet, chariſſimi, ſi quid curæ & religiõis hodiern⁹ dies à nobis depoſcit, adhuc ad animũ vocare neceſſe haberemus; neq; tam neceſſariȩ rei toto hoc temporȩ vacaſſemus. Ego equidem lõgè aliter de vobis ſentio, putoq́; iam certa & præmeditata omnia vobis eſſe. Quod niſi factum fuerit, maximam profectò noſtrȩ profeſſioni contumeliam irrogamus: qui id, quod Chriſtus tanto ſtudio nobis commendauit, tanta verborum ac rerum grauitate inſtituit, tanto denique vehementiſſimi erga nos amoris teſtimonio conceſſit, quo nobis ad vitȩ & ſalutis curam nihil poteſt eſſe antiquius, ita neglectui & ludibrio haberemus. Abſit à nobis, vt tanto beneficio tam ingrati inueniamur, Deũ noſtrum ita in iocum nobis verteremus, neq; de pietate, profeſſione, ſalute noſtra magis eſſemus ſolliciti. Abundè ſatis nobis eſſe debet, quòd per totum annũ Deum fere in poſtremis habemus: ne dicam, contemnamus, & ludamus. Certè metuendũ eſſet nullum veniæ locum à nobis relinqui, ſi in ipſis eius ædi-

ædibus, immo in menſa, quæ gratuitis dapibus lautiſſimè nobis eſt inſtructa, eius pietatem quaſi proculcaremus: quemadmodũ
Ioan.13 de Iuda Chriſtus conquerebatur, Qui manducat mecum panẽ, leuabit contra me calcaneũ ſuum. Id porrò fit, quoties rem tantam contemptui habemus, vel non ea qua decet religionẽ vſurpamus. Quod quũ ſine graui noſtro ipſorum detrimento fieri non poſſit, tanto diligentius ne fiat nobis eſt aduigilandũ. Enimuero Eccleſiæ, quę affectu in nos eſt plus q̃ materno, toto hoc tempore expectatio omnis in hoc fuit, vt filij prodigi exemplo excitati tandem de reditu ad patrẽ ſeriò cogitaremus. Atqui ſi aliquis tam obturata mẽte fuit, vt necdum animaduertere vel ſtatuere potuerit, meliús ne fuerit illi apud patrẽ, an apud alienos: domi in menſa patris opiparè paſci, an ipſum paſcere porcos: ille vel nunc animũ expurget, videatq; vtrum eligat. Nam planè res eò nunc rediit, vt ad alterutram partem ſit accedendũ: velimúsne inter Chriſti familiares eius menſæ honeſtè adhiberi, an ab ipſius contubernio, & quotquot eius ſunt neceſſariorũ ęternùm excludi. Non eſt iam diu deliberandi locus, menſa iam inſtructa, & conuiuis præſtolantibus: & quidem dies, puta hodiernus, iam antea cõdictus nobis fuit, quo accurrere debemus. Quare ſi quis conſtitutum necdum ha-

habet, vtrum malit Deum patrē habere, an iudicem & aduerſarium: eo vti benigno, an duro & implacabili: paſci ab ipſo pane, an cum porcis ſiliquis: ille deliberet ſtatim ac pronunciet. Ioſue quidem conceptis verbis præit, ſi placet ſequi: Ego (inquit) & domus *Ioſue.24*
mea ſeruiemus Domino. Et quur non pla- „
ceat, chariſſima mea in Domino viſcera? An non longè meliori conditione apud patrem ſumus? Quanto honeſtior eſt in eius menſa, inter tales conuiuas locus, q̄ eſt cum porcis? Hîc tantum panis, quantum ad voluptatem ſatis eſt: ibi ne ſiliquarum quidem iuſta erat copia. Iſte patrem ſe profitetur, curatq; nobis interim altiſſima pace fruentibus, vt bene ſit tum ab animo tum à corpore: ille & voluntate hoſtis eſt, & ſtudio pluſquā tyrannus: vt qui nihil aliud ſtudet, q̄ vt ex feliciſſimis nos reddat omniū miſerrimos: Quod vel ex vno Iobo fas eſt animaduertere. Quo- *Iob. 1.*
uſq; igitur claudicatis in duas partes (vt He *3.reg.18*
lię verbis vtar) vt de re tanta quid ſequi velitis, necdum vobis ſit conſtitutum? Deus bone, & quæ partium differētia, inter Deum & diabolum, hoſpites cœli & porcos, panem vitæ & ſiliquas? Sed omitto indignitatē rei latius perſequi: meliorem mentem illis, qui tanto veterno obnoxij ſunt, comprecatus. Enimuero hodiernum orationis noſtræ officium eò tendit, vt ſequi cupidis q̄ proxi-

mam

mam viam ad reditum commonſtrarem, & ad dominicas epulas palatum veſtrum deſiderio confricarem: vt guſtata tandem illarum dulcedine, ad ſiliquas illas nauſeare diſcamus: ſitq́; nobis execrationi, tam diu inter porcos non aliud quàm porcos vixiſſe. Certè hodierni conuentus nõ alia eſt ratio, q̃ vt his de rebus à me diſputaretur. Vtinam ea mihi eſſet ad dicendum facultas, vt rem longè vtiliſſimam perſuadere vobis queam. Quanquã oratoris non magnoperè eget, qui Chriſtum è propinquo diſſerentem audit. Lege quæ apud Ioannem ſunt capite ſexto, vigeſimoſexto Matthęi, Marci decimoquarto, & Lucæ vigeſimoſecũdo. Quibus adiicias & vndecimũ prioris epiſtolæ ad Corinthios Pauli. Si in his nõ inueneris quod palatum tuum afficiat, & ſiliquarum faſtidium inducat: non video, quid vel diſertiſſimi alicuius oratio prodeſſe tibi queat.

Interim adhuc ſupeſt fatuo palato quoddam irritamentum, ex iis quæ de filio prodigo adhuc reſtant dicenda. Superiori concione diximus, qua pietate pater redeuntem excepiſſet, occurrerat obuiam, cõplexu oſculoq́; ſalutarat: vt iam ille nõ dubia ſpe concepta, auderet miſericordiam implorare. Quàm verò abiectè, & quibus verbis, ſatis tunc eſt explicatum. Nunc ad vlteriora.

Dixit autẽ pater ad ſeruos ſuos: Citò proferte ſtolam

ſtolam primam, & induite illum, & date anulum in manum eius, & calceamenta in pedes eius: & adducite vitulum ſaginatum, & occidite. Et manducemus & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus eſt. Et cœperunt epulari.

In his verbis nihil eſt, quod ad huius diei rationem nõ tam propriè pertineat (quo conſilio & à me in hũc diem ſunt reſeruata) vt ſi tota Biblia, mea quidem ſententia, excuterem, ad ſacræ communionis traditionem nihil aptius, nihil abſolutius inuenire poſſem. Nam quaſi in ſummã hîc redacta ſunt, & quid edulij Chriſtus ſuis munificẽtiſſimè pararit, & quid de hac re ſemper quum ſentire, tum facere debemus. De quibus ſingillatim & ordine dicemus.

Primò diligenter conſiderandum venit, quòd pater illa prioris dignitatis ornamenta: vt erant, ſtola, anulus, calceatio: quum reſtituta filio vult, nõ per ſe quidem expedit: ſed ſeruorũ ſuorũ opera eſt vſus. Et ſanè, an quod ſuarũ partiũ erat non ſatis perfecerat, q procul adhuc abſenti occurrerat, nihil nõ humanitatis exhibuerat, &, quod maximũ erat, deprecaturo placatum & defæcatum animum attulerat: immo & ſeruis mandat, vt ad reſtituti honoris ſpeciem, filio nihil deeſſe curarent? Inuenias tamen in naſutulis noſtris halophantas nõnullos, quos non

pudeat ita loqui: Quid ego ſeruorum opera indigeo, qui patrem habeam? Quid illi conferre mihi poſſunt, poſtquam pater cõplexu & oſculo me fuerit dignatus? Quid mihi cũ ſacrificuli abſolutionẽ & ſententia, cui à patre gratia criminum facta eſt, abſolutioq́ue impenſa? Ita quidem illi: ſed lubens ab his rogarim, quid cauſæ putãt eſſe, quum filium apertè in gratiam receperit, ornandi, veſtiendiq́ue negotium ſeruis committat? Roga-
Ioan.11. rim & illud: quur, poſtquam Lazarum ad vitam reuocaſſet, Apoſtolis iniungat vt vitæ redditũ vinculis ac faſciis expediant? Si potuit iam quatriduum totum mortuum ſola vocis virtute non ſolùm vitæ reſtituere, verumetiam vinctum manibus & pedibus vt è tumulo emergeret prodiretq́ue, imperare: num & illud præſtare non potuit, vt vinculis fractis ſolutus prodiret? Potuiſſe nemo
Rom.9. negat: ſed Apoſtolis voluit reſeruatum. O » homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo? Satis ne tibi eſt, quòd morbo te ſoluat, velitq; omnibus modis reſtitutum: nec interim ipſi per te liberum eſt, per ſe id faciat, an per ſeruos? An non pro inſolente & moroſo habeberetur, idq́ue optimo iure, ægrotus ille, qui medico ſuccenſeret, quòd illi ſalutarem alioqui potionẽ per ſeruum mitteret, & non ipſe potius attuliſſet? Certè qui ſaperet, nullum diſcrimen in hoc conſtitueret, & æquè
ſeſe

ſeſe ad gratitudinẽ obligatum cognoſceret. Si medicus ipſe adfert, bene quidem, & eſt facto gratia. Si ſeruum mittit, non deeſt officio medicus: cuius eſt quid ferendum ſit præſcribere, non ipſe adferre. Sed hæc Samaritani illius, qui ægrum illum atque à latronibus grauiter ſauciatum & in via repertum, poſtquam pro præſenti periculo adhibita vulneribus cura, in equo collocaſſet, & ad proximũ diuerſorium deduxiſſet, curam illius alicui ex domeſticis mandauit, fore vt quum rediret, impendium & operam ipſe perſolueret: illius inquã exemplo fient clariora. Quæſo ô bone: haberet vulneratus ille quod iuſtè de Samaritano hoc conquereretur, quòd non tàm diu ſecum maneret, & ſui curam gereret, quoad planè fuiſſet confirmatus? Præſtitit ne illi ampliſſimam humanitatem, qui erga ignotum, ſaucium, & egenum miſericordia motus, vulnera eius inſpexit, & curata religauit: deuexit deinde vbi commodè eſſe poſſet, & ſuis impenſis curauit vt poſſet ſanari? An non tales ſunt, aſperi, arrogãtes & ingrati, qui Deum ipſum curationi ſuorum vulnerum ita aſtringunt, vt ab Eccleſia eiuſque miniſtris ne manum quidem ſibi admoueri patiantur? Sed nihil egerint illi ineptis ac friuolis ſuis poſtulationibus: ratum manet, quod Deus ſemel ratum voluit. Nunc mihi negotium noſtrũ Luc.10.

perpendite. Inuênit nos Chriſtus procul à Hieroſolymis,quę nobis eſt patria, non robuſtos atq; incolumes,qui per nos patriam repetere poſſemus: ſed originali crimine prorſus debilitatos, iam etiam à latronibus vulneratos,& omnibus bonis ſpoliatos,nec nõ magna noſtri parte modò præmortuos: Non tranſiit tamẽ,vt terror & ſupercilium Legis fecerant: ſed miſericordia motus,curat cumprimis ne vulnera hæc letifera nobis eſſe poſſint,quin & ita mundificat,vt nõ ſit difficilis curatio: deinde per baptiſmum proximo diuerſorio,nempè Eccleſię nos infert. Quod ſupereſt curationis mandat & relinquit Apoſtolis,& qui horum in Eccleſia vicem implent: à quibus ſi medelam admittere recuſes, nihil tibi profuerit quicquid hactenus ab illo tibi eſt impenſum. Quod ita intellige, quando miniſtrorũ copia cõmodè nobis fieri queat: alioqui quod per illos faciendum ſtatuit,non grauatur vbi opus eſt & per ſe obire. Iam vt de ſeruorum officio & facultate certior fias:reliquit illis duos denarios quibus pararẽt ægris neceſſaria: ij ſunt,verbum Dei,& Sacramenta.
Ioan.20. Protulit verò,quum dixit: Accipite ſpiritũ
„ ſanctum: quorum remiſeritis peccata, re-
„ mittuntur eis: & quorũ retinueritis,retenta ſunt.Et quis es tu,qui ſpiritus tantum in naribus habes,vt Chriſti hac in re conſilium im-

improbare & corrigere audeas? An oculus Mat.20.
tuus nequam eſt, quia ipſe bonus eſt? Aut „
non poteſt facere quod vult? Noli quęſo ea
velle conuellere, quorum ipſe fundamenta
in petra ſolidiſſima locauit. Sanciit cumprimis, vt qui ab eo gratiã obtinere volunt, Eccleſiam, quæ ab ipſo vicariam poteſtatẽ exercet, per omnia ſequantur. Quam, inquit, Mat.18.
qui non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & pu „
blicanus. Nec quod ſemel præcepit, deſinet
(vt tu rumparis) eſſe ratũ: vt quos ipſe complexu & oſculo intus mundauit, anulandos
& veſtiendos vicariis tranſmittat. Eius vox Luc.10.
eſt: Qui vos ſpernit, me ſpernit: qui autem „
me ſpernit, ſpernit eum qui miſit me. Nec „
incommodè ex Geneſi huc adduxero, quæ
in iſtorum hominum typum de inſolentia Gen.16.
Agar aduerſus Saram heram ſuam legimus.
Nam poſtquã illa ex Abraham concepiſſet,
criſtas erigere cœpit, nec agnoſcere dominæ
authoritatem, cui ſe iam parem credebat.
Sed ab Angelo quid audit? Reuertere ad dominam tuam, & humiliare ſub manu illius.
Non aliter & Chriſtus Eccleſiæ ſuæ authoritatem ſtabilem & inuiolatã cupit: cui Spiritum ſanctum in omne tempus & promiſit & impartiit, atq; adeò claues ſuæ voluntatis commiſit: vt ſi ab illa diſſentias, cum
ipſo commune habere nihil poſſis. Ex his
iam liquidò cognoſcitis, chariſſimi, quàm

improbè,& quàm procul à mente Chriſti,à nonnullis ita & ſentiatur, & iactetur: Eccleſiaſtica officia ſtultè & fruſtra adhiberi, quum rerum ſumma ad Chriſtũ pertineat. Sed ſi tu id poſtulas, frater, vt in tantis rebus fidem tibi habeamus: diſſolue nobis prius,quæ ſuperius ex Ioannis cap.20. Lucæ.10. & Matthæi.18. adduximus. Diſſol-
Matt.16. ue & quæ Petro Chriſtus ſpopondit: Et ti-
„bi dabo claues regni cœlorum: & quodcun-
„que ligaueris ſuper terrã, erit ligatum & in
„cœlis:& quodcunque ſolueris ſuper terram,
„erit ſolutum & in cœlis. Diſſoluas neceſſe eſt,& quæ commodiſſima collatione de Samaritano protulimus: & quæ hactenus ex propoſita parabola non mutatis Euangelij verbis ſumus perſecuti. Nam quoad hæc ſuis locis legentur,nec (quod factu eſt impoſſibile) abs te ſublata, falſitatisve conuicta fuerint: apud veræ fidei profeſſores tantillum promoueris. Non igitur de nihilo eſt,quòd pater per ſe quidem filium in gratiam admittit, verùm in conferendis prioribus ornamentis ſeruorũ opera eſt vſus. Quæ porrò illa fuerint,nunc dicemus.

Citò proferte ſtolam primã,& induite illum. Deus,ſimulatq; peccator à vero dolore ipſe ſe confeſſione prodit, veniamque deprecatur, nullam reconciliationi moram interponit: præcipit etiam ſeruis,ne ſupplicem

diu

diu in ſordibus eſſe permittant. Atque id quidem vt neceſſariū,ita ipſius pietati conueniens: ne ſi peccatoris ſpes diutius prorogetur,eliſa fiducia in deſperationem concedat. Sed iam quid ſtolę nomine accipiemus, niſi remiſſionem criminum, aut ſi mauultis,innocentiam? At oppedit rurſus aliquis, dicitque mihi: Quum ſolius Dei ſit remittere peccata, quid hîc poteſt ſeruus? Sanè quiſquis es, malignitatem tuam manifeſtè arguis. Non dicit Chriſtus, conferte ei ſtolam primam, ſed proferte: quod eſt, ex ſcriniis meis huc adferte. Huc ſpectat Dauid, quum ait: Apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio. Illa quidem ſemper fuerunt in ſcriniis Dei, ſed clauſis, quoad per Chriſti merita reſerarentur: ipſe verò claues commiſit Eccleſiæ. Quod adeò non improbat pater, vt quum filium à peccatis liberum eſſe iuſſiſſet, vult & præcipit vt ſeruorum aliquis ex theſauro verbi & meritorum Chriſti, euidens ipſi ſignum reſtitutæ ſalutis impendat. Nec aliter Chriſtus ipſe: qui vult in ſuo nomine prædicari ab his pœnitentiam & remiſſionem peccatorum: illam verò quicunq; præſtarent, vterentur erga hos clauium poteſtate, & quum ex magiſtri ſententia liberos eſſe pronunciaſſent, induerent eos in collatę Chriſti iuſtitiæ ſignum ſtola prima & candida. Ad ſto-

Mat. 9
Pſal. 129
Luc. 24.

lam hanc, quæ corpus totum velat, reſpexit
Pſal.13 Pſalmographus quum diceret: Beati, quo-
„ rum tecta ſunt peccata. Porrò ob id prima
vocatur: quòd criminum turpitudinem ni-
hil æquè celat, atque ſtola meritorum & iu-
ſtitię Chriſti. Quod etiam veſtimenti genus
quia veteribus in honore ſemper fuit, etiam
nunc indutis incredibilem cōciliat dignita-
tem. Quid illi iubentur amplius facere,

Et date anulum in manus eius. Etiam olim
apud Romanos erat anulus Equeſtris ordi-
nis inſigne: neq; apud aliarum partium gen
tes ſuo caruit honore. Noſtra verò tempe-
ſtate ea eſt vulgi in geſtandis anulis ſuper-
ſtitio (vt de luxu taceam) vt ſingulis digitis
admoti, aliud atque aliud loquantur. Ille v-
ſus non improbatur, quo (vt in nonnullis
locis moris eſt) optimatibus tantùm geſta-
re conceduntur: nec non, qui paſſim rece-
ptus eſt, quo à cōiugatis in datæ acceptæq;
fidei memoriam ſolent vſurpari. Nemini
dubium eſt, quin & hoc loco aliquid occul-
tæ ſignificationis habeat: quum alioqui in
tanta patris exultatione alienum fuiſſet, de
re per ſe exigua meminiſſe. Quid igitur hoc
ſignificari dixerimus? Primùm eſt reſtitu-
tæ dignitatis inſigne: ne, vel peccator vete-
ris peccati memoriam apud patrem minus
extinctam eſſe ſuſpicari, vel eius gratia ab
aliis ipſi inſultari poſſit. Quæ ſi acciderint,

in procliui eſt micantem in digito anulum oſtentare. Ad eum modum reſtituit Chriſtus Petrum,anuloq; ornauit:quando priori loco eum eſſe iubet,& vicarium conſtituit. Secundò ſignat fidem, qua iam reſtitutus, perpetuò debet eſſe conſpicuus. Vnde non dicit: date ei anulũ in marſupio,vel in pyxide, vt quum opus erit queat proferre, & induere: ſed in manus,inquit: nõ enim decet fidem noſtram in obſcuro eſſe reconditam, ſeu ocioſam: ſed in manu, hoc eſt in opere: vt,quemadmodum Paulus vult,per charitatem operetur. A quo longè diſſentiunt Scripturarij noſtri,qui ſuis quouis potius quàm in manibus anulum fidei apponunt: non viuam & ad opus promptam fidem tradentes,ſed deſidem,& ſecuram:quã tamen ſine operibus mortuam eſſe D. Iacobus apertè teſtatur. Sequitur *Ioan.21* *Gal.5.* *Iac.2.*

Et date calceamenta in pedes eius. Notum eſt calceamenta ex detractis maceratisq; animalium pellibus fieri: idq; ad eum vſum, quò pedes à frigore,& aſperitate viarum defenderent. His cumprimis opus habet peccator: & primùm,vt eorum exemplis ſe confirmet,qui ante nos in viuis fuerũt. Deinde vt perpetuò mortis,quę humana omnia terminat,meminerit: quò & diutius faciliusq; in concepto propoſito ſe continere, & ſenſum à cupiditatibus auocare queat. Tertiò

vt

vt exemplo Chriſti per ſentes & calculos hu
ius vitæ incedendum eſſe cogitet: nec aliter
q̃ patientia hęc incommoda eſſe ſuperanda:
Mat.5 quú & iis qui ante nos vixerunt, nihil diuer-
ſum à nobis acciderit: & breui nobis morte
ſublatis illa finem ſint habitura. Paulus ve-
rò duobus modis vult nos eſſe calceatos, ad
ſectanda exempla bonorũ, & fugienda ma-
lorum. Quare poſtquam longo diſcurſu ve-
terum exempla, qui ſingulari fide à Deo in-
ſignia præmia erant conſecuti, recenſuiſſet:
Heb.12 ſermonem ita claudit: Ideoque & nos tan-
» tam habentes impóſitam nubem teſtium:
» deponentes omne pondus, & circumſtans
» nos peccatum, per patientiam curramus ad
» propoſitum nobis certamen, aſpicientes in
» authorem fidei. &c̃. Quo quid vult aliud
Paulus, quàm vt ex præcedentium & piorũ
patrum exemplis, hoc eſt mortuorum ani-
malium pellibus, animum aduerſus mundi
diſcrimina fide & patiẽtia calceemus? Alibi
è diuerſo monet, vt & ex malorũ euentibus
1.Cor.10 calceos nobis paremus: Non ſimus (inquit)
» concupiſcentes malorum, ſicut & illi con-
» cupierunt: Neque idololatræ efficiamini,
» ſicut quidam ex ipſis: neque fornicemur,
» neque tentemus Chriſtum, neque murmu-
» raueritis, ſicut quidam eorum: & cætera quę
ibi latius perſequitur. Hæc verò cognoſcere
quia nemini non eſt neceſſarium: inter cæ-
tera

tera præcipitur ſeruis, vt peccatorem iam
reſipiſcentem eiuſcemodi calceis, hoc eſt v-
triuſque vitæ exemplis, diligenter muni-
ant: quò, iuxta conſilium Pſalmographi, *Pſal.33.*
declinare poſſit à malo, & facere bonum.
Deindè mortis,& futuri iudicij memoriam
crebro inculcent: vel illo Ioannis, Filioli, *1.Ioan.2.*
nouiſſima hora eſt: vel hoc Pauli, Omnes *Rom.14*
ſtabimus ante tribunal Dei. Tertiò,vt non „
ſolùm perſeueret in bono,verumetiam ma-
lum diſcat patienter ſufferre.

Ex his quæ diximus perſpicuum eſt,quę
ſint hodie Eccleſiæ miniſtrorum munera,
quæ partes in peccatoris conuerſione. At
quotumquenq; mihi dabis, qui his ſedulò
reſpondere ſtudeat? Quomodo verò reſpon
debunt,qui ne norũt quidem quid ab ipſis
requiratur, quomodo morbidum peccato-
rem tractabunt? Hoc tamẽ in adeunda fun
ctione,nemo ad deprecãdum adducit: adeò
præualet oneri honos: & fiunt cæci ipſi du- *Mat.15.*
ces cæcorum. Alij norunt quidem,ſed mo-
leſtia eos ab officio abducit. Quanquam nõ
rarò in vobis eſt culpa,qui confeſſionẽ tam
diu protrahitis,quòd neceſſe nũc ſit omnes
cateruatim confluere: vt ſi ſacerdos maxi-
mè velit officio ſuo in ſingulis inſtituendis
defungi,per vos non poſſit. Quod ipſum an
non extremæ dementiæ & ſocordiæ eſt,fra
tres,nos in ea re nobis deeſſe,quæ quantum
ad

ad noſtram dignitatem recuperandam momenti habet, ex eo ſatis liquet, quòd miniſtris de ea re tam diſertè eſt cautum? Sed qd clamando, exhortando, increpando, hactenus profeci? fratres, vos videritis.

Sed pater nihil præterea à ſeruis curari voluit? *Et adducite vitulum ſaginatum, & occidite.* Si rationem hodierni myſterij habere voluiſſemus, quemadmodum nõ potuimus, ab his verbis totam ſermonis noſtri ſummã petiſſemus. Itaq; principiò conſtat, Deum menſæ ſuæ neminem adhibere, qui dignitatis ſuæ ornamentis honorificè nõ ſit cul-
Mat. 22 tus. Quiſquis enim minus honeſtè veſtitus irruperit, ſuo ſanè periculo ligatis manibus & pedibus in profundiſſimũ carcerẽ recludetur. Hoc præſentibus moribus ad terrorẽ, immo eruditionem ſit dictum. Quis enim ſatis deplorarit, quàm impurè, quàm incompoſitè, quàm penè petulanter ad hanc rem nunc cõcurratur: vt vix vllum pœnitentiæ, confeſſionis, emẽdationis veſtigium deprǣhendas? At quàm longè ſunt hæc à paterna cura, indulgẽtia, denique mente? Enimuero æquiſſimum erat, vt non vnius diei tantùm exercitatione ad rem tantam parati veniremus: comeſturi non cibum canum, ſed hominum: non ſeruorum, ſed filiorũ. Et qua
Mat. 15 fronte audemus nos, non ſic vocatos ingerere? neque honorẽ illum tanti ducere, vt
cũ

cũ ſtola, anulo, & calceis veniamus? Quicquid nobis viſum fuerit: hæc menſa non poterit nobis non eſſe damnoſa, niſi per veram confeſſionem innocentiæ reſtituti, ſtolatique, veræ iuſtitiæ nos candidatos probemus: deinde per anulum Chriſto inſerti, & copulati, ambulemus in via mandatorum Dei, in longanimitate & patientia, à dextris & à ſiniſtris. Horum nos admonent illa ornamenta, quæ in reſipiſcentiæ præmium à miniſtris conferuntur. Quibus poſtquã rectè induti ſumus, tunc menſa ſternitur, & iubet pater vitulum illum ſaginatum, coctumque inferri. 2.Cor.6

Quem porrò alium vituli huius nomine intelligemus, quàm Chriſtum, qui & antea Moſaico illo vitulo, in huius rei typum, fuit deſignatus? Et de hoc quidem in Exodo ita Exo.24
legimus: Moſes verò ſumptum ſanguinem »
reſperſit in populum: & ait, Hic eſt ſanguis »
fœderis, quod pepigit Dominus vobiſcum, »
ſuper cunctis ſermonib. his. Quibus verbis »
quid aliud ſignificatur, quàm Chriſti ſanguine nouum teſtamẽtum confirmatũ eſſe: noſq; eius aſperſione, non in quodlibet fœdus ſed in adoptionis neceſſitudinem à Deo eſſe aſſumptos? Nec minor aut parcior eſt hæc Chriſti commendatio, quàm illa Moſis: Accipite, & manducate: hoc eſt corpus Mat.26
meum. Et iterum: Bibite ex hoc omnes: hic »
eſt

eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti.&c.
Et hæc non angelis, non ſanctis Dei, ſed no
bis apponuntur: nam vt præclarè apud Io-
Ioan.3 » annem: Sic Deus dilexit mũdum, vt filium
» ſuum vnigenitũ daret. Iam quòd ſaginatũ
vocat, non vna eſt ratio: Quarum prima eſt,
Col.2 » quòd in eo omnes theſauri ſapientiæ & ſci-
» entiæ Dei ſunt reconditi. Secunda quòd vt
eodem loco Apoſtolus dicit, in ipſo inha-
» bitat omnis plenitudo diuinitatis corpora-
Ioan.11. liter. Tertia quòd ipſe eſt reſurrectio & vita
2.Cor.1 mortuorum. Quarta, quòd in ipſo nihil di-
uinorum promiſſorũ fallit. Quinta quòd in
ipſo fruimur quũ Deo, tum omnibus bonis.
Ioan.14. Nã Philippo ita eſt loquutus: Qui videt me
Ioan.13. videt & patrem meum. Et alibi: Qui acci-
» pit me, accipit eũ qui me miſit. Atqui hæc
omnia ex ipſius Chriſti verbis plenius, quũ
Ioan.6. ait: Amen dico vobis, Non Moſes dedit vo-
» bis panem de cœlo, ſed pater meus dat vobis
» panem de cœlo verum. Ego ſum panis vi-
» uus, qui de cœlo deſcendi. Si quis mandu-
» cauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Et
quæ in hanc ſententiam eodem capite fu-
ſius tractantur.

Hunc igitur tam delicatum panem, tam bene paſtum, nec minus bene paſcentem, præcepit Deus pater Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus, vt peccatori ad ſe reuerſo, ſed languenti forſan adhuc, aut non ita confir-

mato,apponere non cunctarentur. Nam in hoc & vera eſt ſatietas,& tranquillitatis voluptatisque plenitudo. Quod nec Chriſtus ipſe his verbis tacet: Venite ad me omnes, Mat.11.
ego reficiam vos: & inuenietis requiem ani „
mabus veſtris. Et alibi: Qui venit ad me nõ Ioan.6.
eſuriet,& qui credit in me nõ ſitiet. Iam de „
apparãdo quid neceſſe eſt inquirere, quum pater non aliud quàm vt occideretur mandauerit? Ergo nõ paſcit hic vitulus,niſi mactatus. Atque ita Paulus: Quotieſcunque 1.Cor.11
manducabitis panem hunc,& calicem bibe „
tis, mortem Domini annuntiabitis. Certè „
dulciſſimus ibi ſit oportet,vbi Chriſtus maximè ſe profert,atq; adeò etiam voluntariæ mortis teſtimonio ſuum erga nos amorem declarat. Quod quando peccator ſecũ perpendit,fieri non poteſt vt deſperationi ſuccumbat. Nec debemus alio appetitu ad hũc cibum inflammari, quàm vt dulciſſimũ monumentum mortis & amoris Chriſti nobis in eo repoſitum credamus. Ita & ipſe præ- Luc.22.
cepit: Hoc facite in meam commemorati- „
onem. Nam ad hoc Chriſtus nobis mactatus eſt,& vehemẽtiſſimi amoris igne in cruce toſtus: quò & lautius nobis ſaperet,& palatum acrius excitaret.

Sed iam addit pater: *Manducemus,& epulemur.* Serui quod iuſſi erãt facere,explerãt: & vitulus ille ſaginatus coctus erat: quid reſtat

am-

amplius, quàm vt accumberetur, ſuumq́ue de recepto herili filio gaudium teſtarentur? Ergo & in cibum Chriſtus nobis datus eſt, vt hoc pacto in animæ noſtræ alimoniam
Ioan.6. commodiſſimè tranſiret. Niſi manducaue-
» ritis, inquit, carnē filij hominis, & biberitis
» eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Id autem fit dupliciter: vel quum fide & verbo Dei accenſus te animo in hunc cibum tranſmittis, vel quum idipſum quod fide tenes, etiam re ipſa viſibiliter ſumis. Et vtroque modo vult Chriſtus vt nos ipſo paſcamus. Imperat nanq; quum ita loquitur, Manducemus, & epulemur. Quare ſi Chriſtianum nomen geris, iam imperium neceſſitatemq́ue accepiſti, vt nō ſolùm credas in Chriſtum, verumetiam ipſum tibi in cibum vertas. Et videte, quomodo iam mutat figuram orationis. Hactenus quid fieri vellet ſeruis præſcripſit, eosq́ue ſimpliciter imperio aſtringit: proferte ſtolam, date anulum. &c̄. Nunc aliter: nō enim dicit ſeruis, manducate & epulamini: ſed in genere loquitur, Manducemus & epulemur: ita vt ab hoc epulo neminem excludat, ne ſeipſum quidem. Inprimis admittitur qui recens è peccatis emerſerat: admittuntur & ſerui, quorum opera in hoc reſtituendo erat vſus: & ipſe adeò cum his accumbit. Felix conuiuium, in quo nobis cū Deo locus eſt. Sed

ne durum videatur, quòd patrē huius menſæ participem facimus: tunc filij carne veſcitur, quando ab eius humanitate infirmitas noſtra ad conſilij ſui effectum ſubleuatur: quemadmodum de eo ipſe teſtatur, Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Deinde non vni tantùm, ſed pluribus verba facit, per hoc quod plurali numero dicit, Manducemus: vt omnes promiſcuè abſque vllo delectu nos vocatos eſſe intelligamus: quibus vt nihil magis neceſſarium, ita ad copiam abundè etiam ſatiſfacere poteſt. Non poteſt eo carere, qui iam ad pœnitentiam ſe contulit, ne animo labaſcat. Opus illo habent perfectiores, vt propoſitum vrgere, & gradum aduerſus hoſtes tueri poſſint. Diſpenſatoribus etiam ipſis verbi & ſacramenti, æquè vt aliis perneceſſarius. Sine me, inquit, nihil poteſtis facere. Et vt manducemus omnes, ſemper erit quod ſuperabit: immo, quamuis omnes paſcit, de toto corpore nihil deceſſerit: nam qui heri & hodie, teſte Paulo, ipſe & in ſæcula. Tertiò quum hac voce nos oēs citra exceptionē ad hanc menſam inuitari audimus; in promptu eſt animaduertere, quàm nos pater velit animis ſenſibusq; eſſe coniunctiſſimos. Quod vel ipſa vox Communionis, qua vulgò vtimur, commonefacerē nos poteſt: nihil eſſe priuatum aut ſingulare, ſed omnia

Matt.3. *Ioan.14* *Heb.13.*

confeſſionem veſtram præclarè exornetis. Tertiò adlaborate vt pedibus à calceamentis ſit tutum, quò inoffenſo greſſu aſperam vitæ viam decurrere poſſitis: parati cũ Chriſto difficultates omnes patiendo vincere, voſq; ad patris veſtri voluntatem alacriter & libenter colligere. Iam poſtquã es menſæ adhibitus, diligenter tecũ reputa, quanti amoris, quàm profuſæ liberalitatis ibi ſint omnia: vbi ille idem tibi eſt cibus vitæ, qui antea ne tu morereris, ipſe, mundi vita, mortem oppetiit. Panis memoria præſentis ſaturitatis, præteritæ famis recordatione te pulſet: Habes in hoc Sacramento, quorum immolatione libertatem & vitam conſecutus es, Chriſti corpus & ſanguinem: quo felici glutino cum illo copularis & ipſe tecum. Sed ne bene paſto nihil curandum eſſe putes: vide diligenter, vt in accepti beneficij memoriam, eam munificentiam proximo præſtes, qua ibi es à Deo affectus. Quæ qui præſtarit, accipiet ex hac menſa incredibilem tum vtilitatem tum voluptatem.

Gratia Dei nobiſcum.

Amen.

Feria ſexta paraſceues,

SERMO NONVS ISAGOGICVS AD PASSIONEM.

Per-

PErpendenti mihi, chariſſimi, ad quid audituri adeò frequentes confluxiſtis, deinde materiæ amplitudinē & excellentiam de qua verba facturi ſumus: vt quod res eſt fatear, nō modicus terror inceſſit. Inprimis argumenti tanta eſt vaſtitas, vt laxius omnino eſſe nō poſſit: & quod nemo vnq̄ dicendo exhauſit. Habuit Eccleſia ſuos Fabios & Cicerones: ſed qui ingenij ſui & orationis vim tantis rebus nō imparem eſſe fateretur, nemo adhuc fuit. Quò minus mirum eſt, ſi nec me pari oratiōis facultate ſatiſfactur ū rebus dicam, cui in tam exigua copia dicendi, pro tempo ris adeò ratione non niſi parciſſimè eſt loquendū. Et quod vſquam argunentum fœcundius, q̄ Dei filium, hominum cauſa, crucem ac mortē ſubiiſſe libentē? Quod ipſum quò minus per ſe humanus ſenſus capit, eò diligentius oratione illuſtrandū venit, quò ex obligatione beneficij gratiores nos præſtaremus. Vt de hominib. taceam, ne angeli quidem maiori vnquā admiratiōe perculſi fuerunt, quàm ex hoc tam inſcrutabili diui næ miſericordiæ conſilio. Cui igitur terrori nō ſit, rem tam variam, diffuſam, arcanam, tam parui temporis curriculo debere aſtrin gere? Vnum me ſolatur maximè, quòd vos omnes vnius iuxtà mecum profeſſionis ha-

beam: & qui ſummam huius myſterij melius apud animum veſtrum longa meditatione repræſentatā habetis, quàm ego oratione extendere queam. Quo nõie id mihi potiſſimùm faciendum duxi, vt ex præcipuis capita quædam mihi conſtituerē, quæ orationis noſtræ ſtudio diligentius inculcata, & memoria facilius à vobis retinerentur, & gratitudinem veſtram exercerēt vberius. Nam in vobis locum habiturum confido, quod eſt apud Salomonē: Da ſapienti
Prou.9
„ occaſionem, & addetur ei ſapientia.

Porrò quòd de totius negotij ſumma, & quæ ad hoc pertinent, nos omnium efficaciſſimè admoneat, nihil aptius inuenero, q̃ illud qđ proximè in parabola de filio prodigo à patre ſeruis ſuis mandatum audiuimus: *Adducite vitulum ſaginatum, & occidite: & manducemus, & epulemur.* E quibus verbis, tametſi numero pauciſſimis, nõ eſt cuiuis pio difficile, nõ hiſtoriam ſolùm, verùm etiam Dominicæ paſſionis fructum latiſſimè decerpere. Nam quia morte & ſanguine
Mat.26
Chriſti nouum teſtamentum confirmatum eſt, pro vitulo ſaginato in paſſione ſe geſſit. Nihil enim aliud continet hiſtorica narratio, quàm quo pacto & ordine ad illum occidendum ab impiis Iudæis & militibus fuerit conſpiratum. Quò verò alio Dei conſilio, niſi vt hoc pignore homo mortuus reuoca

uocaretur ad vitam, deſperatus ad ſalutem? Quare ſi fructũ tanti beneficij minimè prętermittere aut negligere volumus, neceſſe eſt nos facere qđ pater monet, immo præcipit, manducare & epulari. Cæterùm non debet vobis videri nouum, quòd iterum ad epulandum vos vocem: quum, ſi meminiſtis, duplici modo nos hunc cibum poſſe capere, à nobis proximè eſt dictum, ſpiritaliter, & ſacrãmẽtaliter. Heſterno die veris rebus carnis & ſanguinis Chriſti paſti ſumus: Hodie idem in deſiderio faciemus. Et qui heri totum Chriſtum in animi noſtri ſtomachum tranſmiſimus: curabimus hodie adinſtar mundorum animalium, ex eodem intellectus noſtri dentibus minutius confecto, heſternam voluptatem quaſi ruminando redintegrare. Dandáque eſt opera, vt fructum, quem heri ex ſummaria Chriſti morte percepimus, nunc ex eadem & ꝑ partes fuſius explicata, non minorẽ capiamus. Intelligitis quid nũc manducare & epulari vocemus. In quo ſi id quod manducamus, amarum & inſuaue eſt, quod verò epulamur omnium ſuauiſſimum. Tametſi enim materia ipſa auditu horrida & ſpinoſa eſt, cætera tamẽ omnia iucunda & ſapidiſſima. Ad hoc enim Chriſtus è natiui ſplẽdoris gloria in iſtas miſerias & moriendi neceſſitatẽ ſeſe coniecit, vt nos inde eductos in æternę

felicitatis partem reciperet.

Ex quibus liquet, duo potiſſimũ in Chriſti paſſione nobis eſſe ſpectanda. Alterum, vt quàm diris & horrendis modis ſaginatus iſte vitulus à Iudæis præſidiariorũ militum manibus excarnificatus, & nobis coctus ſit, diligẽter & cum ſumma animi gratitudine animaduertamus. Poſterius, vt ex eo manducare & epulari dignè ſtudeamus. Illis dictum eſt, vitulum ſaginatum occidite: quibus diuino iudicio permiſſum erat, vt inexplebilem crudelitatem inauditis in Chriſto ſuppliciis antè defatigarent, quàm deponerent. Et meritò: vt qui toties turpiſſima defectione à Deo ad culturam idolorum tranſfugerant, eius fierent regis crucifixores, cuius ſe faterentur cultores. At nobis dicit pater, Manducemus, & epulemur. Quod quia meritis noſtris minimè eſt tributum, tantò gratiores nos declaremus æquum eſt: quòd ille nobis collatus ſit ad ſalutem & vitam iucundiſſimã, in quem alij, nempè factæ promiſſionis malè ſecuri, impegerunt ad mortem. Quod tantò cautius nobis peruidendum eſt, ne & nos periculoſum iter ſectemur, in quo alios concidiſſe cognoſcimus.

Nam omnino veriſſimum eſt, quod ait D.
1.Cor.1 Paulus: Nos prædicamus Chriſtum cruci-
» fixum, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus
» autem ſtultitiam: iis autem qui ſalui fiunt,

Dei virtutẽ & Dei ſapientiam. Et quidem ex Euangeliſtarum narratione, & rerum euentu ita factum non ignoramus. Iudæi ſanè perfidiæ ſuæ ſcandalo tam alto vulnere ſeſe conſauciarunt, quum & vltrò mortis Chriſti vltionem in ſua liberorumq; capita deposcerent, vt etiamnum incurabiles permaneant. Nec à gentilibus ad ſummã Chriſti cõtumeliam tunc quicquam prætermiſſum eſt: maximè quando illi ad effigiem regis ſpineam coronam imponunt, deinde & regni titulum crucifixo improperãt. Quid cætera perſequar? in tanta circumfuſæ turbæ denſitate præter ſuam ipſius matrem cũ aliquot comitibus, & pauculos alios rei miraculo perculſos, neminem inuenit Chriſtus, quem ad grauiſſimi doloris ſui exulcerationẽ non dolenter conſpiceret. Proinde adlaboremus chariſſimi, vt cum Nicodemo & Ioſepho, Chriſto pro nobis mortuo gratiam refundamus, eumque apud animum noſtrum pia memoria contumulemus. Nec impediat nos, quòd iſtos omnes, quos in partibus Chriſti perſtitiſſe diximus, ſummo tunc ſqualore mœſtitiaq; affectos videmus. Dolor ille, vel ſua ipſorum opinione citius euanuit, tantoque ingentius gaudium Chriſto à mortuis emerſo eſt conſecutum. Mat. 27

Sed iam ad paſſionem aures animumque aduertite. &c.

In

IN FESTO PASCHÆ, SERMO DECIMVS.

MAnducemus & epulemur, quia mortui eramus & reuiximus, perieramus & inuenti ſumus. Non ignorant q ſuperiori noſtro ſermoni nudiuſquartus interfuerunt, me in his verbis ita dicendi finem feciſſe: vt de propoſitæ parabolæ parte explicandum nihil aliud reſtaret, quàm id quod ſtatim ſubnectitur: Et cœperũt epulari. Quo nomine & in certiſſimam ſpem adducor, nos Acolaſti huius exemplo iam ſummam cogitationum noſtrarum in hoc feciſſe, vt in patris, ad quem pœnitentiæ & confeſſionis adminiculo è longa peccati ſeruitute reſpicere cœpimus, contubernio & conſuetudine perpetuò acquieſcamus: maximè quum iam ſtola innocentiæ recepta, & anulo fidei iteratò deſponſi, & à pedibus parati ad huius mundi læta perinde ac triſtia fortiter innoxieque calcanda, ad menſam Dominicam honorificè accumbimus: tantumq; amoris ac munificentiæ gratuitæ apparatum iucundiſſimo admirationis ſenſu obſtupeſcimus. In hanc me ſpem & fraternus amor, & diligentiæ veſtræ conſideratio impellit. Atque etiam vt ita ſit, hodierni diei ratio expoſcit. Nam Phaſe, tranſitum

tum ſignificat: qui in vitæ & morum correctione conſtare nobis debet. Quemadmodum enim Chriſtus à mundo tranſijt ad patrem, à morte ſe reuocauit in vitam, ab ignominia crucis intrauit in gloriam ſuam: ita & nos tranſilire debemus à peccato ad iuſtitiam, à vetuſtate literæ in nouitatem ſpiritus, à corruptione in ſanctificationem. Planè, iterumque dico, hoc diei huius religio à nobis expoſcit. Quare infelicius & deploratius hominibus illis nihil eſſe poteſt, qui hucuſque à peccati nido, & à prioris vitæ exilio auelli non potuerunt, & in tanta domus Dei vbertate adhuc fatuis ſiliquis famem magis alunt quàm pellunt. Ah fratres, quid ſpei nobis relinquunt, fore vt aliquando reſipiſcant, qui tam propinquo exemplo, tam crebris exhortationibus nō potuerunt in viam extrudi? Quando quid debeatur peccatis noſtris ſupplicij intelligere poterunt, qui illud ex innoxij Chriſti indigniſſima morte aſſequi non curarunt? Quid illis ad terrorem vnquam eſſe poterit, qui ſe pōdus paſſionis Chriſti laturos minimè formidant? Aut quæ tandem res eorum palatum ad agni paſchalis eſum exacuet, quos horum dierum amor, officium, cura, indulgentia, virtus denique non traxit? Dico igitur, rebus ſuis grauiſſimè illos conſulere, quos neque Eccleſiæ diligentia ad pœnitentiam

Ioan. 13
Luc. 24

tiam, neque paſſio Chriſti ad curam, neque dies iſte vocauit ad lætitiam. Ego equidem de vobis longè aliter ſum animatus. Proindè non poſſum, quin & hodie, quemadmodum & duabus proximis concionibus feci, eôdem vos vocem: Manducemus & epulemur.

Conuiuium quidē iſtud à quarto ab hinc die eſt celebrari cœptum, ſed finem niſi in hoc die non habet. Hoc ſpectat Propheta,
Oſee.6 „ quùm ait: Viuificabit nos poſt duos dies,
„ in die tertia ſuſcitabit nos. Quem alium putatis diem, quàm eum quem nunc feſtiuiſſimis votis excepimus: & de quo Pſalmo-
Pſ.117. graphus vaticinatus eſt, dicens: Hæc eſt dies
„ quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. O ſanctum diem, diem ſemper diem, ſemper ſui ſimilem, neque vllo fine terminandum: diem ſplendoris & lætitiæ, diem immortalis gloriæ & dignitatis: diem qui clauſit humanæ miſeriæ noctem caligine, & reſerauit ianuam vitæ. Hodie in exortu Solis iuſtitiæ, facilè eſt & diuinæ miſericordiæ magnitudinem, & miſeriæ noſtræ ſummam, & hanc longè eſſe infra illam conſpicere. Hodie fas eſt Chriſtum de morte & Diabolo triumphantem, & illa obtorto collo ducentem, præclara in luce ſpectare. Hodie primùm intelligimus, quid ſibi vo-
Ioan.19. luerit Chriſtus, quando in cruce, Conſumma-

matum eſt,dixit. Ita vt ab hoc indè die iu- »
ſtiſſimam cauſam habeamus,quare cum Ec
cleſia pſallamus: *Chriſti pugna fortiſſima,ſa-*
lus noſtra eſt vera. Innotuit enim nũc,Chri-
ſtum mortem debellaſſe, expugnaſſe infer-
num. Cognoſcimus iam nunc nullum am-
plius diabolo ius eſſe in eos qui Chriſtũ pro
fitentur. Conſtat omnibus Deum nobili vi
ctima placatum,vt offenſionum cauſę tolle
rentur,eſſetque gratiæ locus,ſublátis pecca-
tis nos Chriſti iuſtitia exornaſſe: nam vt ve-
rè D. Paulus: Qui traditus eſt propter deli- *Rom.4*
cta noſtra, reſurrexit propter iuſtificationẽ »
noſtram. Nemo addubitat,quin quod cor-
pus morte ponimus, feliciori vita ſimus re-
ſumpturi: eodem teſte quo ſuprà. Si credi-
mus (inquit) quia Ieſus mortuus eſt, & re- *1.Theſ.4*
ſurrexit: ita & Deus eos qui dormierunt ad- »
ducet cum eo. Et ſicut in Adam omnes mo *1.Cor.15*
riuntur,ita & in Chriſto omnes viuificabũ- »
tur. Hic itaque dies eſt quem fecit Domi- *Pſal.117*
nus, exultemus & lætemur in eo: nam & »
mortui eramus cum filio prodigo & reuixi-
mus,perieramus,& inuenti ſumus. Adami
vitio mors irrepſerat, Chriſti auſpiciis fu-
gata eſt: ademit ille multum,hic plus reſti-
tuit. Procul igitur mœror & anxietas,qui-
bus pleniſſimum in Chriſto ſolatium. Sce-
na humanæ conditionis inuerſa eſt reſur-
gente Chriſto: eramus peſſima,ſed nũc mul
tò

1.Cor.15 to optima. Et hoc ille veriſſimè: Si Chriſtus
» non reſurrexit, vana eſt fides veſtra, adhuc
» enim eſtis in peccatis veſtris. Nunc autem
» reſurrexit Chriſtus, primitiæ dormientium.
» Deo autē gratias, qui dedit nobis victoriam
» per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.
Hinc igitur epulemur, hinc inebriemur, nō muſto, ſed ſpiritu ſancto, ſed de conſecuta ſanitate lætitia. Exemplo fuerint Apoſtoli: qui modò Chriſti morte mœrore abſorbebantur, vultu atque animis conciderant, atque adeò ſpem abiecerant: neque non optimo iure, quum ipſis ille ita ereptus eſſet, in quem omne ſolatium ſuum atque præſidium contuliſſent: vt non modò veteris virtutis nihil in eo appareret, ſed his conuitiis
Matt.27 palàm proſcinderetur: Alios ſaluos fecit, ſe
» ipſum non poteſt ſaluum facere. Si Rex Iſ-
» rael eſt, deſcendat nunc de cruce, & credi-
» mus ei. Confidit in Deo, liberet nunc eum
ſi vult &c. illi inquam, quibus ad dolorem, ad deſperationē accidere nihil grauius poſſet: qua lætitia hodie ſunt perfuſi, quàm non penè gaudio diſrupti? quàm ſtupuerunt ad rei nouitatem? dixeris amentibus, & ebriis ſimiles. Dolorem auxerat ſpei obſcuritas: nunc augent lætitiam, quum ſpes victa, & præcedens dolor. Quum enim Iudæi illa Chriſto in cruce opprobrarēt, quæ in inſontis nece facile fidem inueniebant:

quid

quid mirum fuit, ſi ne Apoſtolorum quidem de Chriſto opinio conſtitit, ſed vacillauit, ſed penè, immo verè iacuit? Et quantum putatis illos ab hac animi ambiguitate accepiſſe dolorem? Quid enim hominis animum durius diſcerpſerit, quàm quòd de fidei ſuæ certitudine, verá ne ſit an falſa, ſtatuere nihil poteſt: miſericordiã debeat ſperare, nec ne? Ita quidem illi tunc effecti erant. Sed hodie noua rebus facies exorta eſt. Impoſitum eſt ſilentium iis, qui Chriſtum, quòd de cruce non deſcenderet, filium Dei negabant. Confirmati ſunt, qui ſpem, qui fidem, qui ſalutem ſuam in arcto collocatam credebant: mœrorem oppreſſit inſperata, eoque maior lætitia: & talis quidem lætitia, quam nulla res obſcurare, nemo debilitare, vis nulla frangere poſſet: vt Chriſtus ſplendidè promiſerat. Ex Euangeliſtarum narrationib. diſcere potes, quibus quaſi gradibus & incrementis ad hanc aſcenderint. Quàm ægrè primùm ſuſcepta, à quàm paucis credita, mox diſſipata, demùm confirmata: ita vt dies ille neminem ſuorum non certum, non gaudio ſaturum dimiſerit. Ita quidem Paſcha apud illos fuit cõſtitutum. Proindè adhortor vos, chariſſimi, vt eorum veſtigia ſequamur: ita cogitemus, loquamur, agamus hodie omnia, vt illos cogitaſſe, dixiſſe, feciſſe veriſimile eſt. Et quàm iuſtè,

Ioan. 16

cha

chariſſimi? Quid ad vtilitatem conſultius, ad lætitiam vberius, denique magis neceſſarium ad ſalutem? Quare non poſſum, quin orationem etiam noſtram ad huius diei lætitiam componam, extendamq́ue: quò vos magis in ædibus ac mẽſa Domini eſſe & morari iuuet. Nõ eſt tamẽ animus ab hoc Chriſti verbo, quod ſuprà citaui, quodq́; in cruce

Ioan.19 dixit, Conſummatum eſt, recedere: nam thematis loco ſequi placuit. Cuius occaſione & illud oſtendemus, quo pacto veteris teſtamenti typis plurimis ſit Chriſti morte & reſurrectione abundè reſponſum. Et eò quidem omnia, vt cum Acolaſto noſtro maiorẽ voluptatẽ vtilitati coniunctam capiamus.

Conſtat imprimis nihil vſpiam in ſacris literis diſertis verbis crebrius eſſe prænunciatum, vel pluribus figurarum vmbris tectius deſignatum, atque ipſam Chriſti ſeruatoris noſtri tum paſſionem tum reſurrectionem. Nec id quidem temerè: quandoquidem totum ſalutis noſtræ negotium ex his dependet. Altero ſiquidem abſtulit peccata noſtra, altero iuſtitiam contulit ſuam. Quod conſilium ſuis (vt eſſet quo animum ſufficerent) non ita ignotũ voluit eſſe Deus, quin iam indè ab humanis cunabulis illud, & apertis verbis ſæpiſſimè, & figuris interdum, tectiſq́ue rerum inuolucris euulgari curauerit. Quod me non falſò affirmare,

ad-

adductis aliquot tam oraculorũ quàm figurarum teſtimoniis, apertiſſimè conuincam: cõſequuturus (ſpero) & illud, vt & vos poſthac in ſcripturis maiori notitia & diligentia verſemini. Et primò quidem Dauidem producemus, qui de paſſione & reſurrectione Chriſti in hunc modum canit:

Beatus qui intelligit ſuper egenũ & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. » Dominus conſeruet & viuificet eum, & bea» tum faciat eum in terra, & nõ tradat eum in » animam inimicorum eius &c. Totum hunc » pſalmum eò, quò dixi, pertinere, vel ex hoc manifeſtum eſt, quòd quędam Chriſtus ipſe ex eodem adducit, quibus doceat Iudæ proditoris conatum non antè à Prophetis non fuiſſe prædictum. Nam poſtquam ſuorum abluiſſet pedes, eſſetq; in latiſſimum ſermonem ingreſſus: etiam hæc ipſa iniecit: Non de omnibus vobis dico: ego ſcio quos elege- „ rim. Sed vt adimpleatur ſcriptura: Qui man „ ducat mecum panem, leuabit contra me cal „ caneũ ſuum. Ille ſcripturæ locus in eandem ſententiã, verbis licet aliis, eſt in eodem hoc pſalmo: quem, hoc maximè argumento, totum ad Chriſti mortem & reſurrectionẽ referendum dicimus. Et quidem principiò, quem illum pauperem, & egeſtate laborantem dicemus, in cuius cognitionem & conſiderationem nos Propheta tam ſeriò vocat,

Pſal. 40. *Ioan. 13.*

vt beatum illum pronunciet,qui hoc minimè neglexerit?Nec negarit aliquis non eſſe laudabile,ſi quis vel mediocriter rerum inopia afflicti ſtatum agnoſcat,vicem doleat, egeſtatem ſubleuet. Multò verò maius, ſi quis illum, cui ab animo malè eſt, conſilio regere, conſolatione erigere ſtudeat. Atqui Prophetam de ſingulari quopiam paupere (quod numerus ſermonis indicat) nec minus ſolatij quàm rerum egente,loqui certiſſimum eſt. Non enim id agit,vt ad pauperũ curam in commune agendam oratione nos inflammet: ſed habet quendam,non ſolùm ab extrema paupertate peſſimè acceptum, ſed etiam omni ſolatio ac officio deſtitutũ: cuius vt eſſet impium non miſereri, ita qui penitius caſus illius omnes cognoſcere,& in ſe recipere ſtuduerit,beatum illum pronunciat, dignumq; quem Dominus conſeruet, & viuificet &c. At quem tandem hunc dicemus,niſi Ieſum Chriſtum inimicorum furori traditum: & inter grauiſſima tormenta,ea quæ in hoc pſalmo ſequuntur, grauiter ſingultientem?

Pſal.40 Inimici mei dixerunt mala mihi,quando
„ morietur, & peribit nomen eius? Et ſi in-
„ grediebatur vt videret, vana loquebatur cor
„ eius: congregauit iniquitatẽ ſibi. Egredie-
„ batur foras,& loquebatur in idipſum. Ad-
„ uerſum me ſuſurrabant omnes inimici mei,

ad-

aduerſum me cogitabant mala mihi. Verbũ »
iniquum conſtituerunt aduerſum me:nun- »
quid qui dormit non adijciet vt reſurgat? »
Etenim homo pacis meę in quo ſperaui,qui »
edebat panes meos, magnificauit ſuper me »
ſupplantationem. Huçuſq; ex pſalmo. Iam
mihi videte, immo & intelligite pauperem *Pſal.21*
& egenũ iſtum, vermi magis quàm homini
ſimilem:in tantis ſuppliciis ne tantillũ qui-
dem ſolatij habentẽ,vt caput corona ac pla *Matt.8*
gis grauatũ vel modica reclinatione ſuſten-
tet: ita deſertum ab omnibus,vt patrem e- *Mat.27*
tiam penè in crimen vocet, à conſpectu ma
tris magis vulneretur,quàm ſubleuetur. At
nónne hæc quæ iam ex pſalmo audiſtis, to- *Ioan.19*
tius paſſionis Chriſti quaſi ſeriem texere vi-
dentur? An nõ eadem ſunt cum iis,quæ ex
Euangeliis de proditoris oſculo,de peruer-
ſitate & falſitate teſtium, de accuſantiũ in-
tolerabili peruicacia, de crudelitate poſtu-
lantium,de ſanguinariorum clamoribus,de
contumeliis,de infandis & atrociſſimis op-
probriis audiſtis? Ah,verè pauperem illum
& egenum. At quæ res huc miſeriarũ com-
pulit Dei filium? Nihil, niſi amor in ſuos:
nam quòd huius impulſu peccata noſtra ſi-
bi tranſcripſerat, depẽdendum illi fuit pro
nobis:& qualis qualis eſſet,nõ aliter habitus
eſt, quàm ſi propria luiſſet. Ita vt non tam
crimen,quàm perſonam ſuſtineret; quem-

admodum ex eo verſu liquet, qui iam reci-
Pſal.40 tatos proximè præcedit. Ego dixi, Domine
» miſerere mei, ſana animam meam quia pec
caui tibi: peccaui, non alienũ crimen in me
recipiendo, ſed hoc ipſum quod alij fecerũt
Pſal.68 delinquendo. Ita & in alio pſalmo; Oppro
» bria exprobrantiũ tibi ceciderunt ſuper me:
&(vt paulò antè) quæ non rapui, tunc exſol
uebam. Quid illum in has miſerias protru-
ſerit, audiſtis: conſequitur iam beatum eum
eſſe, & quidem ter & amplius, qui in huius
miſeri caſum ita inquirit, vt quid paſſus ſit,
qua de cauſa, ad quem finem, diſcere ac in-
telligere curarit. Et quidem dignus eſt ille,
inquit vates, quem Dominus à periculo fa-
mis & armorum, à peccato & morte tutum
conſeruet. Faciat Dominus, ne à rebus inte
gris in diſcrimẽ veniat: quin potius, etiamſi
nõ parum diſtet à morte, feliciter emergere
faciat: & ita quidem, vt iam nũc in hac vita
æternam illam felicitatẽ prægustaſſe videa-
tur. Non permittat, vt hoſtibus quicquam
in illum liceat: immo ſi fortè accidit, vt in-
firmitate depreſſus lecto decumbat, ferat il
li Dominus opem, vt non modò ſanitatem
breui recipiat, ſed quicquid illi etiã ab ani-
mo ægrè fuit, placidè cõponat, abſtergatq́;:
ita vt ne mortem quidem (ſi ita neceſſe ſit)
duram ac grauem experiatur. Ad hunc mo
dum pſalmus ille de paſſione Chriſti, & de
co-

corũ felici pietate,qui illam ſine fructu ſibi elabi non patiuntur,apertè ediſſerit. Supereſt vt & reſurrectionem in eo delineari doceamus : quod ex iis quæ ſequuntur non erit difficile . Ait ita:

Tu autem Domine miſerere mei,& reſuſcita me,& retribuã eis. In hoc cognoui quoniam voluiſti me,quoniam nõ gaudebit inimicus meus ſuper me . Me autem propter innocentiam ſuſcepiſti,& cõfirmaſti me in conſpectu tuo inæternum. Benedictus Dominus Deus à ſæculo & in ſæculũ : fiat,fiat. *Pſal.40* Hic pſalmi finis: ſed in quo de Chriſti reſurrectione tam apertè eſt locutus,vt nihil poſſit clarius . Neque interim tacet,quid ex ea ſperare debeant boni æquè ac mali , hoſtes perindè vt amici . Pauca quidem verba, ſed ſenſibus ac myſteriis fœta . Primùm : quod in apertum teſtimonium reſurrectionis ait, Reſuſcita me, non ita accipere debes , quaſi Chriſtus ad id aliena ope indiguerit, neque ſibi id præſtare potuerit: quemadmodũ Lazarus ad vitam redire nõ potuiſſet,niſi Chriſti voce ac virtute excitatus . Minimè gentium . Surrexit : inquit Angelus : intellige, nõ alieno præſidio,ſed ꝓpria virtute.Quod & ipſe de ſe quodam loco ita fatetur: Poteſtatem habeo ponẽdi animam meam,& poteſtatem habeo iterũ ſumendi eam. Sermonis verò phraſis,qua hîc vtitur,ad hominem *Ioan.11.* *Mar.16.* *Ioan.10*

quem diuinitati vnierat,pertinet: qui ex ſe reuiuiſcere minimè potuiſſet,quod poterat diuinitas. Quare eum hîc ita locutum intel lige,vt & aliâs,maximè paſſionis tempore, feciſſe nõ ignoratis. Iam quod ad diſcrimen bonorum & malorum,amicorũ & hoſtium attinet: de his ita loquitur: Retribuam eis. Breue quidem,ſed durum & horrẽdum verbũ: nec ſenſu abhorrens ab eo,quod ex pro-
Zach.12. pheta Zacharia citat Ioannes: Videbunt,in
Ioan.19. quem tranſfixerunt.Et quod alibi Chriſtus
Ioan.8. ipſe loquitur:Quum exaltaueritis filium ho
„ minis,tunc cognoſcetis quia ego ſum. Atq;
Mat.26. illud: Amodò videbitis filiũ hominis ſeden
„ tem à dextris virtutis Dei. Et quod Pilato
Ioan.19. dixit:Qui me tradidit tibi,maius peccatum habet. Ad Iudæos verò,ſciſcitantes quem ſe
Ioan.8. faceret: Multa habeo (inqt) de vobis loqui & iudicare. Quæ quidem omnia eò plus terroris habent,quò minus iracundiã ſuam certis pœnis aſtrinxit: ſed vnicuiq; pro meritis ſe refuſurũ dixit. Et quidem hæc ad hoſtes Chriſti pertinent: quæ,iam olim in Iudæis rerum euentu cõprobata eſſe,nemo eſt qui ignorat.Totum ſtudium ipſorũ in hoc erat, vt Chriſto grauiſſimis pœnis excarnificato, nomen eius memoriamq; delerent:ſed quid aliud,quàm hęc ipſa in proprium caput aduocarunt? Ait itaq;: Domine reſuſcita me, & retribuam eis.

Dixi-

Diximus quid hoſtes timere debeant:iam de ſpe ac ſolatio,quibus amici inde cumulãtur,audiamus. In hoc (inquit) cognoui quoniam voluiſti me:vnum eſt. Alterum:Quoniam nó gaudebit inimicus meus ſuper me. Tertium:Confirmaſti me in conſpectu tuo in æternum. In tribus his verſibus ſpei ac lætitiæ noſtræ eſt quaſi ſumma collata. Nam hinc exploratum certumq; nobis eſt,Deum Chriſti meritis quæ in humanis geſſit non delinitum ſolùm eſſe,verumetiã eidem affectu ita eſſe conſtrictum,vt eum,inuitis inimicis,perpetua neceſſitudine ſibi copularit: qua beatitudine ille in perpetuum ſecurus, non aliud q̃ dolorem & meritum cruciatum ſuis hoſtibus relinquat. Quid nobis vſquam auditu lætius:quid ad tenendã fidem,ſpem, fiduciam opportunius: ad cõfirmandum in aduerſis animũ efficacius? Quid nocere nobis,quid deeſſe poteſt,quũ illum qui voluntaria deditione noſter eſt, eum locum apud Deũ habere,conſiliis eius omnibus aſſiſtere, immo ab eo iudicandi poteſtatem accepiſſe ita credimus,vt ambigere non poſſumus? Proindè quid iuſtius, quàm vt in gratitudinis noſtræ declarationé, illud quo propheta pſalmum hunc clauſit,in ore ſemper atq; in animo habeam⁹? Benedictus Domin⁹ Deus Iſrael à ſæculo & in ſæculum: fiat, fiat. An non iam in confeſſo eſt omnibus,Dauidem

totum hunc pſalmum ad paſſionis & reſurrectionis Chriſti myſteriū palàm contuliſſe? Et hic vnus dumtaxat eſt pſalmus. Quàm multa etiam in aliis pſalmis putatis eſſe: im mo & in aliis tam multis ſcripturę partibus, prophetarum maximè, quæ eadem tradunt vel perindè apertè, vel interdum, vt fit, aliquātò obſcurius? Non grauaret etiā ex aliis locis quędam adducere, niſi in temporis anguſtia verſarer. Suffecerit, quòd cognoſcim⁹ caput hoc fidei noſtræ de Chriſti reſurrectione etiam in veteri teſtamento & creditum & prænunciatum fuiſſe: neq; nos ſolos eſſe, quos illa felicitas in ſpem & lętitiam erexit. Quotquot vlla memoria vixerunt pij & ſan cti homines, nunquam oculos ab hoc ſcopo

Ioan. 8. auerterunt. Abraham, inquit Chriſtus, pa-
„ ter veſter exultauit vt videret diem meum:
„ & vidit, & gauiſus eſt.

Monet ordo, vt iam ad figuras aliquot explanādas tranſeamus: quibus tametſi obſcu rius, nō minus tamen verè & ſignificanter, id quod alij diſertè dixerunt, adumbratum

Gen. 4. fuit. Et primò quidē hiſtoria Caini & Abelis occurrit. Ille, quum aliud non poſſet, pietatē in fratre ſceleris loco ita eſt pſecutus, vt euo catum in agrum crudeliter trucidaret. Quid inde captabat (niſi quòd inuidum animum ſæuitia paſceret) nō video: illud ſanè eſt con ſecutus, vt quum ſemetipſum perpetua infa mia

mia traduxerit, fratri nomen, & non obſcuram laudẽ tam apud Deum q̃ apud pios omnes compararit. Et quantam hæc habent affinitatem cum Iudæorum facto & Chriſti morte? Illi æmulatione in Chriſtũ acti, etiã vitam ſibi duram arbitrabantur, niſi illam Chriſto eriperent: eripuerunt, ſed vtrorum maiori malo? ipſorum, an Chriſti? Ipſorum ſanè. Nã quia iſte ſemetipſum humiliauit, *Phil.2.*
„ factus obediens vſq; ad mortem, mortem autem crucis: Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: vt in nomine I E S V omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. &c. Habetis ſimilitudinem.

Porrò de Ioſeph legimus: poſtq̃ fratrum ſuorum odium ſibi magnum cõflaſſet, ex eo quòd ſomnio principatum ſibi in ipſos portẽdi diceret: vt hæc eius ſpes eluderetur, vix à parricidio manus impetumq; cohibuerũt. Sanè fame enecãdum crudeliter in ciſterna quadam expoſuerũt: quamuis poſtea ad ludibriũ Hiſmaelitis vendiderint. Verùm qua ipſi in re maximè incõmodare ſe ſunt arbitrati, profuerũt plurimũ: nam apud exteros principatum ille ita cõſtituit, vt non ab eius regionis hominib⁹ tantùm, verumetiam ab ipſis fratribus ſuis regali obſequio coleretur & adoraretur: intantum vt niſi ipſe conſilio prouidiſſet, omnes fame periclitaturi erant. *Gen.37*

Non

Non abſimilem euentum habuit Iudęorum in Chriſto conatus. Nihil ſibi cum illo com mune eſſe volebant, intantum vt dæmonio
Ioan.8 obſeſſum dicerent: Romanum potius monſtrum, contra legem & religionem in regem
Ioan.19 ſibi deligebant, quàm ſuę gentis (vt nihil aliud) hominem: immo quid inuidiæ ſuæ in illum nõ permiſerunt? At quo fine? Ille iam
Mat.28 in regem euectus potentiſſimè ac latiſſimè dominatur, accepit poteſtatem in cœlum & in terrã: adeò vt niſi illi ipſi imperium eius agnoſcere, collumq́ue ipſi inflectere maluerint, miſerabili fame ſint æternum perituri. Ad aliam tranſeamus.

Exo.7 Quum Moſes primùm de aſſerendis Iudæis apud Pharaonem quæ acceperat mandata à Deo, exponeret: vt prodigiis, fidem verbis arrogaret, virgam quam in manibus geſtabat, à ſe proiecit, quæ ſubitò in ſerpentem cõuerſa, ſerpentes illos qui eodem exemplo ex magorum virgis exierant, vorauit atq; conſumpſit. Quo ſignificatur Chriſtum illam mortem, quæ ſecundum naturam eſt (ſed tamen Diaboli fraude, non ſecus atque illam quæ ſpiritalis eſt, inuectam) ita in ſe recepiſſe, vt alteram illam, quam Diabolus illi non minus ſtudioſe obieciſſet, omnino frangeret, atque elideret. Alterum ex Moſe exemplum proferemus.

Num.21 Vt erant ad ſeditionem & idololatriam pro-

propenſiſſimi Iudęi, quodá tempore ita ſunt à Deo repreſſi, vt ignitos ſerpẽtes illis immitteret, qui ſubitò magnã vim hominũ infecerunt, & interemerũt. Cui malo quòd remedium nullũ humanũ inueniretur, Moſes ex Dei præſcripto æneum ſerpentẽ furcæ inhærentẽ erexit: ſpecie quidem illum ſerpentẽ, ſed ſine ſibilo, ſine veneno innoxium: quem qui adorarent, illis nihil erat à viuis illis & peſtilẽntibus periculi. Vel me tacente non ignoratis Chriſtum hoc ænei ſerpentis ſymbolo aptiſſimè deſtinari. Infecerat diabolus vniuerſum mortalium genus, & certiſſimã mortem paſſim in omnes infuderat: At occurrit Chriſtus: ſeq́ue paſſus eſt turpiſſimo ſupplicio crucis, infandi latronis exemplo, (in cuius tamẽ vita peccatũ nullum, nullus in ore dolus inuentus fuerat) multari: vnde innocentiæ merito conſecutus eſt, vt qui aciem mentis in illum vera fide cõuerterint, illis nihil noceat diabolicum venenum, nec pereant, ſed habeant vitam æternam. 1.Pet.2 Ioan.3.

Helizæo quodam tempore accliui vertice ad vrbem Bethel pergente, occurrerũt puerorum non modica turba: quibus quòd ob caluitium ridiculus videretur, eoq; nomine oſtentui illũ haberent, immiſſi duo vrſi non paucos ex ipſis continuò deuorarunt. Quod ſignat, Chriſtum à Iudæis quidem nõ ſolùm contumelia ſumma, verumetiã crudeli ſuppli- 4.Re.2

plicio affectum, ita demùm poſt reditum in vitam fuiſſe de iis vindicatum: vt duobus vrſis, Veſpaſiano nimirum & Tito, immiſſis, atrociſſimè laniarentur.

Eandem contumeliæ ignominiam ſuſti-
1.Re.18 nuit propheta & rex Dauid, nō ab allophylis tantùm, verumetiam à Iudæorum plæriſq; : qui præter ipſius meritum, grauiſſimas inimicitias cum eodem exercentes, nihil aliud ſtudebant, quàm vt eum furentis regis ſæuitiæ obiicerent, vel ſaltem à deſtinato regno excluderent. Sed in eo non multò amplius profecerunt, quàm in Chriſto. Quē tametſi
Luc.19. tantoperè exoſum haberent, vt dicerēt: Nolumus hunc regnare ſuper nos: queraturq;
Pſal.2. idem propheta in perſona Chriſti, quòd & reges ipſi & principes, populi conſpirationē aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius fouere non ceſſarent: tametſi, inquam, hæc illi conarentur, non tamen efficere potuerunt, quò minus poſtea de ſe idem Chriſtus diceret: Ego autem cōſtitutus ſum rex ab eo ſuper Syon montē ſanctum eius. &c̄.

Recipimus iam nos ad Samſonem: ſed qui ſe non vno tantùm typo ſpectandū prę-
Iud.14. buit. Ille leonem, in quē in itinere caſu inciderat, eliſis faucibus morti dedit. Idem vin
Iud.15. ctus à ſuis, vt eum hoſtibus dederent: quum ſub eorum conſpectum veniſſet, diruptis ſubitò funibus, arreptoq; maxillari oſſe aſini,

eo

eo hoſtium mille interfecit. Alio tempore à Gazenſibus oppido interceptus,& clauſis portis obſeruatus ne poſſet elabi: intempeſta nocte reditum parans,valuas ipſas,ita vt erant cum ſeris & obicibus in humeros extulit, & vſque in montem quendam aſportauit. Iam & illud quàm memorabile eſt: Philiſtæis in vnum collectis, vt ex Samſonis dolore atque irriſione oculos animumq; paſcerent,ille præcipua ædis fulcra complexus conuellenſque, maximum eorum numerum ſecum ruina oppreſſit: ita vt plures occideret moriens,quàm fecerat viuus. Quę omnia aptiſſimè conferuntur in Chriſtum: cuius incredibilis in reſurgendo potẽtia,his quaſi rerum prodigiis deſignatur. Ferociſſimum leonẽ,diabolum ita in præſens ſtrangulauit, vt exunguem tantùm & inermem relinqueret. Naturæ, & hoſtium vincula omnia diſcerpſit: ex quibus etiam ſpectatiſſimam victoriam,morte,peccato,& inferno debellatis,reportauit. *Iud.16.* *Ibidem*

Finem faciam,ſi vnum adhuc Ionam produxero. Hic tempeſtati expoſitus,& in mare proiectus, totum triduum in ventre ceti exegit. A quo demùm luci & terræ redditus,iniunctum legationis officium apud Niniuitas feliciter cum ipſorum ſalute obiuit. Quid hôc ad Chriſtum valeat,ipſe per ſe dignatus eſt explicare. Nam Iudæis ab eo ſignum *Ionæ.1.*

Mat.12. num quærentibus ita reſpondit: Generatio
» mala & adultera ſignum quærit: & ſignum
» non dabitur ei niſi ſignum Ionæ prophetæ.
» Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus
» diebus & tribus noctibus: ſic erit filius ho-
» minis in corde terræ tribus diebus & tribus
noctibus. Vt nec illud ſilentio prætermittã,
quod pòſt accidit, vt ad nominis ſui prædi-
cationẽ, quæ toto orbe facta eſt, omnes paſ-
ſim nationes ab impietate ad Deum cõuerſi
ſunt, hoc eſt à morte ad vitam.

Non ſpero vobis graue fuiſſe quòd iſtis tam diu ſum immoratus: quanq̃ tam multa nõ dixi, quin poſſem plura: ſed habenda eſt & patientiæ veſtræ, & temporis ratio. Neq; interim in vnum tempus omnia prudenter coniiciuntur. Sufficit (quod & antea dixi) eam quam tenemus fidem ſcire, & ante tot ſæcula Patrum votis vaticiniiſq; fuiſſe conſtitutam. Quod quum nobis eſt perſuaſum, minus dubitamus verũ & ſolidum eſſe gaudium, quo nunc ſumus à Chriſto delibuti. Mitto, quòd in malis noſtris certius fidentiuſq; ad illum recurrimus: quòd libentius illi canimus, Spes mea Chriſte Deus, Hominum tu dulcis amator. Plus parit nobis gaudij, quòd his temporib. reſeruati ſumus: ad gratitudinẽ magis accendimur, quòd tantorum bonorum capaces fuerimus: alacriores ſumus ad virtutem, tardiores ad malum,

in aduerſis duriores. Magis etiam accendimur, vt iam ibi eſſe cum illo volumus, vbi eſt in dextra Dei ſedens. Quod quum niſi Col.3.
conuerſatione ſanctis (Petri verbis vtar) ac- 1.Pet.1
cidere non poteſt, magis caſtificabimus ani »
mas noſtras in obedientia charitatis, & fra- »
ternitatis amore: ſcientes quòd non corru- »
ptibilibus auro vel argẽto redempti ſumus, »
ſed precioſo ſanguine quaſi agni immacu- »
lati Chriſti. &c̃. Hinc igitur epulemur, chariſſimi fratres, in omni exultatione & gaudio ſpiritali: nam mortui eramus peccato, & reuiximus Chriſto: aberraueramus à patria, ſed reuocati ſumus in viam rectam per verum paſtorem animarũ Ieſum Chriſtum: cui cum patre & ſancto ſpiritu eſt gloria in ſæcula æterna. Amen.

Feria ſecunda paſchæ, SERMO VNDECIMVS.

IAM antè dicere me memini, Chariſſimi fratres, me nihil æquè ſpectaſſe in præſenti parabolæ huius de filio prodigo explicatione, atque commoditatem illam & opportunitatẽ, quam cum eccleſiaſticis horum temporum inſtitutis permagnam habebat: quum nedum ad Quadrageſimæ & pœnitentiæ, verumetiam cõmunionis, paſſionis, immo & Dominicæ reſurrectionis

eluci

elucidationem plurimum nobis conferret. Quod certè ſi minus ipſa rerum tractatione experti eſtis, vel in me vitium fuiſſe credite, vel tempori, quod nobis prō tanta materia parciſſimum fuit, ſi placet, aſſcribite. Enimuerò nihil puto eſſe, quod nos ſcire, quóve fidem noſtram muniri vtile eſſet, de quo ſi non multa, ſaltem non nihil diximus. Audiſtis primò de humani cordis inſtabilitate & pronitate ad malum: de miſeria extrema, in quam homo peccando incidit: & de diaboli inſolentia & tyrannide, quam in ſuos exercet. Secūdo loco audiſtis, quod, & vnde ſit pœnitētię exordium, qui progreſſus, quis finis, & quàm infinita vtilitas. Tertiò diximus de incredibili illa Dei erga nos pietate & indulgētia, qua reſipiſcenti peccatori omnibus modis ſeſe inſinuat: currit obuiam, amplectitur, oſculatur, & omnibus priſtini honoris inſignibus exornat. Vltimo loco & hoc audiſtis, qua pietate, vt filij reditum in gratiam illuſtret, vitulum illum ſaginatum occidi, mactari, & apponi iubet: vt ſi de proprio nihil quo menſam inſtruamus habemus, ſaltem de alieno liceret. His quidem audiendis totam Quadrageſimam feliciter auſpicatóque, vt ſpero, decucurrimus: & ad Paſchalia gaudia quaſi ianuam aperuimus. Nam hoc agno mactato, appoſitóq́;, ſedatus eſt animus, mens voluptate perfruitur: nec

reſtat aliud, quàm vt gratiſſima teſtificatione dicamus: Bene omnia fecit: mortui eramus & reuiximus, perieramus & inuenti ſumus. De quo nõ poſſum quin clariſſimum illum D. Pauli locum in medium adducam. *Ephe.2.*
Deus (inquit) qui diues eſt in miſericordia, » propter nimiam charitatẽ ſuam qua dilexit » nos, quum eſſemus mortui peccatis, conui- » uificauit nos Chriſto, conreſuſcitauit, & con » ſedere fecit in cœleſtibus. &c. Et alio loco, *1.Cor.15.*
Quoniam quidem per hominẽ mors, & per » hominem reſurrectio mortuorum: & ſicut » in Adam omnes moriuntur, ita & in Chri- » ſto omnes viuificabuntur. &c. Nihil igitur iam amplius reſtat, chariſſimi, poſteaquam cum filio prodigo paternis laribus, priſtinæ dignitati, gratiæ patris, amori, curæ, familiaritati, menſæ denique reſtituti ſumus: habemus ſolatium, gaudium, pacem, & omnis boni copiam in Chriſto: ita vt non incongruum fuiſſet hoc loco tractationi noſtræ finem imponere, ſi non ad finem quædam Chriſtus adiecíſſet, quę, quòd ipſe digna iudicauit vt à nobis cognoſcerentur, minimè mihi committendum putaui, vt ſilentio tranſmitterem.

Fallere vos non poteſt Chriſtum in introitu parabolæ duorum fratrũ meminiſſe: de quorũ altero, hoc eſt, iuniore, quum tantùm hactenus locuti ſumus, cogitatio ali-

qua ſubire vos poteſt etiam de maiore, quid ille interim egerit, cognoſcendi. Huic rei & hunc præſentem & craſtinum diem daturi ſumus, & ita Quadrageſimali noſtro ſupremam manum imponemus. Ea autem quæ textus Euangelicus habet, hæc ſunt:

Luc. 15. *ERat autem filius eius ſenior in agro, & quum veniret & appropinquaret domui, audiuit ſymphoniam & chorũ: & vocauit vnum de ſeruis, & interrogauit quid hæc eſſent. Iſque dixit illi: Frater tuus vênit: & occîdit pater tuus vitulum ſaginatum, quia ſaluum illum recepit. Indignatus eſt autem, & nolebat introire. Pater ergo illius egreſſus, cœpit rogare illum. At ille reſpondens, dixit patri ſuo: Ecce tot annis ſeruio tibi, & nunquam mandatum tuum præteriui: & nunquam dediſti mihi hœdum, vt cum amicis meis epularer. Sed poſtquam filius tuus hic, qui deuorauit ſubſtantiam ſuam cum meretricibus vênit, occidiſti illi vitulum ſaginatum. At ipſe dixit illi: Fili, tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt. epulari autem & gaudere oportebat: quia frater tuus hic, mortuus erat & reuixit, perierat & inuentus eſt.*

Hic

HIC eſt huius parabolę finis: ex quo illud inprimis animaduertere licet, Deum à nobis nunq̃ eſſe quietũ: nec illi minus propemodùm à iuſto curæ eſſe, vt in bonorum curſu nuſquam flacceſcat, nec interim ab opinione virtutis inflectur arrogantia: quàm à peccatore, vt illum ab amore ſordidarum voluptatum ad ſui cognitionem abducere, & ad pœnitentiam agendã inflectere poſſit. Hactenus pater de iunioris filij errore & temeritate diuturno luctu & acerbiſſimo dolore conflictatus fuerat: nunc quum eo recepto (quem obſequentem ſibi fore priora pericula vtiq; promitterent) ad quieté dare ſe proponeret: ecce nouus à maiori natu filio tumultus: qui offenſus patri, quòd decoctori illi tam citò gratiæ locum aperuiſſet, reſtituiſſet priſtina inſignia, & cum iis hæreditatis ſpem: maiori ſanè voluntatis ſignificatione, quàm ipſe vnquá, talis filius, tam morigeratus, in eo depræhendiſſet: apertam ſimultatem exercet, nec intrat domum. Et quidem non poterat patri huius culpa non grauis videri, vel quòd ab ætate nullum errori patrociniũ obtendere poſſet: vel quòd iam tam diu patri aſſueuerat, vt meritò iuxta quod ille ſentire debuiſſet, nec velle inuidere fratri, quòd è tantis miſeriis in patris gratiam feliciter eſſet aſſumptus: aut ipſe ſeceſſionem meditari. Sed nimium illi longa

morigeratio ſupercilium addiderat. Pater interim ambigua cura diſtractus, neutrius ſaluti æquũ putauit deeſſe. Receperat illum diu emanſorẽ: ne eandem calamitatẽ etiam in hoc experiatur, mauult indulgentiæ ſuæ quàm authoritatis rationem habere. Non fuiſſet nouum exemplum, etiam ſi vtrunq; (ita vt meriti erant, ob peruicaciam iſtum, illum ob profuſionem) abdicaſſet, domoq́; prohibuiſſet: ſed hoc paterna pietas illi neutiquam permittebat, qui non poterat non eſſe pater.

Ad hunc modum de nobis dixerim, chariſſimi: nihilq́ue hîc auditis, quod non habeat in vita noſtra locum. Quod niſi Chriſtus præſciſſet, ſuperuacaneũ fuiſſet illi narrandæ tempus inſumere. Et quis iam olim non commeruit, vt à patre exhæredaretur, domoq́;, & paternis bonis abſtineret? Quare
Pſ.102. non eſt factum? Pater eſt. Quomodo miſe-
„ retur pater filiorum, miſertus eſt Dominus
„ timentib. ſe, quoniam ipſe cognouit figmen
„ tum noſtrum. &, Quantum diſtat ortus ab
„ occidente, longè fecit à nobis iniquitates no
ſtras. Verba ſunt Pſalmographi Dauidis. In
Eze.34 Ezechiele quoq; profitetur Dominus, ſe nõ aliter curam noſtri acturum, vt quod vnicuiq; deſit, ſupplere: quod ſuperfluum eſt, caſtigare poſſit: quàm ſolet paſtor viſitare gregẽ ſuum, in die quando fuerit in medio

ouium

ouium ſuarum diſſipatarum. Quod perierat »
(inquit) requirã, & quod abiectum erat re- »
ducam, & quod cõfractum fuerat alligabo, »
& quod infirmũ fuerat cõſolidabo, & quod »
pingue & forte cuſtodiam, & paſcam illas »
in iudicio. Talem planè patrem & paſtorẽ
habemus, qui non lætatur in perditione vi- »
uorum, ait Sapiens: ſed vult, teſte Paulo, o- *Sap.1.*
mnes homines ſaluos fieri. Vnde & per pro- *1.Tim.2.*
phetam ad peccatorẽ ita quaſi expoſtulans *Eze.18*
loquitur: Et quare moriemini dom⁹ Iſrael? »
Quia nolo mortem morientis, dicit Domi-
nus. Reuertimini, & viuite. Quis quum hæc
perpendit, non ad redamandam tantam bo
nitatem accendatur? non puritate vitæ gra
tiam refundat? non dicat cum Pſalmogra- *Pſ.102.*
pho? Benedic anima mea Domino, qui pro- »
pitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui ſa »
nat omnes infirmitates tuas: qui redimit de »
interitu vitam tuam: qui coronat te in mi- »
ſericordia & miſerationibus. & cætera quæ »
ibi ſequuntur.

Sed iam videamus, quid maior ille filius
ſuæ pertinaciæ prætenderit: qua patris pie-
tate & illi ſit conſultũ. At quod præmiſſum
oportuit: ſciendum eſt, duobus his fratrib⁹
(pro allegoriæ quidem ratione) vtrunq; po
pulum intelligi, Iudaicũ & gentilium. Qui
natura fratres ſunt, creatione verò Dei filij: *Rom.10*
nõ enim eſt diſtinctio Iudæi & Græci. Nam

„ idem Dominus omnium, diues in omnes q
„ inuocant illum. Per maiorem natu intelli-
guntur Iudæi, qui legis cognitione, & vero
Rom.9. Dei cultu gentiles longè anteceſſerũt: quo-
„ rum adoptio eſt filiorum, & gloria, & teſta
„ mentum, & lagiſlatio, & obſequium, & pro-
„ miſſa. &c. Minor verò filius deſignat gen-
tiles, quos metus nullus, nulla diſciplina,
nulla paulò verior religio continebat, quin
in turpem fœdumq; idolorum cultum, quic
quid bonorum nomine poſſidebant, prodi-
Rom.1. gioſè conſumerẽt: ita vt eos D. Paulus non-
nunquam brutis non abſimiles faciat. Sed
„ quid? Vnus Deus & pater omnium, ait idem
Eph.4. Apoſtolus: qui quemadmodum vtrunq; po
Ioan.11. pulum ſaluum percuperet, ita & Chriſtus
non vnis tantùm Iudæis mortuus erat, ſed
vt filios Dei qui erant diſperſi congregaret
Ioan.10 in vnum. Quod & antea ita teſtatum fece-
„ rat: Et alias oues habeo quæ nõ ſunt ex hoc
„ ouili, & illas oportet me adducere: & vocẽ
„ meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus
paſtor. Et tale quidem erat Dei decretum,
ſed id maior filius æquanimiter non tulit.
Nam ſimulatque intelligit eum ex prioris
vitæ ſordibus emerſiſſe in lucem & parẽ ſe-
cum dignitatẽ, ringitur, ac deſtomachatur.
Luc.15. Ita faciebant Phariſæi, quum publicanos, &
infimam quanque hominum fæcem, à Chri
ſto in contubernium admitti conſpicerent.
Facie-

Faciebant & illi, qui poſt aſſumptum Chriſtum indignè ferebant, gentilibus & fidei & ſpiritus ſancti communionem impartiri. Quid multa? Maluerũt ſeceſſionem facere: atque ab eo inde tempore abalienarunt ſe à paternis ædibus, & adhuc hodie foris degũt: nec quanuis ſtrepitum intus choreas ducentium ac conuiuantiũ audiant, induci queunt vt intrò ſe recipiant: vſqueadeò indignãtur, quòd iunior ille, proluuium, & vitæ probrũ, tam facilè in gratiã admiſſus, ab ipſis neq; dignitatis gloria, neq; paterna gratia diſtaret. Act.10. & .11.

An non hoc palàm tibi loqui videtur parabola illa, quæ eſt de conductis in vineam? Iudæi ſanè totum diem in opere exegerant: Gentiliũ alij poſt aliquot horas, alij iam ſub ipſum crepuſculum primùm acceſſerant: vnde inſolentiores, credebãt Deum, aut vltra condictum ipſis numeraturum, aut ſaltẽ pro laboris imparitate tardioribus illis detracturum condicto. Quod quum æquiſſimum arbitrarentur, nec ille faceret tamẽ, diuinæ miſericordiæ calumniam intenderũt, q̃ nulla habita æquitatis ratione pari mercede cunctatores illos ꝓſequeretur. Videte, quid poſſit ſtulta de propria virtute perſuaſio: quàm ſit res periculi plena, ſuam virtutem cũ alienis defectibus cõmittere. Enimuerò nihil aliud hactenus Iudæos ab Euangelio ſubmouit, quàm quòd opinione vir- Mat.20

tutis elati, Gentiles in pari ſecum honore conſpicere nō ſuſtinent. Et ſanè ſi habenda eſſet laboris tantùm & moleſtiæ ratio, haberent Iudæi quod iuſtè quererētur. Illis enim ocio, libidine, luxu, & idololatriæ ſtudio torpentibus, & ſpurciſſimo vitę genere ſubſtantiam paternam fœdè prodigētibus: ipſi iam collum duriſſimę legi ſubmiſerant, circumciſionem ſuſceperant, æſtuabant aut potius frigebant in vinea, & certè omnibus modis laborioſam vitam & operoſam illám iuſtitiam ſectabantur. Quo elegāter alluſum eſt à Chriſto, quum dicit: *Erat autem filius eius ſenior in agro.* Quod quò referendum ſit, intelligitis: non enim ad vitium illi refertur, quòd patri morem gerens in agrum exierat, nempe quē excolendum ſuſcepiſſet: quod tantùm abeſt, vt maximam indè laudem & vtilitatē conſecutus fuiſſet, ſi culturā illam diuinæ voluntati potiorem non habuiſſet. Sed ad meritum & laborē ſuum ille retulit omnia: quemadmodum quum pòſt cum patre expoſtulans diceret: Ecce tot annis ſeruio tibi. &c̄. Ex quibus verbis euidens eſt, eum à merito ſuo largiora præmia, quàm à patris æquitate & gratia exſpectaſſe. Ita & hodie Iudæi faciunt, qui circumciſionis & legis fiducia, quum illas præſtent (quod tamen nec faciunt) Deum quaſi medium tenere ſe putant: nobiſque eo nomine inſultant,

tant, quòd nec merita, nec præcepta vlla q̃ oſtentemus habemus: ignari præſidium noſtrum omne in ipſius miſericordia eſſe collocatum. Nec interim ſupercilium illud liuore caret, quòd neque nos ſuarum partium eſſe vellent, neque ipſi accedere ad noſtras: tanquam ex cóiunctione partium, præmiorumq́ue diuiſione, minus ipſis eſſet futurũ: quaſi ærariũ patris largitione exhauriri poſſet, aut ea illis non deberent placere, quæ pater probaret.

Hoc eſt quod ait: *Et quum veniret, & appropinquaret domui, audiuit ſymphoniam & chorum.* Quam ſymphoniam, quem chorũ dicit, niſi Euangelij buccinum? Quem ſtrepitum ſaltantium & canentium? niſi voces & iubila perſonãtium paſſim Deo laudes & gratiarum actiones, quòd nullo noſtro merito, immo præter meritum, vitam & ſalutem accepimus per Chriſtum? Has paſſim oculis & auribus excipiunt Iudæi: & ne nõ excipere poſſent, incertis ſedibus per orbem iactantur: coguntur q; alienam felicitatem vel cũ ſumma ſua moleſtia videre, vel certè peruicaciæ finẽ imponentes eam & ipſi curare percipere. Alioqui non poteſt non verum eſſe, quod per Moſen illis Deus prædixerat: Prouocabo eos in eo qui non eſt populus, & in gente ſtulta irritabo illos. Ille itaq́ue tametſi adhuc incertus quæ eſſet tan- Deut. 32.

torum

torum gaudiorum cauſa,ſubſiſtit,nec vt fieret tantę lætitię particeps,corripit ſe ſtatim intrò: ſed tanquam ſi indignum eſſet domi aliqua hilaritate animũ redintegrare,quum ipſe in agro operi grauiſſimo ſolus vacaret, ſatius ducit,ſeque dignius,ſub dio manere, quàm ſeſe lætantibus coniungere. Quid hac peruicacia intolerabilius? Quæ niſi eſſet illi populo propemodùm gentilis,non fuiſſent in ea opinione etiam illi qui ex fide erant, Apoſtolorum temporibus, vt ethnicos ad fidei communionem minimè admittendos
Act.10. putarent. Ita vſuuenit Petro, quum Cæſareæ obiurgaretur à Iudæis, quòd verbum ſalutis etiam ethnicis proſtituere voluiſſet. Quos nõ facilè repreſſiſſet,niſi ita ſibi oſtenſto à Deo præceptũ fuiſſe docuiſſet:fuiſſetq; mox ſpiritus ſancti donum ſubſequutum.
Act.11. Vnde in maximam admirationem coniecti
„ Ergo & Gentibus (inquiunt) pœnitentiam
„ dedit Deus ad vitam.

Quid ſequitur? *Et vocauit vnum de ſeruis, & interrogauit quid hæc eſſent.* Quod non autumo alia ratione tam ſignanter expreſſum eſſe,quàm vt inde perſpicuum eſſet,Iudæos non ignorantia aliqua,aut iudicij imbecillitate,ſed maleuolentia ſola in hac pertinacia perſiſtere. Nam quum Gentium vocatio tot ſcripturarũ apertis locis, tot prophetarum oraculis prænũciata & inculcata

ſic

ſit: quomodo credibile eſt,ignorare hæc illos poſſe, ſi non eſſent ſua inuidentia cæci?
Iam ferè intelligitis,quis erat ille,à quo tantæ lætitiæ cauſam ſciſcitabatur. Apud patrẽ duo ſerui ſunt, qui vt Dei mentem optimè tenent, ita ſi ipſos conſuluerimus, celatum nos nihil habebunt: ij ſunt,vetus teſtamentum,& nouum. Iudæi verò alterum dumtaxat conſuluiſſe contenti ſunt: qui tamen & ipſe ſcrupulum illis omnem dubitationẽq; eximere poteſt. Nihil enim de Gentilium conuerſione, adoptione, ſucceſſione in fidem,perpetuaq́ue propagatione,à Deo decretum confirmatumq́ue fuit,quod veteris teſtamenti (ſeruus eſt,quem illi obſeruant) oculis atq; auribus non crebro commiſerit. Vt cætera omittam:quid clarius eo,quod in ipſa ſtatim gentis infantia,dẽ allegendis ethnicis Abrahamo eſt dictũ? Benedicã tibi &c. *Gen.12*
atq; in te benedicẽtur vniuerſæ cognationes „
terrę. Quod poſtea Deus ita repetit:Per me- *Gen.22*
metipſum iuraui,dicit Domin⁹: quia feciſti „
hãc rem,& nõ pepercisti filio tuo vnigenito „
propter me,benedicã tibi &c. & benedicen- „
tur in ſemine tuo oẽs gentes terræ. An non „
nihil intelligere volunt,quibus hęc obſcura ſunt? Quid habent quod querantur? Etiamſi Abrahamũ ipſum fide in Deum & obedientia antecellerent,deberéntne ea ſtipulatione contenti eſſe,quæ illi eſt facta? Maximè. Et

quæ

quæ illa? Accepturum illum ſemen, in quo omnes gentes, quæcunq; tandem illę, forent benedicendę. Et quod illud ſemen, niſi Chri-
Gal.3. ſtus, vt Paul⁹ apertè teſtatur? Et benedictio,
Eph.1. quæ? Eiuſdē verbis reſpondebo: Redemptio per ſanguinē eius in remiſſionē peccatorū. Quid porrò illi iuſtę cauſę habēt, vt hac nos velint excluſos? An nō diſertis verbis ſemel atq; iterū, iuramento accedente, Deus id fu-
Mat.20 turū promiſit? Proindè veriſſimè Deus: An oculus tuus nequā eſt, quia ego bonus ſum?

Audiuimus iam qua ille inuidia in fratrē laboret: q̄ excæcati in nos odio Iudæi ferantur, vt malint paterna gratia & gloria carere, quàm vt meliori præ nobis conditione non eſſent. In ſumma inuident nobis noſtrā felicitatem. Quid nos iam facere ęquū eſt? retaliabimus inuidiam inuidia, aut potius inuidentiā eludemus voluptate, quam ex ipſorū malis capimus? Deſeremus & nos patrē, quia eius vſum nobis inuident? Nihil horum: ſed fratrum cæcitatē qua poſſumus pietate, cōmiſeratione, & conſilio proſequemur: idq́ue
Rom.9. D. Pauli exemplo, qui ſe libēs pro fratribus, ſi prodeſſe poſſet, deuoueat. Non id nos mouere debet, quocunq; demum illi affectu in nos fuerint: nos patrē referre ſtudebimus potius, quàm hos degeneres fratres: neq; ob gratiam inſoleſcere. Paulum audite, ſpiritū noſtrum ita comprimentē: Quòd ſi aliqui ex

ramis fracti ſunt: tu aũt quum oleaſter eſſes, Rom.11.
inſertus es in illis, & ſocius radicis & pingue- „
dinis oliuæ factus es: noli gloriari aduerſus „
ramos. Quòd ſi gloriaris: nõ tu radicẽ portas, „
ſed radix te. Dicis ergo: fracti ſunt rami, vt „
ego inſerar. Bene. Propter incredulitatẽ fra- „
cti ſunt: tu autẽ fide ſtas, noli altum ſapere, „
ſed time. Si enim Deus naturalib. ramis non „
pepercit: ne fortè nec tibi parcat. Vide ergo „
bonitatem & ſeueritatẽ Dei: in eos quidem „
qui ceciderunt, ſeueritatẽ: in te autem, boni- „
tatem Dei, ſi permãſeris in bonitate: alioqui „
& tu excidêris. Ita Paulus: ex quib[9] clam eſſe „
nobis non poteſt, quo animo, quaq́; circum-
ſpectione erga caſum illorum eſſe debemus.
Præcipuè nõ ſinemus eò dementiæ nos pertrahi, vt ob illorum contumaciam Dei benignitatem vel deſeramus penitus, vel parcius æſtimemus. Offerimus quidem ipſis, & patimur viuum infantẽ Chriſtum penes vtroſq; 3.Re.3.
ex æquo eſſe: ſed vt diuidatur, eaq́; malignitate vtriſq; pereat, minimè. Quòd ſi nolint: nobiſq́; rex viuum potius totum adiudicat: eſt quod gaudeamus, Deoq́; grati ſimus, qui poſt longas vitę ſordes, poſt amiſſam vulgari libidine fœcunditatẽ, in domo meretricis tamen filium & hæredem eſſe voluerit: neque eius calumnia, quę filium ſuum negligenter oppreſſit, nos orbos reliquerit.

Iam non parum ponderis ad eos complectẽ-

ctendos apud nos habere debet, quòd eos nõ planè abiectos eſſe à Deo, ex variis ſcripturę locis exploratum habemus? Ita quidem D.
Rom.11 Paulus eodẽ quo illa ſuperiora capite. Nolo
» vos ignorare fratres myſterium hoc, vt non
» ſitis vobiſipſis ſapientes: q̃a cæcitas ex parte
» contigit in Iſrael, donec plenitudo gentium
» intraret: & ſic omnis Iſrael ſaluus fieret, ſi-
» cut ſcriptum eſt: Veniet ex Sion, qui eripiat
» & auertat impietatem à Iacob. Et hoc illis à
Eſa.59. me teſtamentũ, quum abſtulero peccata eorum. Quod quũ factũ fuerit (ſicut aliquãdo futurum eſt: nam adhuc patet illi aditus, patent fores: & quidẽ pater ſuo tempore proditurus eſt, vt eum quauis ratione inducat cõmunem cum fratre lætitiã peragere) tunc demum pater animo curam de filiorũ ſalute remittet: tunc plenæ erũt nuptiæ diſcum
Mat. 22 bentium: tunc vnum erit ouile, & vnus pa-
Ioan.10 ſtor: tunc pater ab vtroq; filio vnanimi con ſenſu obedientiam oẽm, & meritam laudem
Rom.15. accipiet. Interea Pauli cõſilium ſequemur, qui nos monet ſuper miſericordia honorare Deum. Et hic allegoricæ expoſitionis ſit finis: nam quò minus & cætera fuſius expliceinus, tempus non permittit. Gratia Dei cum omnibus nobis. Amen.

Feria tertia in paſchalibus
SERMO DVODECIMVS.

Dixi-

Diximus heri quid in cauſa ſit, quò min⁹ frater noſter maior, populus nimirũ Iudaic⁹, intrò ſe recipit, ſed foris ſtat: neq; ad eam æquitatẽ perduci poteſt, vt Eccleſię & paternę domus communionẽ participare nobiſcum velit: ſed malit fame miſerè cõtabeſcere, q̃ vt illius ſaginati vituli lautiſſimis ferculis ſe nobiſcũ exſaturet: potiusq́; ducat, ægrũ ſpiritũ in ſummo mœrore vix trahere, q̃ vt paſchalis gaudij cauſam nobiſcũ exploret, & agnoſcat. Tantæ peruicaciæ cauſam in cognatã ipſorum ſuperbiã, qua ſe omnibus aliis nationib. pręſtare credunt, potiſſimũ contulimus. Ad quã accedit etiã æmulatio illa, qua in noſtrã felicitatem miſerè laborant. Nam quòd ſe tam diu ſub onere Moſaicę legis grauiſſimos labores pertuliſſe meminerunt, cõcoquere nõ poſſunt nos ex infami & perpetuò torpore ad paria honorum præmia ſubitò emergere. Infelix ſemper ſibi ſuo morbo inuidia. Erat quod iuſtè quererentur, ſi paternã gratiam omnẽ nobis auerteremus, ſi aditus omnes præoccuparemus: quod tam procul abeſt vt velimus, vt libenter illis primogenia concedamus, deferamus fidei, & cognitionis Dei, & ſacræ diſciplinæ primatũ: tanq̃ ex quorum ſanguine non modò natus ſit Chriſtus: ſed quos ipſe intantum honoris pręrogatiua eſt *Rom.9.*

pro-

proſequutus, vt apertè non dubitarit profi-
Mat. 15 teri, ſe non eſſe miſſum niſi ad oues quæ pe
rierunt domus Iſrael. Hæc quidem, & alios
titulos non minus ſpecioſos paratiſſimi ſu-
mus in illos profundere: tantùm vt pro fra
tribus nos habeant, neq; ob participatã no-
bis Dei miſericordiam in rabiem agantur.
Iam pluſquã mille quingenti anni effluxe-
runt, quòd non ceſſat illos Deus quauis hu
manitate ad ingreſſum pellicere, vt cõmu-
nes ædes, cõmunem menſam, cõmunem pa
trem nobiſcum ſibi ducerẽt: ſed hactenus ni
hil proficit, vrgẽte illos nimirũ Dei iuſto iu
dicio, quod tali imprecatione Dauid eſt cõ-
Pſal. 68 plexus. Obſcurẽtur oculi eorũ ne videant, &
" dorſum eorũ ſemp incurua: fiat menſa eorũ
" coram ipſis in laqueũ, in retributiones, & in
" ſcandalũ &c. At procul à nobis eſſe debet,
vt de hac fratrũ miſeria nobis placere, Deo
derogare, illis inſultare velimus: quicquid
ſunt, fratres ſunt: & vt nõ eſſent, ab iis mu-
tuati ſumus quicquid antea in ipſorũ gente
erat glorioſum. Si liuore erga nos feruntur,
dicamus cum Chriſto: Pater dimitte illis,
Luc. 23. non enim ſciunt quid faciunt. Certè nullis
magis incommodant, quàm ſibiipſis. Quis
enim ad gratificandum eis è Dei familia ſe
proriperet? Ita nec Deus conſilium ſuum,
quod de reliquiis noſtris ſaluandis ſemel in
ſtituit, in eorum gratiam, neq; interſcindet,
mul-

multò minus reuocabit. Caput hoc eſt, vt miſeræ illorum fami, qua vt canes pręcipuè ringuntur, indoleamus: exſpectemusq́;, quoad ſub mundi veſperam & ipſi conuertantur. Ita enim Dauidicũ illud vaticinium ſonat: *Pſal.58*
» Conuertentur ad veſperam, & famem patientur vt canes. Sed allegoriam iam tandem miſſam faciemus.

Supereſt vt hæc tandem ad Chriſtianorũ mores accommodemus: Non enim ſoli Iudæi ſunt, qui diuinã miſericordiam circunſcriptiorem mallent, nec poſſunt ſuis locis non calumniis impetere. Omnis ætas ſuos hypocritas & antiſilenos habuit, qui quum ipſi non præſtant quod venditant, in aliis tamen vitam licentiorem rigidiſſimè inſectantur. Tales erant apud Iudæos Phariſæi, qui ne ſuæ gentis quidem hominib⁹, eo nomine quòd pro infamibus haberentur, vlla affectione compaterentur: Quod ex Euangeliis notius eſt, quàm vt exempla huc cógerenda exiſtimem. Nec ſi Chriſti mentem collatis locis preſſius inſpexerimus, inueniemus hãc parabolam ad alios, quàm ad huius ſæuitiæ homines magis pertinere, qui nulla in proximos cõmiſeratione tanguntur. Vtinam non ſint & in nobis Phariſæi, qui vt ſuis meritis diuinam indulgentiã facilè aſſcribunt coercentq́;: ita indignantur, ſi aliquẽ minoribus paria vel etiam ampliora præmia conſequi

conſpexerint. Sed quid de Phariſaica fæce dico? Optarim, vt nō eſſent etiam inter eos, quos non fucata pietas commendat, quibus humana prudētia ita interdum imponit, vt Deum iuſtò faciliorem eſſe, nec pietati adhibere moderationem cenſeant: non enim æquum videri, vt quem perpetuus vitæ rigor in arcto continuerit, pręmiis ab illis ſuperetur, qui multorum annorum vomicas paruo temporis articulo honeſtè obducūt. Huiuſcemodi cogitatio non rarò etiā optimis quibuſq; ſubrepit. Vt nō ſit, quur hanc parabolam ad ſolos Iudęos, tanquā ad nos non pertineret, relegemus. Sanè eos tangit, quos angit. Vult itaq; Chriſtus vt ex ea intelligam⁹, Deum non paulò illibentius ferre quòd maior filius ob ſtudium & diligentiam tam inſolenter ſe effert: q̃ non libenter iuniorem illum, temeritate magis q̃ iudicio lapſum, & iam ad patris miſericordiam confugientem tam gratia ſua q̃ ædibus excluderet. Hoc eſt (vt planius dicam) nō minus cepiſſe Deum ex huius arrogantia tędij, quàm ex illius reſipiſcentia gaudij. Nam perinde atq; pœnitentia, quicquid in peccatore ſordidum eſt, aufert: ita ſuperbia vel præclaras virtutes penitus eneruat deformatque. Proindè monet nos parabola, primùm vt de peccatis miſericordiæ diuinæ nō diffidamus: deindè ne ob iuſtitiā criſtas erigamus. Et vtrunq;, quum

ad cognoſcendum, tum ad perficiendum, iuxta neceſſarium. Pertinet ad eccleſiaſtæ officium, non ſolùm peccatorẽ cohibere ne deſperet, verumetiam iuſtum ne inſoleſcat; ita contrà nõ ſufficit, hunc ſolùm admonitum habere quid ſequatur, agendo, niſi & illum, ſperando. Chriſtus vtrunque ſimul miſcuit: iuniorẽ filium dedit peccatori ad ſpem, grãdiorem iuſtò ad modeſtiã: huic frenum adduxit, illi remiſit. Noxia peccatori deſperatio, iuſto cõfidentia: Si hanc iſte audierit, fit ex iuſto iniuſtus: ſi ille deſperationem non audierit, ex peccatore fit iuſtus. Quare ſi rectè conſultum nobis volumus, trahamus in exemplũ, quę hac parabola nobis explicantur. Si ab animo nunquam remittimus, qua indulgentia pater erga iuniorem filium eſt vſus, nunquã ſenſus noſtros deſperatio occupabit. Quòd ſi nec eorum verborum nos capit obliuio, quibus pater maiorem filium à peruicacia reuocauit, nõ facilè ab arrogantia intumeſces: etiamſi verè poſſes patri dicere, Ecce tot annis ſeruio tibi, & nunquam mandatũ tuum præteriui. Sed quotuſquiſq; noſtrum id poſſet? Si diximus, quoniam *1. Ioan. 1*
non peccauimus, mendacẽ facimus Deum, »
& verbũ eius non eſt in nobis: ait Ioannes. »
Sed iam minorẽ filium, cuius occaſione de Dei erga peccatorem voluntate ampliſſimè diximus, valère iubebimus: quid grandioris

exemplo vitare debemus, certum nunc eſt compendio abſoluere.

Primò ad non dubiam eius laudem pertinet, quòd fratre illecebroſa ſectante, ipſe apud patrem in officio & labore permanſerit. Nihil enim æquè decet bene morigeratum filium, quàm à patris imperio nuſquã
Ioan.4. decedere. Quod & Chriſtus ipſe ſua ſenten-
„ tia exemploq; confirmauit. Meus cibus eſt
„ (inquit) vt faciam voluntatē eius qui miſit
Ioan.14 me. Et iterum: Sicut mandatum dedit mihi
„ pater, ſic facio. Non potuit igitur ille non rectè facere, quòd agrum paternum ſuo labore, vt iuſſus erat, non ceſſaret excolere. Quod eò ſanè ſignantius dictum volo, quòd hodie inueniantur nonnulli, qui ex hoc & ſimilibus locis aſtruere audeant, Deum labore noſtro, operibúsve nō capi. Nam quod in Matthæo legūt, vineæ operariis omnibus æquam mercedem conſtitutam eſſe, ſiue totum diem in opere exegiſſent, ſiue horas tan tùm aliquot, ſiue tempus ſolutionis nō longè præuertiſſent: iterū quum audiunt iſtum bonorum ſuorum abliguritorem multò hu manius à patre tractatum fuiſſe, quàm illum qui ſibi perpetuò crux fuiſſet: ita apud ſe loquuntur: Et quorſum mihi opus eſt, ſeueritate & pœnitentia id mihi velle cōparare: idque fruſtra, vel ſaltem tenuiter: quod paucorum momentorum confeſſio, quod fidei

re-

reſumptio,quod paterni nominis implora-
tio continuò mihi dabit? Laborent, æſtu-
entque degeneres animi: mihi cũ filio pro-
digo certum eſt fide irrumpere. Ita illi: ſed
viderint. Nam quod ad vineæ parabolam at
tinet: non id voluit dicere ſuperuacaneum
eſſe laborem noſtrum (nam alioqui quur o-
perarios conduceret?) ſed illi non eſſe fiden
dum. Ita non voluit Acolaſti illius exemplo
probitatem noſtram diſſoluere: ſed impie-
tatem potius: vt quem ſequuti eſſemus pec
cando, ſequeremur & pœnitendo. Nec vitio
ſeniori filio datur quòd opus fecerit: verùm
quòd aſperior inde factus fratrem miſerri-
mũ duxerit miſericordia indignũ. Non eſt
difficilè ſcripturam ſenſibus noſtris accom-
modare: ſed quàm rectè videndum eſt. Nuſ-
quam inuenias quòd peccandi licétiam no-
bis permittat: quamuis inuenias quòd pec-
catoribus, modò reſipiſcant, veniam pro-
mittat. Ita nuſquam eos repræhendit, qui
piis operibus inſudant: ſed illos, qui inde
authoritatem & gratiam ſibi arrogant, iiſq;
nominibus orbi ſe venditant: quemadmo-
dum ſuis ieiuniis, precationibus, & eleemo-
ſynis ſolent Phariſæi. Et hoc primum eſt, *Matt.6*
quod maioris filij exemplo ſtudioſe vitare
debemus: nempè, ne benefacta nos inflent.

Secundum eſt, ne peccatoré contemnen-
dum ſibique relinquendum putemus: quan

 do

do Deum ipſum, ad quē redit omnis ex pec
cato iniuria, filium ſuum decoctorem tam
benignè recepiſſe cōſpicimus. Ille neutrobi
modum ſibi ſtatuit: in vtroque immodicus
eſt, & in ſua iuſtitia examplificanda, & in
exaggerando peccato fratris. Quàm illud ar
roganter: Ecce tot annis ſeruio tibi, & nun-
quam mandatum tuum præteriui? De fra-
tre verò: Filius tuus hic, deuorauit ſubſtan-
tiam ſuam cum meretricibus. Quid hic au-
Gal.4. dis fraternum? Aliter Paulus: Alter alterius
„ onera portate, & ſic adimplebitis legē Chri-
ſti. Quod ſi non vis, & obliquus es in fratrē:
Rom.14 rogat idem: Tu quis es, qui iudicas alienum
1.Cor.4 ſeruum? & alibi: Nolite ante tempus iudi-
„ care, quoadusq; veniat Dominus, qui & illu
„ minabit abſcondita tenebrarum, & mani-
„ feſtabit conſilia cordium. Quis eſt, qui mihi
deſignare poſſit, vtrum hic illo ſit melior?
de notis & familiaribus loquor. Nec rarò
vſuuenit, vt cuius criminis quis alium con-
demnat, ſi rectè & verè in ſe inquireret, de-
præhenderet ſe eodem ipſo multò grauius
Luc.6. obſeſſum. Nolite itaq; iudicare, & non iudi
„ cabimini: Deus enim eſt qui iudicat. Quin
potius ſi tantopere iudicandi illud ſuperci-
liū vobis placet, illud in voſipſos exercete.

Ex hoc tertium ſequitur, ne fratri miſe-
ricordiam diuinam inuideamus: quemad-
modum ille faciebat. Veram iuſtitiam ſem

per

per ſequitur miſeratio:fucatam aſperitas & ſæuitia. Ideóque pater: Oportet te fili gaudere: quaſi dicat, ſi pro Dei filio te gereres, eſſet vtiq; quòd gauderes te fratre auctum, maximè quẽ duro caſu amiſeras. Nec decet, vt quem Deus in gratiã recipit,tu illi alienam offenſionem nolis remittere. Ait itaq; Chriſtus: Eſtote miſericordes,ſicut & pater *Luc.6.* veſter cœleſtis miſericors eſt. Vide autem » ne Dei pietatem ſuggilles, ob id quòd tibi ad miſerandũ videtur profuſior. Tu illi nomina hęc,Benignus,miſericors,patiens,mul *Ioel.2.* tæ miſericordiæ, præſtabilis ſuper malitia: quibus hactenus debemus quòd conſumpti nõ ſumus:adempta illi voles? aut nuda dun taxat vocabula vſurpare eum voluiſſe exiſtimas? Sanè non temerè Eccleſia illi attribuit proprium ipſi eſſe,parcere & miſereri. Fidelis pmanet,ait Paulus: negare ſeipſum *2.Tim.2.* non poteſt. Eſt quòd admiremur & obſtupeſcamus, non quòd ad indignationẽ incitemur,quũ diuinæ bonitatis tam ſtupenda opera videmus,eos in gratiam admittentis, qui ſua ſponte receſſerant,eam contemptui & ludibrio habuerãt. Nec admirationi tantùm,ſed & gaudio nobis erũt: & ad gratiarum actionem nos excitabũt,nobis de tam pio patre,de tam populari (vt ita dicã) Deo gratulantes: quandoquidem talem eum nobis non iniuria polliceri poſſumus, qualem

eum erga proximos noſtros cognoſcimus. Non poteſt itaq; ille non iudicari malignè feciſſe, qui patri inde detrahit, vnde eũ chariorẽ habere debuiſſet. Nam ita meritò ſecum cogitare debuerat: Ah, quid mihi à patris pietate expectandum non eſt, qui pro virili mea ſtudui obſequẽtem me præbere: quem erga fratrem meum, præfractulum illum, & ab ætate iam & rerum vſu caſtigatũ, tam prolixè benignum experior? Si illi nõ deeſt, poſſum & mihi neutiquã defuturum ſperare. Huiuſmodi cogitationes illam domum, illam neceſſitudinẽ magis decuiſſent. Nam vtrinq; laus ad Deum redit, & quod ampliter remunerat, & quod non grauatè commiſerat.

Quiſquis igitur es peccator, certò perſuaſum habe Deum paratum eſſe miſericordiam tibi impendere: modò non fictè nec veniam petas, nec conuerſionem ſpondeas. Quòd ſi is es, qui ſub eius iugo ſtudioſè te contines: ne dubita, eum laboribus tuis cumulatiſſimè reſponſurũ. Ita enim per Pro-
Hier.31 phetam tibi ſpondet: Quieſcat vox tua à
» ploratu, & oculi tui à lachrymis, quia eſt
» merces operi tuo: ait Dominus. Et Chriſtus
Matt.5 ipſe in Euágelio: Gaudete & exultate, quo-
» niam merces veſtra copioſa eſt in cœlis. Hęc proinde promiſſa quum certa tenes: gaude, quum horum fidem iam in aliis exemplo

ratam

ratam habes. Quur enim Dei pietatem illis inuideas, quum per hoc decedere tibi nihil poſſet, etiamſi quotidie aliquot hominum millia omnibus ornamentis inſignienda acciperet? Diues in omnes (inquit Paulus) Rom.10
qui inuocant illum. Interim audi quibus te promiſſis, qua verborũ lenitate ſpem tuam ſuſtineat. Fili tu ſemper mecũ es, & omnia mea tua ſunt. Quid his verbis dulcius? Nominat te filium: adiicit, fore vt nunquã ab ſe auellaris: nihil habet, in quo ius tibi eſſe non velit, & quo non ita vtaris ac ſi proprium tuum eſſet. Quid vel voto optes amplius? Exſpectas forſan, vt viciſſim abs te inuſitata quædam nec vulgaria ſit exacturus. Immo vt charitatem & pietatem erga fratrem conſerues, nec paternã gratiam illi intercipere aut inuidere ſtudeas, adde nec cœlum ſolus inuadere, quod alioqui capiendis omnibus ſatis eſt amplum, teſtimonio Prophetæ, qui ait: O Iſraël quàm magna Bar.3.
eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis »
eius. Et Chriſti dicẽtis: In domo patris mei Ioan.14
manſiones multæ ſunt. »

Hæc ferè ſunt, quæ poſteriori huius parabolæ parte Chriſtus admonere nos voluit: quæ ſi ita memoriæ mandauerimus, vt peccator iuſtioris exemplo excitatus, ad virtutis ſtudium ſe conferat: ille huius caſu admonitus, ab vtroque nihil humani alienum eſſe

eſſe putet, vt illi impendat miſericordiam, ſibi curam: tum demùm & nobis dicendi labor, & vobis audiendi patientia nequaquã perierit. Nemo exempla deſideret. humanæ res nunquam tam ſunt in æquo conſtitutę, vt non & bonos inuenias, inuenias & malos. Qui ſi in vnam aream ita ſe commiſſos putarint, vt ſe mutuò ad pietatem promoueant: non poterit non tranquilla eſſe Eccleſiæ domus, & inter hos vtrinque ſumma pax & cõcordia. Faxit DEVS OPT. MAX. vt toto pectore ad pietatem cõuerſi, in eius voluntate ita acquieſcamus, vt hîc ab eadem nunquam ſimus alieni, & poſt hanc vitam, in ſanctarum animarum contubernio, perpetuùm ſimus coniuncti. Quod præſtare nobis dignetur per filium eius, Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM, in ſpiritu ſancto, cum quibus viuit Deus vnus in ſæcula.

AMEN.

FINIS QVADRAGESIMALIS DE FIL. PROD.

RERVM AC SENTENtiarum quæ ſparſim in hoc opere tractantur Index.

Prior numerus, folium: poſterior paginam deſignat.

ACoLaſti parabola, ſpeculum humanæ vitæ 148.1: 153.2: 165.1.
Acolaſti confeſſio explicata 182.2.
Ad ſe reuerti, quid ſit 174.2.
Adiurandi pœnitentiã promittẽtes modus 96.1.
Adulterium 28.1: 103.2.
Agar, quorum typum gerat 195.1.
Alienigenarum fœminarum nomine quid intelligendum 103.1.
Ambroſij Epĩ conſtantia 98.1.
Annæ matris Samuelis graue reſponſum 44.2.
Anulorum dignitas, & abuſus 196.2.
quid in ſacris deſignet 197.1.
Apoſtolorũ in Chriſti paſſiõe infirmitas 207.2.

BArbæ euulſio quid deſignet 38.1.
Bona falſo dicta 174.1.
Boni correptionem patienter ferunt 41.1.

CAini & Abelis hiſtoria, Iudæorum & Chriſti typus 212.2.
Calceamentorũ nomine, quid accipiendũ 197.1.
Carni nuſquã adhibendam fidem 160.1.

Chri-

Chriſti glorioſus in Hieroſolymã ingreſſ. 112.2.
Chriſtus infirmatus, firmior 133.2.
Chriſtus paſſionis tpe parciſſime locutus 123.2.
Chriſtus ſub paſſionem ſolitò in exhortando vberior. 113.2.
Chrũs ſub paſſionẽ Iudæ quinquies locutus 114.1.
Chriſtus in caſtigando Iuda etiam pius 114.1.
Chriſti quadruplex ad Abrahamũ promiſſio 128.2
Chriſti in patiendo auſteritas 121.2: 129.2: 205.1
Chriſti incredibilis in nos pietas. 115.1.
Chriſtianorum infida ſecuritas 30.2.
Ciuis longinquæ regionis, quis 169.1.
Claues Eccleſiæ 196.1.
Cœna Chriſti omnibus inſtructa 112.2: 200.2.
Cognitio Dei & diuinorum, cum vtilis tum neceſſaria 155.2: 157.1.
Collationes (quas vocant) Quadrag. 19.1.
Comæ euulſio quid deſignet 38.1.
Communionis vocabuli ratio 201.1.
Communio præcepta & neceſſaria 200.2.
Communio vnde inſtituenda 119.1: 120.1.
Communionis vtilitas & ſcopus 115.1.
Communicari veris rebus Chriſti corporis & ſanguinis 116.2.
Communicantium indignè diuerſa gña 113.1.
Concubinatus ſacerdotum 28.1.
Concupiſcentia D. Bern. cruenta beſtia 158.1.
Confeſſionis methodus 70.2: 76.2: 190.1.
Cõfeſſionis quæ Deo fit, vtilitas 72.2. *Neceſſaria* 72.1: 73.1. *Veterib. etiã in vſu* 70.2.

Confeſsio fit homini quadrifariam 73.1.
Confeſsio ſacramentalis, quæ, & vnde dicitur 73.2. *Vtilitas* 77.2: 81.2.
Confeſsio olim publica 76.2.
Confeſsio neceſſaria 80.2: 81.1.
Etiam ſarta iam gratia 189.1.
Confeſsionis vetuſtas 81.1.
Confeſsionem precatio ſequitur 54.2.
Confeſsio hominibus inuiſa 79.2.
Confeſsionis remedia 81.2.
Confeſsio liberale Dei munus 74.2.
Confeſsionem aliter Deo q̃ iudici fieri 182.2.
Confeſsio, Chriſtianis vt propria, ita glorioſa 74.1.
Confeſsioni illudentes taxantur 78.1.
Confeſsionis onus iniuſtè exagitari 74.2.
Confitentium vicia 78.2: 198.1.
Confitentiũ præpoſterus & inutilis pudor 80.1.
Confitendi neglectus quantum malorum inuexerit 77.1.
Contritio, pœnitentiæ pars 60.2: 64.1.
Contritio, quid 64.1.
Contritio ex amore, non metu capienda 66.1.
Contritionẽ quid vocent lutherani 60.2: 64.1.
quid D. Paulus 65.1.
Contritionis cauſæ diuerſis diuerſæ 65.1.
Culpæ propriæ deriuatio, omnib. familiaris 151.1.
D*Auid Chriſti typus* 214.2.
Debiti noĩe cur peccatũ deſignetur 136.1.
Debita noſtra à ſolo Deo diſpungi 137.1.

Debitores Deo nos conſtituunt tam bona noſtra quàm mala 135.2.
Declinandũ à malo,& faciendũ bonum 102.2.
Deſperantium argumenta 89.2.
Deſperatorum hominum duricia 206.1.
Deſperationi quid opponendum 90.2.
Deum nemini vim adferre 159.1.
Dei in peccatoris conuerſione partes 138.2.
Deus offerentes voluntatem expendit 63.2.
Dei in peccatores indulgentiam,pœnæ eſſe animaduerſionem 161.2.
Diabolus quæ obijciat ſalutis impedimenta 170.1.
Diaboli aduerſus ieiunantes ſtudium 1.2.
Diaboli aduerſus confeſsionem iacula 79.2.
Diabolum triplex hoĩm genus poſsidere 178.2.
Diaboli in oppugnando ſedulitas 30.1.
Diuinæ ſeueritatis in libidinoſos exempla 31.2.
Dolor ſeruilis & inutilis 184.2.
Dolor externus pœnitenti concedendus 33.2: 44.1: 68.2.
Dolorem externum pœnitenti non opus eſſe fingere 36.1.
EBriorum conſpectu quid nobis cogitandum 175.1.
Eccleſiæ in ſuos affectus . 14.1: 47.1.
Eccleſiæ in ieiunij cõmendatione ſtudium 1.1.
Eccleſiæ authoritas in præſcribendis ieiuniis 15.1: 20.1.
Eccleſiæ authoritatẽ à Deo eſſe & defendi 16.1.

Eccle-

Eccleſiæ cum Eſra conuenientia in pœnitentiæ traditione 58.1.
Eccleſiæ ſtabilitas 143.2.
Eccleſiam Eſræ typo deſignatam 6.2.
Eccleſiaſticum de ieiunando edictum 6.2.
Epulari, quid vocetur 201.2: 104.1.
Eſræ ſagacitas 42.1: 55.1: 56.2.
Eſræ pietas 31.1: 44.1: 46.1: 85.1.
Eſræ in ſuos ſtudium 22.1.
Eſras Chriſti typū geſſit 49.1. *Eccleſiæ* 43.2.
Eſraica confeſſio 51.2.
Excommunicatio vbi adhibenda 97.2.
Exempla ſuperiorum, quantum poſſint 42.2.
Exhortatio efficax ad pœnitentiam 84.1.
Externi geſtus in oratione non carpendi 44.1.
Externæ plagæ meritò peccatoribus mentem redderent 102.1.

F*Ames verbi Dei* 168.1. *huius vis* 168.2. *quomodo ſeipſam alit* 168.2.
Fidem non debere eſſe ſegnem 197.1.
Fidei hodie abuſus 45.2.
Filij Dei non peccant, ex Ioanne 97.2.
Filiorum nomine in parabola Acolaſti, qui deſignentur 150.2.
Fœdus Chriſtianorū cū Deo initū 93.1: 199.1.
Fœneratoris nomine Deum intelligi 135.1.
Fratrum delicta non tacenda, neque diſſimulanda 24.1: 25.1.
Fraterna reconciliatio neceſſaria 51.1.

Generoſitas animi humani 167.1.
Gradus ad mortem 163.1: 165.2
Gratiarum diſtinſtiones 181.2.

Heli in carpenda Anna imprudentia 44.2.
Hominis appellatione Deum in ſcripturis ſæpe deſignari 150.1.
Hypocriſis taxatur 35.1.

Ieiunium ad Chriſtianos pertinere 12.1.
Ieiunia veteris teſtamenti 14.2: 18.2.
Ieiunij vetuſtas 17.2: 18.1.
Ieiunium patribus olim, difficilibus temporibus azylum 12.1.
Ieiunij apud Deum pondus 13.1.
Ieiunij eccleſiaſtici vtilitas 13.1: 20.2.
Ieiunij tradendi difficultas 17.2.
Ieiuniorum olim ſumma ſeueritas 94.2.
Ieiunium Iudaicum 18.1.
Ieiunium Eccleſiaſticum 19.1.
Ieiunia à priuatis & prophano magiſtratu indicta 14.2.
Ieiunantium vicia 17.1: 18.2.
Ignorantiam, magnum in vita impedimentum 152.1: 155.2.
Induſtria paſtori neceſſaria 56.2.
Ionas Chriſti typus 215.2.
Ioſeph ad Chriſtum collatio 213.1.
Iudæ proditionem qui referunt 114.2.
Iudæorũ de gentium conuerſione liuor 141.1.

Iudæi cur tm̃ ſuæ gentis vxores ducerẽt 26.2.
Iudæi ad pœnitentiam Chriſtianis promptiores 22.1: 39.2: 85.2: 87.2: 121.2.
Iuſtificatio quomodo procedit 181.1.
Iuuentus ſubinde cana 151.2.
L*Aſciuia in Chriſtianis* 28.2: 103.1.
Leonis Papæ de ieiunio quadrag. ſentẽtia 3.2
Lepra hæreſim ſignat 143.1.
Liberum arbitrium 158.2.
Liberi arb. in iuſtific. quæ partes 181.2: 187.1.
Libido oſtium peccandi 32. 1.
Libidinis mala 32. 2.
Locus Luc. 7. Dimittuntur ei peccata mul. &c. explicatus 137.2.
Locus è Pſal. 29. tripliciter expoſitus. 128.1.
Locus è Pſal. 40. explicatus 209.1.
Lutherani confeſsionẽ obſcurant 74.1: 77.1.
Lutheranorũ de pœnitentia error 60.2: 63.1.
Luxum annonæ caritati cauſam dare 167.1.
M*Agdalenæ ad Chriſti ſepulchrũ pietas* 133.1.
Malachias propheta à quibuſdam Eſras habitus 26.1.
Mali periculorũ denunciatiõe nõ mouẽtur 41.1.
Memoria bonorum peccatorẽ affligi 166.2
Menſam diuitum cõmunem eſſe debere 201.2.
Mercenarij apud Deum, qui 179.2.
Metum ſeruilem quid caſtigat 185.1.
Miniſtrorum opera quur Deus in Eccleſia vtatur 193.1: 195.1.
Miſericordiæ diuinæ plus iuſtò tribuentes 147.1.

Moſis in ſuos indulgentia & ſeueritas 25.1.
N *Eceſſitas quædam felix* 175.2.
Nouatiani hæretici 188.2.
O *Ccurrere reſipiſcēti qñ Deus dicitur* 186.1
Oppedare Deo qui dicuntur 191.1.
Orantium cōmunitas efficax apud Deum 86.2.
Ornamenta in Chriſti menſa neceſſaria 198.2.
Oſculum & cōplexus Dei quid deſignēt 188.1.
P *Anis ſacramēti, qualis* 116.2. *eius virtus* 117.1 *& vnde. ibid. Nihil eſſe in eo diuiſum* 117.2.
Parabolæ de filio prodigo ſummarium 148.1.
Paſchalis diei læta feſtiuitas 125.2: 206.2.
Paſchatis ſignificatio moralib. tenēda 126.2: 205.2
Paſchale feſtum hodie peccandi licentiam reducit 125.1: 126.1.
Paſſionis Chriſti efficacia 124.1.
Paſſio Chriſti omnibus lachrymabilis piis verò quatenus 122.1. 123.1.
Paſſio Chriſti duo potiſsimùm exigit 204.2.
Paſtoribus induſtria neceſſaria 56.2
Paſtores taxātur 23.1: 38.2: 39.2: 43.2: 57.1: 198.1
Paſtores in Eccleſia neceſſarij 22.1: 23.1: 35.2.
Paſtorum periculum 23.2.
Parentum in liberos nimia lenitas 35.2.
Pauper & egenus à Dauide intelligitur Chriſtus 210.1.
Paterfamiliās Deus eſt 150.2.
Peccata humana, & diabolica, quæ 169.1.
Peccata ab animo metum aduertunt 101.1.
Peccata ſeparāt inter Deum & homines 50.1.

Peccata nolle cõfiteri grauius q̃ admittere 70.2
Peccati circumſtantiæ dictu neceſſariæ 53.2.
Peccata publica, vi coërcenda 96.2: 97.2.
Peccatorum pondus 79.1.
Peccantes maiori ſemper eſſe numero 153.2.
Peccãtes ebriis & furioſis eſſe perſimiles 174.2.
Peccatrix Euang. an ſit habenda Magdalena 130.1: 143.1.
Peccatrix Euang. cur anomymos 108.2.
Peccatricis Euang. hiſtoria allegoricè explicata 140.1.
Peccatricis Euang. feruor in adeundo Chriſto 109.1: 110.1: 131.2.
Peccatricis Euang. fides 110.1.
Chriſti in illam pietas 111.1.
Peccatrix Euang. quanta beneficia à Chriſto eſt conſecuta 130.1
Peccatricis Euang. Chriſto gratum officium 119.2: 131.1.
Peccatricis Euang. exemplo Chriſti paſsio nobis colenda 123.1.
Philautiam peſtiferam eſſe 157.2.
Pœnitentiæ methodus 58.2: 62.2: 185.2.
Pœnitentiæ forma ab Eccleſia petenda 48.1.
Pœnitentia ortum è ſcriptura habet 61.2.
Pœnitentiæ vera indicia 21.1.
Pœnitentia fructuoſa, & infructuoſa 134.1.
Pœnitentiæ vulgaris frigus 110.2.
Pœnitentiã eleuantium error 57.1: 146.1: 177.1.
Pœnitentia apud Lutheranos inermis 36.2.

Pœnitentiæ comes humilitas 69.1.
Pœnitentia ſemper inuiſa 145.2.
Pœnitẽtiæ promotio nõ vnius opus 88.1:89.1.
Pœnitentiæ abuſiones 60.1.
Pœnitentiã ſpontaneã eſſe debere 42.1:106.1.
Pœnitentiam quid ſubleuet 107.1 : 183.2.
Pœnitentiã nõ differendã 83.1 : 172.1 : 182.1.
Pœnitentia non fert vim 96. 1.
Tamen interminationibus etiam vrgenda 41.1 : 56.2. *Sic Deum facere* 176.1.
Pœnitentia poſt naufragium tabula 61. 1.
Pœnitentiam veram eſſe debere 63.1.
Pœnitentiã perſeuerantẽ eſſe oportere 107.1.
Pœnitentiam ſummo feruore à patribus fuiſſe ſuſceptam 147.1.
Pœnitentiæ vis 62. 2.
Pœnitentium inutiles lachrymæ 88. 1.
Pœnitentis ſpem non eſſe trahendam 195. 2.
Politia in Eccleſia neceſſaria 15.2.
Porcos paſcere, quid ſit 169.1 : 173.1.
Porci qui appellentur 172.2.
Præſidia extra Deum quæſita nocent 26. 2.
Primates, admonitionis impatientes 86. 1.
Principum huius æui damnoſa oſtentatio 112.1.
Pudor & reuerẽtia erga Deum tenenda 49.2.
Pudor confitentiũ præpoſterus & inutilis 80.1.

Q *Vadrageſimæ vetuſtas* 18.1.
Quadrageſimæ ſcopus 6.1 : 7. 1.
Quadrageſimæ ratio ex Leone 4.2.

R Egionis longinquæ nomine quid intelligendum 163.2.
Remiſſio peccatorũ fide & ſpe tenenda 146.1.
Per pœnitentiam quærenda 146.2.
Reſurrectionis lætitia à Chriſto inſtit. 127.1.
Reſurrectionis nũcia Magdalena inſtit. 133.2.
Reſurrectiõis ſpes in paſſione obſcurata 129 1.
Reſurrectionis teſtimonium 211.1: 212.2.
Reſipiſcentia quos fontes habeat 175.2.
Reſipiſcentia nunquam ſera 163.1.
Reſipiſcẽtiã noſtrã nõ niſi gratiæ diuinæ deberi 181.1: 186.2. Quæ in ea nr̃æ partes 187.1.
Rufini Præf. pal. impudentia ab Ambroſio taxata 99.2.
S Acramentum quid 73.2.
Sacramentum quæ conſtituunt 73.2.
Sacram̃ Euchariſtiæ dupl. ſumi 200.2: 204.1.
Samaritani Euang. pietas 194.1.
Samaritanus Euang. Chriſto confertur 194.2.
Sampſon Chriſti typus 215.1.
Secheniæ pietas & fortitudo 88.1.
Secheniæ confeſſio & fides 92.1.
Seceſſionis noſtræ à Deo, quæ ſint cauſæ 154.1: 155.2: 160.2. Quomodo his obſiſtendum 159.2: 161.1.
Seceſſiõis cauſam neminẽ à Deo accipere 154.2
Senes pueri 151.2.
Siliquarum nomine quid accipiendum 173.1.
Stola, innocentiæ ſymbolum 196.1.
Subſtantiæ noĩe, quid nobis Deus diuidat 158.2.

Te

Temeritatis vitium 158.1.
Temeritas irreligioſa diuinorũ caſt. 118.2.
Temperantiam, aliud eſſe q̃ ieiunium 94.2.
Tempus tempori non præſtare 145.1.
Terrores incuſſi, lutheranis contritio 60.2.
Theodoſij Imp. pietas 98.1.
Timor ſeruilis 66.1.
Traductiõe noĩs, nemo in malis onerãdus 108.2
Triſtitia ſecundũ Deum, Paulo contritio 65.1.
Veſtium laceratio quid deſignet 35.1: 37.2.
Vitulus ſaginatus, Chriſtus 199.1. *Saginatus quare* 199.2. *Occidi iuſſus* 200.1. *Manducari quomodo debeat* 203.2.
Vnionẽ noſtram cũ Chriſto quid impedit 119.1.
Voluptates omnes, quales 173.2.
Zeli veri vehementia. 25.1.

FINIS.

ERRAT.

Folio.16. facie.1. linea.17. Lege: qui in eos, qui vicariam. &c̃.
Fol.23. fa.2. lin.penult. ad muneris
Fol.25. fa.2. lin.26. veſtram ipſorum.
Fol.29. fa.1. lin.17. ſexcentis
Fol.21. fa.1. li.29.30. lætosq́; in patriã p̃duxit
Fol.29. fa.1. lin.26. noſtram ipſorum
Fol.37. fa.1. lin.22. ſibimetipſis
Fol.125. fa.1. lin.penult. Quadrageſimam
Fol.167. fa.2. lin.9. tametſi.

7-2-2